This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



ANNO

1714

Digitized by Google

Národní knihovna ČR
Historické fondy
28 G 20/T. 10
Národní knihovna
1003019744

XXVIII
G 20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,

SPICILEGIUM.

Tomus Decimus continet

1. Consultationum ZACCHÆI Christiani & APOLLONII Philosophi Libros tres.
2. Venerabilis BEDÆ Martyrologium heroïco carmine.
3. ORDINEM Solarem anni cum litteris à S. Hieronymo superpositis, &c. sive vetus Calendarium.
4. MISCELLANEA Epistolarum.
5. Gesta GUILLELMI Majoris Episcopi Andegavens. ab ipsomet conscripta.
6. Historiam Ecclesiæ de Fontanis O. C. à PEREGRINO Abbate.
7. Historiam Comitum Andegavensium per FULCONEM Comitem.
8. GESTA Consulum Andegavensium Auctore Monacho Benedictino Majoris-monasterij.
9. LIBRUM de compositione Castri Ambasiæ, & ipsius dominorum gestis.
10. HISTORIÆ Afflegemiensis librum unum.
11. CONTINUATIONEM ejusdem Historiæ.
12. CHRONICON Barcinonense.
13. ADDENDA in Miscellaneis.

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & studio Domni LUCÆ ACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*



BIBLIOTH. REGIÆ PRAGEN.

PARISIIS,
Apud VIDUAM CAROLI SAVREUX ad Turrim Metropolis Ecclesiæ, sub insigni trium Virtutum.

CIↃ. DC. LXXI.

Cum Privilegio Regis, & Superiorum permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google



LECTORI.

I. Consultationes Zacchæi Christiani & Apollonij Philosophi.

VETUSTISSIMOS esse Dialogorum libros, qui primum in Spicilegij tomo X. locum obtinent, ex antiquitate MSS. codicum, immò ex ipsa Librorum Lectione constat: certam porro Auctoris ætatem præfigere operosum adeò ac perdifficile nobis visum est, ut post accuratam, diligentémque discussionem, post consultòs à nobis viros doctissimos, nihil exploratum hactenus occurrerit. Enimverò tam studiosè, & quasi compositò nomen suum dissimulasse videtur Auctor iste, ut ficticia tantùm nomina ZACCHÆI & APOLLONII adfixerit Dialogis suis: & profiteatur licèt se ex superiorum Patrum monumentis suam hausisse doctrinam, unius tamen nec nomen apponit, nec scripti genus indicat. Proinde nonnullas dumtaxat conjecturas heic tibi, Lector erudite, exhibere cogimur.

Professio Zacchæi nostri non perinde obscura ac ejus ætas: nam cùm teste Cassiano in præfat.

Digitized by Google

ad inſtitutiones, Monaſtici ritus nonniſi ab experto tradi queant, ex his quæ ſcribit toto ferè libro tertio colligitur, eum in Monaſtice meruiſſe, quod & ipſe alicubi ſignificavit. Hinc ætas illius forſitan definiri poſſit. Cùm etenim ſexto circiter ſæculo Regulam S. P. Benedicti omnes propè Monachi in Occidente ſint amplexati, ſi noſter Zachæus ad hæc uſque tempora ſuperſtes fuiſſet, eadem lege, qua ex SS. Patribus fidei dogmata, ex S. Benedicti Regula Monaſticam inſtitutionem fuiſſet mutuatus: quod tamen eum non præſtitiſſe facta collatione liquidò comperimus.

Sed neque eum ante ſæculi quinti initium huic operi manum admoviſſe non obſcura ſuadent argumenta.

Ante illud ævi non proſtabant in Europa, ubi ille tum temporis verſabatur, illuſtria numeroſáque Patrum volumina, ad quæ ſuum Apollonium miſſitaret velut ad fontes, è quibus totam hanc catecheſim hauſiſſet: neque ante illud tempus ea de quibus agit libro ſecundo contra Arianos, Photinianos, alióſque hujuſmodi tenebriones, erant ita diſertè à Patribus Latinis explicata, ut ſine tædio refricari non poſſent; quod ipſe habet cap. 1. libri 2. Quæ ſic conſtituta inducunt animum, ut quinto ſæculo Dialogi natalem adſcribamus.

Id ſuadet etiam quòd Zacchæus ipſe hæreticos ſolùm Manichæos, Marcionitas, Photinia-

Digitized by Google

nos, Sabellianos, Patripaſſianos, Arianos ac Novatianos, qui ſua tempeſtate ampliùs fremebant vigebántque, perſtringat. At de Pelagij ejúſque Sectatorum hæreſi, quæ procedente ſæculo quinto maximam Orbis partem infecit, ne verbum quidem, cùm pluribus in locis, libri potiſimùm 2. cap. 11. ſe ſe dabat occaſio.

Obſervandum hîc interim Auctorem noſtrum hallucinatum, vel amanuenſium inſcitia ſubreptum nonnihil fuiſſe in deſcriptione Sabellianæ hæreſis, quippe quæ Macedonij eſt adſcribit Sabellio.

Accedit quòd omnia ſigna quibus Antichriſti adventum inſtare auguratur lib. 3. cap. 8. cum hiſce noſtris conjecturis quadrant ex amuſſi. Illud enim ipſum tempus eſt, quo ingentia Barbarorum examina in Africam atque Europam effuſa, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, ac ipſam Imperij arcem Romam devaſtarunt, dum interim in Oriente Regia Conſtantinopolis, ac pleræque civitates Paleſtinæ horrendo terræ motu quaterentur; fame denique ac peſte homines affligerentur. Videſis Oroſium in libri 7. capite 40. ſub finem, & cap. 42. Zozim. lib. 6. Sozom. lib. 9. c. 8. S. Hieron. epiſt. 16. Lucam Tudenſem in Chronico, Marcellinum Comitem p. 27.

Favent inſuper quæ de inſtitutis Cœnobitarum in urbibus degentium, déque ſacra hymnodia lib. 3. cap. 6. fusè narrat. Quippe ante annum 400. pauca admodum, immò fortè nulla Cœno-

Digitized by Google

bia in Europæis urbibus viſebantur. Quod verò ad cantum attinet, illum in Eccleſia à B. Ambroſio quinto ſæculo appetente invectum non obſcurè ſcribit Auguſtinus in Confeſſionum l. 9. c. 7.

Poſtremò ſtilus plerumque turgens ac lacertoſus, ſententiæ ſæculi hujuſce Scriptoribus familiares non ſemel uſurpatæ: Mathematicorum ac hæreſeon in quas tunc Patres ſtilum ſtringebant perſpicua confutatio: ſupplicationum quibus pluviæ arcerentur non prætermittenda commemoratio, aliáque hujuſcemodi complura, conjecturas noſtras ſatis ſupérque confirmare videntur. Hactenus itaque conjecturas, non noſtras tantummodò, ſed & W. CC. indigitavimus, nempe: Sebaſtiani l'Enain D. de Tilmont, Claudij du Freſne D. du Cange, Johannis Bap. le Cottelier, RR. PP. Johannis Garnier S. J. ac. Paſchaſij Queſnel Congregationis Oratorij D. Jesu Preſbyterorum & noſtri præſertim Franciſci Delfau.

Erit forſan & emunctioris naris criticus, qui non nihil momenti ad hæc argumenta accedere putet ex his quæ ſcribit Auctor lib. 1. cap. 21. ætate ſua Dominicæ mortis indicia felicis ſepulcri exuvias continuiſſe: quibus exuviis credat ſignificari ſindonem illam qua ſacrum Chriſti corpus obvolutum eſt, quam ineunte quinto ſæculo Eudocia Conſtantinopolim aſportaverat, quámque, teſte Gualtero (penes quem hujus rei fides ſit) an. 439. Theodoſius II. Veſuntionem ſumma ſolemnitate tranſmiſit.

Digitized by Google

Erit præterea qui conjecturam capiat temporis quo vivebat Auctor noſter, ex capite 28. lib. 1. ubi non quidem cultum omnem, ſed *incautum* (ut ait) *obſequium*, imaginibus Imperatorum à populo exhibitum reprehendit. Quippe deſinente ſæculo quarto vigebat ritus ille, ut pictæ aut fictæ Auguſtorum imagines ſollemni pompa circumferrentur, ac publicis vulgi acclamationibus exciperentur. Verùm non rarò cultus ille in ſuperſtitiones cedebat ex impotentia vulgi, qui affectibus ſuis, ſicubi adulatio aut lætitiæ publicæ oſtentatio movet, moderari nequit. Huc etiam locus nonnumquam faciebat. Si quidem non tantùm in profanis, ſed in ſacris quoque locis exponebantur imagines illæ, ſicut Eudociæ ſtatua Conſtantinopoli prope Baſilicam erecta, quæ Johanni Chryſoſtomo juſti zeli ſimul & invidię cauſa fuit. Quò reſpexiſſe videtur Zacchęus cùm infit, Sacerdotes ejuſmodi conſuetudinem incautioris obſequij prohibere. Ut enim Patres cenſuere colendas eſſe Imperatorum imagines, ita ſemper immoderatum improbavere cultum, qui ad religionem immò ad ſuperſtitionem accedere videbatur.

Quin etiam Imperatores quibus pietas cordi erat, non tulere effuſam vulgi libidinem in colendis iconibus ſuis. Præclara eſt eam in rem lex Theodoſij Imperatoris, quam huc adſcribam ad id loci illuſtrandum: *Si quando noſtræ ſtatuæ vel imagines eriguntur, ſeu diebus, ut adſolet, feſtis,*

L. Vnica Cod. Theod. de Imag. Imperial.

Digitized by Google

ſive communibus, adſit judex ſine adorationis ambitioſo faſtigio: ut ornamentum diei, vel loco & noſtræ recordationi ſui probet acceſſiſſe præſentiam. Ludis quoque ſimulacra propoſita tantùm in animis concurrentum, mentíſque ſecretis noſtrum numen & laudes vigere demonſtrent, excedens cultura hominum dignitatem ſuperno Numini reſervetur. Eodem ſpiritu animatus Honorius paternæ pietatis imitator arguit Arcadium fratrem, quòd non ſolùm Conſtantinopoli Eudociæ Auguſtæ colenda populo ſtatua exponeretur, ſed & per provincias velut fabuloſæ Cibeles ſimulacrum circumferretur.

Ceterùm fruſtra quis hunc Zacchæi locum detorqueret in venerationem ſanctarum imaginum, quandoquidem Eccleſia, quæ pium earum cultum probat, reijcit immodicum ac ſuperſtitioſum, uti Zacchæus Imperatorum.

Atenim conjecturis noſtris obſtare videtur, quod Zacchæus nihil de Apollinariſtis, Donatiſtis, Priſcillianiſtis, Pelagianíſve ſcribat. Sed hanc objectionem ipſe prævertit, conteſtatus ſe non omnes iſtiuſmodi peſtes ſuſcepiſſe recenſendas: tametſi dici poſſet ſæculo ineunte quinto Pelagij ac Neſtorij dogmata non ſtatim ſic exertè proſcripta, ut jam tum exſtarent illuſtria volumina è quibus more ſuo Catholicam erueret doctrinam. Quod iterum ſingularem hominis modeſtiam arguit, & aſſertas de illius ætate conjecturas confirmat.

Ceterùm fortiſſimus ille Religionis Athleta non modò

modò priorum temporum, ſed etiam ævi noſtri hæreticos compreſſit, eóſque ſuis coloribus ad vivum expreſſiſſe vilus eſt in lib. 2. cap. 11. p. 73. Illi namque ipſi, qui *traditionem Apoſtolicam relinquentes, magiſtros perfidiæ ſecuti ſunt, & nomen Religionis mutavere cum ſenſu.*

Eodem loci cap. 18. p. 93. Petrum non ſolùm Eccleſiæ fundamentum eſſe dicit, verùm in ejus perſonam poteſtatem omnium convenire Sacerdotum, contra quàm ſentiunt Novatores, adfirmat. P. 95. poteſtatem quoque abſolvendi à peccatis Sacerdotibus à Chriſto factam, adverſus Novatianos eleganter fortitérque vindicat. P. 51. Apollonius jam Chriſtianæ militiæ adſcriptus, Eccleſiæ ſacrificium & realem Chriſti in Eccleſia præſentiam confitetur. Lib. 2. cap. 7. p. 64. Pro obſoletis pecudum atque alitum victimis cæleſte Fidelium Munus pura oblatione celebrari commemorat. Liberum arbitrium ſartum atque integrum paſſim propugnat.

Lib. 1. cap. 21. p. 25. ſacrarum Reliquiarum virtuti illuſtre teſtimonium reddit, dum ea quæ feciſſe legimus vivos, etiam *ante defunctorum cineres* fieri teſtis oculatus adfirmat. In lib. 3. capp. 3. 4. & 6. Monaſticen, quam Lutherus ut inventum Diaboli exagitat, ut Dei Op. Max. opus ſingulare commendat. Denique lib. 2. cap. 2. & 3. Spiritum ſanctum à Patre ac Filio eſſe, quod me judice idem eſt atque à Patre Filióque procedere.

Quamquam, uti nihil ab omni parte beatum,

Digitized by Google

non deſunt in hoc Auctore aliquot nævi, queis ut ei auctoritas undiquaque conſtet, benignas, ut par eſt, interpretationes adhibebit Lector eruditus, qui eum volet excuſatum. Nos interim cautiones opponimus nonnullas, ne ſimpliciores alicubi temerè offendant.

In primis videtur nonnihil Pelagianæ fuliginis (quæ erat illius ſæculi labes) contraxiſſe, quo fortean effectum eſt, ut à Pelagianis, Neſtorianiſque, qui ex his originem duxere, perſtringendis abſtinuerit. Lib. 1. cap. 8. p. 8. Incarnationis *cauſa eſt*, inquit, *vel ſervandi humani generis, vel reparandi.* Et ſtatim hanc reparationem in lege atque exemplo conſtituere videtur: velut & capp. 15. 17. 21. cap. verò 36. præmaturas infantum mortes in elementorum inæqualitatem, aut in parentum ſcelera, non in originalem noxam refundit, quo Deum injuſtum non eſſe demonſtrat; ſubditque cum eis benigniùs agi, ne ex improbis geniti, ſimiles quandoque efficiantur auctoribus; ubi peccatum Originale in pravo parentum exemplo ferè ſtatuit. Nuſquam verò gratiæ Salvatoris meminit, quem ut meritorum duntaxat arbitrum habet cap. 33. p. 42. Tandem cap. 35. totam legis neceſſitatem in voluntate noſtra ſitam eſſe opinatur.

Hanc porrò labem abſterget Catholicus Lector eâdem ſpongiâ, qua S. Auguſtinus eam à Patribus Græcis amovit; quod videlicet nondum hujuſmodi dogmata ab Eccleſia exertè ex-

Digitized by Google

explicata essent : tametsi nihil est hac excusatione opus, cùm ipse & peccatum originale, & gratiæ Christi necessitatem quantum satis erat, ante pleniorem definitionem insinuarit. In lib. 1. cap. 14. *Hæc fuit assumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum, per hominem tolleretur.* Lib. 2. cap. 8. p. 67. *Nullum sine lavacro aquæ spiritalis posse salvari.* Cap. 16. p. 87. *Generali exemptus ruina, in spem quam amiseras repararis.* Item capp. 5. & 8. Gratiæ Redemptoris eleganter adstipulatur. Lib. 3. cap. 10. *Ille tantùm efficiendi substantiam præstet, qui magna cupere se donante promisit.* (Sic enim legendum duxi, quantumvis refragentur MSS. codices.) Lib. 2. cap. 20. *Conferre non abnuat, quæ præstitit velle.*

In ejusdem libri capp. 8. & 18. ait justificari per fidem, eo nempe sensu quo B. Paulus id scripsit de fide quæ per caritatem operatur, alioquin etsi habuero omnem fidem, nihil mihi prodest.

In cap. 19. ejusdem libri p. 97. *Sufficiat Canonicis inhærere doctrinis.* Non exauctorat traditiones Patrum, quas inibi adstruit, eásque ab heterodoxis prætermissas conqueritur.

In libri primi cap. 33. Angelis pœnitentiæ tempus indultum existimat, forsan non è Scholæ sensu: nisi per tempus illud intelligatur spatium, quod peccatum inter & pœnam interceßit.

Cujas fuerit Zacchæus inquiris forsitan Lector? Næ nobis quid asseramus, ut ingenuè fateamur,

Digitized by Google

haud venit in mentem. Quidam rerum antiquarum exploratores curiosi eum vel Gallum vel Italum autumant. Si tamen conjecturæ indulgere liceat, Africanum dicam Zacchæum ob stili affinitatem cum Africæ Scriptoribus, qui illo ævo vel paulo ante scriptitabant.

Supereſt nunc, ut à me noveris, Lector, qua ex Bibliotheca suppeditati sint codices MSS. unde Zachæi opus exscribendum curavimus. Cùm W. CC. Claudius du Fresne D. du Cange, & Johannes Bapt. Cottelier, uterque eruditissimus, lustrarent invisérntque MSS. codices celebris Bibliothecæ Thuaneæ, occurrêre bini MSS. Zacchæi Christiani & Apollonij Philosophi Dialogorum libri tres: Volvunt illos & revolvunt, ac tandem discussos utcumque, judicant luce dignos. Expetunt pro me nesciente binos MSS. à doctissimo Bibliothecario Josepho Quesnel, qui cùm mihi sit amicitia conjunctissimus, & compertæ humanitatis in omnes, benignè utrumque commodavit. Ad me statim detulerunt viri amicissimi, obtulerúntque thesaurum huc usque absconditum atque invisum, quem volupè admodum suscepi, ac pollicitus sum in lucem proferre.

Verumenimverò dum illos codices legere atque examinare sum aggressus, hæsi in ipso principio, nempe deerat titulus in posteriori (præ se tamen octingentos annos præferente) prima pagina propè obliterata erat, verba totius operis

Digitized by Google

identidem inversa, ac syllabæ inconcinnè divulsæ & compositæ. In altero codice manu paulo antiquiore exarato titulus exstabat quidem, sed characteres visum passim fugiebant, velut & in toto volumine, ut pote pluvia & carie labefacto, ac putrefacto: Deinde non solùm est labefactatus iste codex, sed tam oscitanter & imperitè exaratus ab inscio quodam, ut subindè textus ordo pervertatur: putà in libro primo atque in uno eodémque capite promiscuè ex libro 2. multa invexit, ita & in libro 2. & in tertio pariter contextus seriem perturbavit, ac sensum immutavit. Cùm autem anxius hærerem, & nulla in tanto labyrintho se se offerret via, qua ex eo emergere valerem, V. C. D. Faure Doctor Sorbonicus, rerum antiquarum peritissimus, se in Bibliotheca S. Arnulfi Mettensis Patrum Congregationis SS. Vitoni & Hidulfi deprehendisse Zacchæi Dialogos mihi significavit: Ea de re actutùm scripsi ad R. P. Domnum Petrum Descrochets ejusdem Congregationis pereruditum Presbyterum ac Subpriorem S. Arnulfi. Ipse, ut est singulari comitate præditus, nullâ interpositâ morâ benevolè codicem eleganter ab anno circà sexcentesimo conscriptum transmisit. At mirum, codex ille easdem inversiones sive repetitiones ac antiquior Thuaneus continet. Adjumento nihilominus fateor, mihi fuit permaximo: si quidem ex eo pluribus in locis nodos, qui remanserant, resolvi, nævos extersi. Atque ut

Digitized by Google

dicam quod ſentio, par eſt credere Arnulfinum codicem ex præfato Thuaneæ Bibliothecæ antiquiori tranſcriptum, juríſque olim fuiſſe Abbatiæ S. Arnulfi Mettenſis.

Suppetias nonnulli ex noſtris ivêre, non diffitemur, ad conferendum ingenti labore apographum, quo in hac uſi ſumus editione, cum codicibus MSS. atque ad elucidandas tenebras quæ ſæpiuſculè animum obvolvebant, è noſtris etiam D. Gabriel Gerberon & D. Johannes Mabillon præſto fuere. De Zacchæanis Dialogis ſat ſupérque, nunc ad alia progrediamur.

II. Martyrologium V. Bedæ.

Venerabilis BEDÆ Martyrologium metricum ſecundo loco videbis Lector. Is Martyrologij à ſe ſcripti mentionem facit in fine Epitomes his verbis: *Martyrologium de natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes quos invenire potui, non ſolùm qua die, verùm etiam quo genere certaminis, vel ſub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare ſtudui.* Proſaïcum intelligit, nullibi metrici meminit.

Metricum verò hocce Martyrologium exſcripſit noſter Johannes Mabillon ex Cœnobij S. Remigij Remenſis apographo exarato manu Bertigarij Monachi, Ebbone Archiepiſcopo, præfértque Bedæ nomen ac titulum, uti nos exhibemus.

Iſtud Martyrologium non ab VIII. Kal. Januarias incipit, ſed ab ipſis Januarij Kalendis. Complures in eo Sancti, qui in Bedæ Martyrologio

Digitized by Google

prosaïco apud Bollandum restituto leguntur, omittuntur in metrico : ut in Januario *Anterus Papa*, *Salvius in Africa*, *Hilarius Pictavorum Episcopus*, *Felix Presbyter Nolanus*, *Marcellus Papa* : & *Scholastica* in Februario, &c. *Mellitus* in Aprili, &c. *Augustinus* in Maïo, &c.

Auctorem porrò Anglum extitisse ex variis colligitur sanctis Anglicanis; & quidem Monachum Girvvensis Cœnobij conjicimus ex festo Dedicationis, quæ v. Kalend. Maij ponitur, tametsi Girvvensis Ecclesiæ Dedicationem VIII. Kalend. Maij factam docet Monasticon Anglicanum.

Nulli illo in Martyrologio Sancti indicantur Beda posteriores ; non S. Bonifacius Maguntinus, aut alij quivis illustres Sancti, immò nullus ætate inferior S. Wilfrido juniore, memorato in Aprili, qui Wilfridus anno DCC.XXXII. obiit, uno tantùm anno postquàm Beda suam absolvit historiam. Unde non mirum si metricum Martyrologium in indice Operum suorum non recenseat; cùm tribus annis dumtaxat Wilfrido Juniori supervixerit.

III. Vetus Kalendarium

Codex Corbeiensis, in quo antiqua Canonum collectio continebatur, vetus Kalendarium nobis suppeditavit; quod scriptum sive concinnatum fuisse anno DCCC. XXVI. plusquam verisimile est. Etenim solent qui ejuscemodi tabulas Ecclesiasticas ordinant, illisque adfigunt annos, ab ipso initium ducere quo scribunt: mense au-

Digitized by Google

rem Decembri, ubi annos indicat Auctor, octingenteſimus viceſimus ſextus priorem obtinet ordinem, ultimum verò annus DCCCLIV. Deinde è Sanctis in eo commemoratis nullus recenſetur, qui poſt annum DCCCXXVI. migrarit è vita.

IV. Miſcellanea Epiſtolarum.

In Miſcellaneis epiſtolarum chartarúmque Epiſtola ad Carolum Magnum de duplici Solis eclipſi, quæ anno DCCCX. apparuit, primò occurrit, cujus Auctor Dungalus Recluſus, hoc eſt, Solitarius, Monaſticam videlicet agens vitam procul à conſortio tum Monachorum tum Sæcularium. Qua in Epiſtola cùm ſalebras aliquot reperiſſemus, V. C. Iſmahelem Bullialdum conſuluimus, utpote in mathematicis rebus apprimè verſatum, ſicut & in omni genere ſolidæ litteraturæ, ut de illa quid ſentiret, nobis exponere dignaretur. Scripſit itaque obſervatiunculam, quam heic exſcribendam operæ pretium duximus.

„ Hæc Epiſtola Dungali, quamvis nec peritè,
„ nec clarè reſpondeat quæſtioni ab Imperatore
„ propoſitæ, neque demonſtret quæ oſtendere
„ oportuit, utilis nihilominùs in eo eſt, quòd ar-
„ guat tunc temporis plures, ipſumque Imperato-
„ rem dubitaſſe de eo, quod à quibuſdam temerè
„ & inani jactantia impulſis afferebatur, duas ecli-
„ pſes Solis anno Chriſti DCCCX. factas ac viſas
„ fuiſſe in noſtra Europa, qui quidem ratione ful-
„ ti dubitabant. Cùm poſſibile non fuerit hoc anno

anno 810. VII. Id Jun. Solem defeciſſe, aut de- «
fectum illius in Europa adnotatum fuiſſe. Opti- «
mè ad hunc annum adnotavit Calviſius, & rectiſ- «
ſimè judicavit hanc eclipſim Solis die VII. Id. Jun. «
ab aliquo, qui Kalendarium ſcripſit, prædictam «
fuiſſe, calculo ex tabulis aſtronomicis imperfec- «
tioribus deducto: ſed non factam (addo & non vi- «
ſam Europęis noſtris hominibus) Chronologi ni- «
hilominus, Urſámque viſam in ſuis Chronicis «
ſcripſerunt, opinionem, vel potiùs errorem vulgi «
ſequuti. Addendum mihi videtur, calculatorem «
anni illius 810. in hoc hallucinatum fuiſſe, quòd «
non monuerit illam eclipſim in locis lineæ æqui- «
noctiali ſubjectis, aut meridionalibus apparitu- «
ram fuiſſe, & viſendam in hemiſphærio auſtrali. «
Non eſt enim poſſibile, ut in locis ab æquinoctia- «
li linea paulo remotioribus intra ſemeſtre ſpatiũ «
binæ eclipſes Solis cernantur, quod ſub linea «
æquinoctiali, vel in locis ſubjacentibus paral- «
lelis ab ea non longè deſcriptis accidere poteſt: «
intra verò quinquemeſtre ſpatium in eodem he- «
miſphærio boreali vel auſtrino binæ eclipſes So- «
lares conſpici queunt: quæ omnia demonſtrari «
poſſunt, utpotè vera. Sed hujus Epiſtolæ Auc- «
tor Dungalus has differentias ignoraſſe videtur. «
Cumque pridie Kal. Decemb. ejuſdem anni 810. «
eclipſis Solis, animadverſa ab Europęis, priorem «
illam VII. Id. Jun. factam, ab Antœcis noſtris & «
Antipodibus, aut ſaltem in hemiſphærio auſtrali «
viſam fuiſſe aſſerere debuit, ut quæſtioni plenè «

Digitized by Google

« ſatisfaceret. Huc uſque Iſmaël Bullialdus.

Dungali Epiſtolam collegit noſter Johannes Mabillon è ſcripto codice Sanremigiano.

V. Geſta Guillelmi Andegavēſis Epiſcopi.

Geſta Guillelmi cognomento Majoris (le Maire) Epiſcopi Andegavenſis, in codice Majoris Eccleſiæ ejuſdem civitatis, nobis ſubminiſtravit V. C. Antonius Vionus D. d'Herouval. Porro geſta ſua Guillelmus ipſe conſcripſit ac poſteritati mandavit, nempe quidquid in munere Epiſcopali geſſit, ſapienter & conſtanter jura Eccleſiæ propugnando, aſſerendóve, accuratè ac minutatim narrat, adeò ut nihil omiſiſſe, nec labori ac vigiliis peperciſſe videatur, & (quod optimum ſcribendi genus eſt) epiſtolas ultrò citróque datas, & varia authentica inſtrumenta narratoni ſuæ inſerit. Utinam tanti Præſulis, meritò Majoris nuncupati, ſucceſſores Epiſcopi veſtigia fuiſſent ſecuti, ipſiúſque exemplum noſtra ætate qui Cathedris Epiſcopalibus inſident, ſedulò imitarentur: Quam putas exinde Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores haurirent utilitatem? Sanè permaximam. Notiſſima ſunt quæ dico viris eruditis, ac proinde diutiùs hîc non immoror.

VI. Hiſtoria Monaſterij de Fontanis.

Ex ampliſſimis Collectionibus illuſtriſſ. viri D. Michaelis de Marolles Abbatis Villæ-Lupæ, Hiſtoriam Prælatorum & poſſeſſionum Monaſterij de Fontanis Congregationis Ciſtercienſis, ſelegimus ac deſcribi curavimus. Is enim pietate & eruditione præſtantiſſimus Abbas Collec-

Digitized by Google

tiones illas, ad hiſtoriam Turonenſis Diœceſis texendam à ſe paratas, perlibenter ac ſingulari benevolentia nobis communicavit. Auctor hiſtoriæ Fontanenſis Peregrinus, ejuſdem Cœnobij Abbas VIII. initium, fundationem, conditores & progreſſus ad uſque ſua tempora haud inerudite deſcripſit, ac tandem chartas diverſas, tamquam probationes eorum quæ in medium attulit, ſubijcere non prætermiſit.

VII. Hiſtoria Andegav. per Fulconem Comitem.

Fragmentum prolixum hiſtoriæ Andegavenſis, auctore Fulcone Comite, in præfatis Collectionibus repertum, præmiſimus Geſtis Conſulum Andegavenſ. quaſi eorum fundamentum propter Scriptoris nobilitatem atque auctoritatem. Illud porro fragmentum ex adverſariis Andreæ Cheſnij ſe accepiſſe in ſuis Collectionibus profitetur Abbas ille clariſſimus, Cheſnius verò è MS. codice Bibliothecæ Petavianæ ſe deſcripſiſſe atteſtatur, an integra, necne, ipſo in codice exſtaret hiſtoria, minimè indicavit Cheſnius. Dolendum ſanè, quòd tam inſigne Andegavorum hiſtoriæ monumentum majore ſui ex parte perierit. Nam codices Petaviani non Pariſijs, ſed Romæ in Bibliotheca Reginæ Sueciæ reconduntur, ubi fas haud fuit codices iſtos inviſere, ac diſcutere, utrum manca ſit hiſtoria Andegavenſis, uti à nobis eſt exhibita.

VIII. Geſta Cõſulum Andegavenſ.

Conſulum Andegavenſium geſta indicio Clariſſ. Herovalij debeo, quippe codicem abhinc quadringentis circiter annis ſcriptum, ex Eccle-

Digitized by Google

sia Andegavensi Canonicorum Regg. S. Laudi nobis suppeditavit; sicut & Librum de compositione castri Ambasiæ, &c. manu recentiori exaratum, quem concessit V. C. dominus. de Launay, in utroque jure eruditissimus Senatus Parisiensis Advocatus. Gestorum illorum Auctor se se Majoris Monasterij Monachum profitetur quidem, sed nomen non apposuit suum. Suspicabamur prima fronte dum volveremus ea, Johanni Monacho esse inscribenda, cujus opuscula quædam de Archiepiscopis Turonens. ac de Gaufridi Comitis actis subjecit Laurentius Bochellus historiæ Gregorij Turonensis anno Christi 1610. Diversus tamen stilus aliter suasit. Deinde quî fieri potest, si Gesta Consulum Andegavensium Johannis germanus esset fœtus, ut nullibi tum in hisce gestis, tum in historia Gaufridi prodiderit, agens præsertim de isto Comite, se hac de re aliàs scripsisse? haudquaquam profectò id omisisset. In more etenim historicis positum est, dum viri alicujus facinora in diversis libris repetunt, in posteriori opere memoriam refricare eorum quæ jam in alio præmiserint.

Tempus quo scripserit Auctor demonstrat in Epistola ad Henricum III. Regem Anglorum, tunc Andegavorum Comitem, cui suum consecrat opus de Consulibus Andegaven. nempe anno circa 1160. Ex variis autem Scriptoribus, quorum nomina refert, hoc idem opus à se con-

Digitized by Google

cinnatum fatetur his verbis pag. 400. *Vt autem in his quæ scripsimus, vel tibi, vel cæteris auditoribus sive lectoribus hujus historiæ occasionem dubitandi subtrahamus, quibus hæc Auctoribus didicerim breviter intimare curabo.* Quos verò recenset Auctores ad nos usque, præter Rodulfum Glabrum, minimè pervenerunt. Menda, scio, in nostra editione, Lector, agnosces: Verùm te condonaturum spero, si advertas nos unico usos esse apographo, quod licèt antiquum nævis scatebat quamplurimis. Mirum nihilominus in modum Gesta istiusmodi historiam Andegavens. illustrant, ubi præclara Comitum referuntur facinora, & quidquid ad genealogias & Comitum, & aliorum Nobilium spectat, accuratè satis & seriatim recensuit Auctor.

IX. Liber de compositione Castri Ambasiæ & ipsius dominorum gestis.

De compositione castri Ambaziacensis, ac gestis dominorum Ambaziacens. nunc pauca sunt proloquenda. Auctorem quidam Thomam Lochensem autumant. At obstare videntur nonnulla, ut his calculum adijciamus. 1. Nec in apographo recentiori, nec in Thuaneo codice scripto nomen ullum est præfixum. 2. Quod scribit Monachus Majoris Monasterij in sua ad Henricum Regem Anglorum epistola, dum exhibet Scriptores è quibus suam composuit historiam: *Primus*, ait, *Scriptor exstitit Thomas Lochensis, qui breves chronicas nomine Odonis Abbatis intitulatas, ut ab ejus ore didici, rescripsit.* Breves tantùm chronicas asserit Thomam conscripsisse, proin-

Digitized by Google

de non hiſtoriam Ambaziæ elucubraſſe. Enimverò in Opere quo de agimus Scriptor, quiſquis fuerit, præter Ambaziacenſium hiſtoriam, Comitum etiam Andegavenſium prolixè geſta deſcripſit ipſiſmet verbis, eodémque ordine quibus ille Monachus eſt uſus: qua de cauſa Comitum Andegavenſ. acta ex Ambaziacenſium dominorum hiſtoria prorſum expunximus, ne in uno volumine eadem repetita tædium generarent, ſtomachúmve moverent Lectori. Expungenda quoque fuerant, non neſcimus, quamplura quæ ſpongia & obelo indigent. Nam in quinque prioribus capitulis, antequàm nimirum Auctor aggrediatur texere geſta cùm Andegavenſ. Conſulum, tum Ambaziacenſium dominorum, paſſim menda, fabellas, & falſa complura intexuit. Nos nonnulla pleriſque in locis indigitavimus, incautiores ne impingant, cætera peritorum cenſuræ reliquimus.

Uter verò germanus ſit Auctor hiſtoriæ Conſulum Andegavenſ. Monachusne Majoris Monaſterij, an Ambazianus Scriptor, facilè non eſt, opinor, dijudicare; quandoquidem uterque non abnuit, immò palam profitetur ſe narrationis ſuæ materiam ab aliis hauſiſſe. Sed ſi conjecturæ indulgendum, potiùs Ambazianum, quippe qui poſterior ſcripſerit (ut quidem ſentimus) à Monacho geſta Conſulum accepiſſe exiſtimamus. Penes Lectorem eſto judicium.

Digitized by Google

Porro utramque hanc hiſtoriam Conſulum Andegavenſ. & Ambaſienſium dominorum ab annis jam multis legerat V. C. Hadrianus Valeſius Hiſtoriographus Regius, ac pluribus in locis mendoſam, & obſcuram reſtituerat illuſtraverátque. Obſervationes ſuas, quibus in hac editione uſus ſum, mihi communicavit humaniſſimè. Quam ſingularem ejus beneficentiam & in aliis Spicilegij Tomis frequenter expertus, peto Lector, ut mecum agnoſcas, auctoríque jam de te, immo de tota Republica litteraria optimè merito gratiam habeas.

X. Hiſtoria Afflegemenſis Monaſterij.

Hiſtoriæ Afflegemenſis, ſive ut recentiores loquuntur Affligenienſis in Brabantia librum ex antiquo MS. deſcripſit eruditus Aſceta Benedictinus D. Simon Guillemot, ſtrictæ obſervantiæ Cœnobij S. Ghiſleni Hannonienſis Subprior, & ad me à decennio benevolè tranſmiſit. Auctor fuit Monachus Afflegemenſis, ſuppar iſtius Monaſterij primariis Cœnobitis. Quàm illuſtre fuerit & ſanctitate & doctrina iſtud Aſceterium, legenti palam fiet. Adjecimus continuationem ſeu epitomen illius hiſtoiræ ex veteribus monumentis & authenticis conſcriptam à D. Odone Cambiero itidem Afflegemenſi, dum in vivis eſſet, in rebus antiquis apprimè verſato.

XI. Chronicon Barcinonenſe.

Subſequitur Chronicon Barcinonenſe ab anonymo collectum, quod repertum & quaſi ſepultum in codice Thuaneo cum aliis antiquio-

Digitized by Google

ribus ſcriptis, non modò eruit V. C. D. du Cange, verùm & nonnulla præpoſterè ab inſcio amanuenſi exarata, in ordinem Chronologicum redegit, atque publico bono illud profuturum ratus, typis vulgandum nobis obtulit.

XII. Addenda in Miſcellaneis.

Ceterùm cùm præter præmiſſa monumenta, aliquid amplius exigeret juſti voluminis magnitudo, nec tamen parata à nobis Chronica capere poſſet, in ſubſequentem tomum his rejectis, chartas non parvi momenti à viro inter litteratos inſigni Petro Franciſco Chiffletio S. J. Presbytero religioſiſſimo nuperrimè tranſmiſſas, unáque alias quæ nobiſcum communicavit D. d'Herouval, queis faciliùs huicce tomo finem imponeremus, plures ſelegimus atque edidimus cum hac inſcriptione: ADDENDA IN MISCELLANEIS. Illas autem chartas, & eorum à quibus accepimus nomina indicare haud prætermiſimus in Elencho.

Supereſt ut de duabus epiſtolis, quæ in ADDENDIS exſtant, nonnihil obſervemus. Prima eſt epiſtola ſive præfatio quam S. Martinus Dumienſis Epiſcopus ſuo *de Formula vitæ honeſtæ* libello præfixit. Equidem Libellus iſte non ſemel editus eſt tum in Bibliotheca Patrum, tum in Martyrologio Hiſpanico ad diem 20. Martij, ſed utrobique ſine epiſtola nuncupatoria ad Mironem Gallæciæ Regem, quam tandem ex MS. codice Vticenſis Monaſterij eruit D. Johannes Mabillon. In quodam exemplari manu exarato

Biblio-

Digitized by Google

Bibliothecæ Vallisſlucentis Libellus iſte prætermiſsâ epiſtolâ, hanc inſcriptionem præfert: *Martini Epiſcopi Scoti ad Milonem Regem Formula honeſtæ vitæ.* Verùm hîc error eſt amanuenſis: nam Martinum hujuſce Libelli Auctorem, non Scotum, ſed Pannonienſem, & quidem Dumienſem Abbatem & Epiſcopum primum fuiſſe nemo neſcit. Legeſis ejus elogium in Actorum Sanctorum Ordin. Benedictini ſæculo 1. ad annum 580.

Poſtremò obſervandum eſt, in epiſtola Formata Frederici Colonienſis Archiepiſcopi non reperiri numeros in fine apponi ſolitos, inſcitia haud dubiè Scriptoris. Etenim duplex eſt ordo numerorum in formulis antiquis litterarum eju ſcemodi, ut patet in exemplis, tomo 2. Concil. Gal. à Sirmondo relatis. Primus exprimit litteras verbi AMHN græcè ſcripti. Secundus ordo, ſummam numerorum tam communium quàm propriorum cujuſque epiſtolæ formatæ: uterque ordo in Epiſtola Friderici vitiatus appareret, uti & quinque elementa Græca, poſtremo ordine in apographo ſubjecta, quæ hîc præ formarum typographicarum defectu reddere nequimus. Erant autem, primò duplex nota, ea quæ ab antiquis Ennacos dicitur, ſignátque numerum nongenteſimum; tum litteræ T. H. & Σ, ſeu C, ſic enim antiquitus pingebatur. Attamen ex regulis Formatarum hæ ſubſcribi debuerant litteræ. Φ. P. Λ, O; nimirum Φ, pro

Digitized by Google

prima littera ſcibentis Frederici; P. pro ſecunda Brunonis cui ſcribitur; Λ pro tertia accipientis Balduini; O pro quarta civitatis Colonienſis de qua ſcribitur. Et ſi quinta eſſet adhibenda, erat E, pro quinta civitatis Treverenſis, ad quam ſcribitur. Quibus omnibus addenda erat Indictio.

Hæc ſunt quæ de præcipuis rebus hujuſce Spicilegij tomi decimi præfanda putavimus. Si quid in eo, benevole Lector, probaveris & ſtomacho tuo aptum repereris, uni ſoli Deo da gloriam, ac noſtrorum qualiumcumque laborum memor tuis precibus apud ipſum juvato, & vale.

Digitized by Google

ELENCHVS

CONTENTORUM IN TOMO DECIMO

SPICILEGII.

CONsultationum ZACHÆI Christiani & APOLLONII Philosophi Libri tres, *Pag.* 1
Ex MS. Cod. Bibliothecæ Thuaneæ.

Venerabilis BEDÆ Martyrologium heroïco carmine, 126
Ex MS. Abbatiæ S. Remigii Remensis.

Ordo Solaris anni cum litteris à S. Hieronymo superpositis, &c. sive vetus Calendarium, 130
Ex MS. Corbeiensis Monasterii.

MISCELLANEA EPISTOLARUM VARIARUMQUE CHARTARUM.

ANN. CHR. DCCCX. I. Epistola DUNGALI Recluſi ad CAROLUM Magnum de duplici Ecclipſi Solis anni DCCCX. 145
Ex MS. Abbatiæ S. Remigii Remensis.

DCCCLXXVI. II. Fundatio Monasterii S. Cornelii Compendiensis à CAROLO Calvo facta, 157
Communicavit V. C. Dominus d'Herouval.

MXC. III. GUILLELMI Comitis Tolosani, & GUILLELMI Barcinonensis concordia pro castro de Laurago, 162

MCX. IV. Donatio facta Monasterio (nunc Episcopatui) S. Pontii Tomeriarum à BERNARDO de Minerba in gratiam filij qui Monasticum ordinem suscipiebat inibi, 163

MCLVIII. V. Memoriale LUDOVICI VII. Regis Francorum. Libertates confert Episcopo & Ecclesiæ Laudunensi, 165

MCLXVII. VI. Pactum initum inter ILDEFONSUM Regem Aragon. & HUGONEM Comitem Ruthen. pro Vicecomitatu de Carladesio, &c. 168

MC-LXXXIV. VII. Jusjurandum GUILLELMI Montispessul. præstitum JOHANNI Episcopo Magalonensi, 171

MCXCIV. VIII. Sacramentum fidelitatis à GUILLELMO Montispessul. domino factum RAYMUNDO Comiti Tolosano, 172

MCXCIX. IX. Pactum initum inter ILDEFONSUM Regem Aragoniæ & BERNARDUM Atonis Vicecomitem Nemausensem. 174

Digitized by Google

MCCXII. X. PETRUS Rex Aragon. donat GUILLELMO de Montepeſſulano Montempeſſulanum & alia caſtra, de quibus GUILLELMUS præſtat ſacramentum, 178

MCCXLI. XI. Concordia facta inter JACOBUM Regem Aragonum & JOHANNEM Epiſcopum Magal. 181

XII. EDUARDI primogeniti Regis Angliæ litteræ procuratoriæ ad contrahendum matrimonium cum ALIENORA ſorore Regis Caſtellæ. 184

MCC-LVII. XIII. ARTAUDUS de Roſſilione filium ſuum Guillelmum emancipat, dátque ipſi Caſtrum-novum. 186

MCCLX. XIV. ARTAUDI de Roſſilione donatio facta GUILLELMO filio emancipato. 188

MCCLXIV. XV. PETRUS filius Regis Aragonum dotem CONSTANTIÆ uxori ſuæ conſtituit, 189

MCC-LXXV. XVI. Conventiones pro matrimonio contrahendo inter JOHANNAM filiam BLANCHÆ Reginæ Navar. & filium primogenitum PHILIPPI III. Regis Franc. 196

MCCC-XXVII. XVII. Concordia inter JACOBUM Regem Aragon. & JACOBUM Regem Majoricarum, 197

MCCC-XXVIII. XVIII. PHILIPPI VI. Regis Francorum. Hortatur Italiæ dominos &c. ut Romanam Eccleſiam propugnent, expugnéntque hæreticos recèns exortos, 205

MCCC-XLIII. XIX. JOHANNA renuntiat bonis mobilibus & debitis mariti ſui PHILIPPI Regis Navarræ defuncti, dum cor ipſius Pariſiis in Eccleſia Dominicanorum ſepulturæ traderetur, 208

MCCCLI. XX. Inſtitutio Militum Stellæ (*vulgò Chevaliers de l'Eſtoile*) à Johanne Francorum Rege, 215

MCCCLII. XXI. Litteræ ejuſdem Regis. Fundatio Eccleſiæ (quam Nobilem Domum vocant) Canonicorum S. AUDOENI prope S. Dionyſium in Francia, ubi Milites B. MARIÆ congregari debeant, 218

MCCCLIV. XXII. Litteræ ejuſdem Regis ejuſdémque argumenti, 221

MCCC-LXXXII. XXIII. Litteræ bullatæ, quibus CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ inſtituit, ac Ludovico Duci Andegavenſi tribuit, 225

MCCCC-LVI. XXIV. JACOBI Scotiæ Regis ad CAROLUM VII. Regem Franciæ, 243

Hactenus ex ſcriptis codicibus D. d'Heronval, qui & pleraque ſua manu deſcripſit.

Geſta GUILLELMI Majoris Epiſcopi Andegavenſis ab ipſomet conſcripta. In his multa refert quæ ad libertates & jura Eccleſiæ Andegav. atque ad Eccleſiaſticam ſpectant diſciplinam, 247. *& ſeqq.*

Indicavit cod. MS. ac conceſſit D. d'Heronval.

Digitized by Google

Historia Prælatorum & possessionum Ecclesiæ B. MARIÆ de Fontanis, à Peregrino ejusdem Ecclesiæ Abbate, 367
Ex apographis Illustriss. Viri D. Michaëlis de Marolles Abbatis Villa-Lupa.

Historiæ Andegavensis fragmentum prolixum per Fulconem Comitem Andegavensem, 392
Ex iisdem.

GESTA Consulum Andegavensium, Auctore Monacho Benedictino Majoris-Monasterii, 399
Concessit D. d'Herouval.

LIBER de Compositione Castri Ambasiæ, & ipsius dominorum gestis, 511
Ex MS. cod. S. Laudi Andegav. à D. d'Herouval communicato.

Historiæ Afflegemensis liber unus, 585
Continuatio ejusdem, 610
Ex MS. Abbatiæ Afflegemiensis.

Chronicon Barcinonense, 621
Eruit ac descripsit V. C. Carolus du Fresne D. du Cange.

ADDENDA IN MISCELLANEIS.

DLX. I. Libellus MARTINI Episcopi ad Mironem Regem Galliæciæ, 626
circiter. *Ex MS. Abbatiæ S. Remigij Remens. erusit noster Iohannes Mabillon.*

DCXCII. II. Privilegium Monasterio Dervensi virorum, & alteri Puellarum à CLODOVEO III. Francorum Rege concessum, 627
Descripsit ex tabulario Dervensis Monasterii R. P. Petrus Franciscus Chifflet.

DCCLVI. III. Privilegium à Theodorico Rege Bercharío Abbati & Mo-
LXXXVII. nachis Dervensibus datum, 631
Idem descripsit ex eodem tabulario.

DCCC. IV. Adnotatio de Synodis, 632
Erusit D. Iohannes Mabillon ex cod. Remigiano.

DCCC. V. Excommunicatio lata ab Archiepiscopo Senonensi in per-
circiter. vasores rerum Ecclesiasticarum, 635
Ex vetusto Pontificali MS. à D. d'Herouval.

MXIV. VI. S. Henricus Imperator Petro Episcopo & Abbati S. Michaëlis in Porcariana, bona & jura confirmat, 637
Descripsit R. P. Petrus Franciscus Chiffletius.

MCXV. VII. Frederici Treverensis Archiepiscopi litteræ formatæ, 639
Ex cod. Cistercienst descripsit D. Iacobus de Lannoy.

MCLII. VIII. Henricus Trecensis Episcopus Bernardum Clarav. Abbatem mittit in possessionem Bullencuriæ, ultrò cedentibus qui eam

Digitized by Google

obtinebant Augustinianis Canonicis, 640
Ex apographo R. P. Petri Franc. Chiffletij.

M C- LXXXVII. IX. Guillelmus Montispessulani contrahit matrimonium cum Agnete, 641
Eruit D. d'Herouval.

M C C- XXIII. X. Statuta Ludovici VIII. Regis Franc. quibus Communiam apud Crispiacum instituit, 642
D. d'Herouval ex membranis descripsit.

M C- XLIII. XI. Ludovicus VII. Rex Franc. decimam panis ad Curiam suam allati dum Parisiis moraretur, concedit Monialibus Hederensis Abbatiæ, 647
Idem descripsit ex Hederensi Chartulario.

M C L X I. XII. Idem Rex dat iisdem Monialibus quidquid percipere solebat de Parisiensi Capiceria, Sede Episcopali vacante. 648
Ex eodem.

M C C L X X X. XIII. Privilegium Ecclesiæ S. Juliani Brivatensis concessum à Carolo Calvo, confirmatum à Ludovico VII. & à S. Ludovico. 649
Ex chartis eiusdem.

M C C C X X I. XIV. Philippi V. Regis Franc. ordinationes pro æqualibus ac similibus ponderibus ac mensuris in universo Regno instituendis, & eximendis dominij sui bonis abalienatis vel usurpatis, 652
Ex membranis D. d'Herouval.

M C C C- XXVIII. circiter. XV. Philippus VI. Rex Franc. præcipit Bernardo de Moreul ut Gallicorum castrorum depositâ Præfecturâ, regimen suscipiat atque institutionem Johannis filij sui primogeniti, qui patri successit, 651
Ex iisdem.

M C C C C- XXXVI. XVI. Patres Concilij Basileensis mutuò accipiunt pecuniam ab Abbate Cistercienſi, 655
Ex authentico Abbatiæ Cistercienſis descripsit D. Iacobus de Lannoy.

M C C C C- XVII. PHILIPPUS Dux Burgundiæ scribit CAROLO VII. Regi
LVI. Franc. quid Delfinus eius filius agat, 656

M C C C C- XVIII. JOHANNES Borbonius Episcopus Podiensis pecuniæ summam confert Regi Franc. Ludovico XI. qui bellum tunc temporis gerebat, 658
LXX.

M C C C C- XIX. Litteræ LUDOVICI XI. ad Cancellarium nomine Doriole,
LXX. ob Augustam Viromanduorum sive S. Quintini urbem à Comite-stabuli occupatam, 659

M C C C C- XX. SANCTIUS Garsias Episcopus Lomberiens. scribit Ludovico
LXVIII. XI. quæ in Legationis munere gesserit apud Regem Castellæ, & quòd Rex ipse paci inter eos initæ subscripserit, 661
Hucusque ex chartis D. d'Herouval.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV. Privilegio, die IV. Junij MDCLXIX. concesso, & ejusdem anni ejusdémque mensis die VI. in Typographiæ Parisiensis Codicem relato, cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. Superior Generalis Librum, cui titulus est, *Veterum Scriptorum Spicilegium*, in plura volumina distributum, per quem maluerit Typographum, nevè alius citra ejus consensum, edat: uti uberiùs Diploma ipsum explicat.

Idem Superior Generalis facultatem dedit Viduæ Caroli Savreux Bibliopolæ Parisiensis, imprimendi Tomum decimum Spicilegij Veterum Scriptorum, die 2. Junij 1670.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSULTATIONUM*

ZACHÆI CHRISTIANI

ET APOLLONII PHILOSOPHI

LIBRI TRES.

* *In MS. cod. S. Martialis Lemovicensis.* *Altercatio Apollonij Philosophi cũ Zachæo Christiano. *Et in MS. cod. S. Arnulfi Metensis.* Incipit Præfatio Zachæi in libro consultationũ. *At in duobus Thuan. codd. MS. titulus obliteratus sive extinctus est.*

Incipit Liber primus.

PRÆFATIO.

APUD quosdam contradictio Gentilium, quia sit ab omni vera sapientia exul & vacua, spernenda potiùs videtur esse quàm refellenda; cùm in contemptu ejus fastidium inutile; in informatione autem dũplex bonum sit, quòd & Religio nostra sit sancta & simplex, omnibus intimatur. Et solent eo docti credere quod spreverint nescientes. Visum est ergo rem magnam licet tenui stylo condere, & clariùs quidem à multis, sed sparsim dicta corpore quodam credu-

Digitized by Google

dulitatis aperire; atque introductâ ſciſcitantis reſpondentíſque perſonâ paulatim conſultationes de contradictionibus facere. Itaque ne ſibi velut abſenti præjudicatum Gentilitas quereretur, & ut ille ait, ne *inquam* & *inquit*, ſæpiùs interponeretur, placuit Gentilitatis adhibere Philoſophum, qui in præfatione propoſitionis ſuæ dum de credulitate noſtra adrogantiùs diſputat, breviter quid credere debeamus exponit: membratim poſtea perſcrutans omnia, ſubcreſcentibus interrogationum cauſis Fatum homini non eſſe cognoſcet: de quo præcipuè ob Matheſim aliquantiſper reſultans, ſicut de ceteris, ad extremùm Fidei manus dabit. Noſter verò in expoſitionem venerandæ Religionis ſenſim lenitérque deſcendens, ex multis atque inenarrabilibus pauca & ſumma perſtringet, rationem, quæ ſola ab hujuſmodi diſputatoribus quæritur, ſic ubi terrenis intellectibus deeſt, Fidei ſpiritualiter commiſſam demonſtrans, rerum indiciis non ſoliditatibus moraturus, quoniam admotum cæcis oculis lumen ſi ſplendore non cernitur, calore ſentitur.

Digitized by Google

INCIPIT APOLLONIUS PHILOSOPHUS.

CAPUT PRIMUM.

IN tempore, *Zachæe, ut mihi, * & his qui adsunt, oportunitas præstitit, ut quæ olim abusivè præloquebamur, nunc liberè proferre liceat & probare. Omnes enim Religionum Sectas, & universos sacrorum ritus rationabilibus manasse primordiis facilè intelligas, si diligenter inquiras: vestræ autem credulitatis Secta ita superflua & irrationabilis est, ut mihi nonnisi per stultitiam recipi posse videatur. Quid enim tam absurdum, & ab humanâ ratione tam discrepans, quàm ut Christus, quem Dei filium dicitis, Deus & homo pariter idémque credatur? Conceptum sine semine virgo pariat? Deus nascatur ex femina; per consequentes postea ætatum gradus terreni actus humilitatem cognoscat, sentiat, patiatur & perferat? fixus deinde cruci mortem adeat, atque ad extremum mortuus à se suscitetur? Nec sufficit hujus persuasionis auctoribus tam stultæ rationi * adgregare consensum, nisi & immortales Gentilium Deos fastidiosa infestatione condemnent. Vincentem præterea æternitate sua mundum velut temporarium brevémque despiciant; sibi sine Fati ullius constitutione de Gentilibus post resurrectionem corporum mortuorum immortalitatis beatitudinem pollicentes. Cujus observantiæ rationem (si tamen ratio dicenda est, hominum stulta persuasio) si reddere potes vel audes, eam * præsentium examinatione demonstra; ut aut convictus ab errore discedas, aut me, eadem conditione superatum, traditioni tuæ concilio teste conjungas.

Cod. Ar. * Apollonius dixit: Zachæe. *f.** & mihi.

Asserit Gentilis absurdum esse Deum fieri hominem mori, &c.

Cod. Ar. * traditioni.

Cod. Ar. * cum.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Audire quidem quivis facilè potest, & de Deo verum proferre, si

Digitized by Google

tamen quidquam ex Divinis vestræ sapientiæ congruum, talisque justitiæ non abhorrens possit expromi: vestræ enim sententiæ est, sapientem nihil opinari, nihil credere, non falli, sed per se omnia scire, & occulta atque ignorata non perpeti, nec majorem Creatori possibilitatem facere, quàm creaturæ, æquè de Dei sensu atque hominis judicare: & præcipuè adversùm Christianos hanc disputationis intentionem tenere: unde hæc quoque collectio tua cœpit quod priùs damnaveris, postea velle cognoscere.

Quis apud Gentiles sapiens.

CAPUT II.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. FAcilitas me vestræ credulitatis, & contra totius mundi rationem legémque naturæ suscepta confessio vehementiùs loqui, & districtiùs disserere coëgit. Veruntamen si est respondendi fiducia, hanc primùm mihi fidem pande, quomodo Christum videre Deum vel Dei Filium vultis, quem postea & hominem non negetis: cùm utique aut Deus aut homo debeat prædicari, quia omnium intellectibus patet, alterum fieri posse, simul utrumque esse non posse.

Objectio: Christus & Deus & homo simul esse non potest.

ZACHÆUS CHRISTIANUS*. Vestrarum argutiarum est ista subtilitas (quòd credi nolitis) recepta primùm parte destruere, & ad hoc exiguis manus dare, ut integra subruatis. Unde maximè ad vos silentium præstat; quia cùm sit levior culpa non deferre quàm lædere; vos nec credere Deum vultis*, & loqui sine ejus injuria non potestis.

al.* Zachæus respondit.

al.* vos non credere vultis in Deum.

CAPUT III.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. AT ego horum tractatuum conlationes semper prodesse dubitantibus credo, & quibusdam inquisitionum rivis ad veritatis fontem venire expertus adfirmo; ac præterea universarum sectarum esse doctrinas, ut audiendo intelligas quod ante nescieris: faciliùs enim, si ratio suppetat, credi audita possunt, quàm inaudita cognosci. Qua de

Digitized by Google

re, si dignum est, speciatim pande proposita, ne in vacuum certantibus nobis hi qui præsentes sunt, non sperato intellectu sed fastidio compleantur.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Dignum planè est cælestium consiliorum sacramenta cognosci, & tam simplex de Christi divinitate atque elucens per se veritas est, ut eam licet dignè nemo eloqui possit, quivis tamen facilè intelligat si voluntatem exhibeat crediturí: qua in re etiam ego, qui sum Christianorum minimus, non reticerem nisi per legem talium altercationum occasiones vitare præciperer. Ubi enim nullus profectus est, conflictus inhibetur. Unde si disputare tantùm & convinci impunè niteris non crediturus, Epicureos ac Platonicos, cæteráque similium sectarum ostenta perquire, *Nos talem consuetudinem non habemus.* 1. Cor. III. 6.

CAPUT IV.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. OMmissa ista hæc facito, nequaquam à proposita conditione discedens, ut eum scilicet altera pars sequatur, qui hisdem audientibus in fine superaverit. Et quia verè, ut ipse dicis, pro religione loqui nemo oneri justè reputat, membratim universa dicturus de Christo primùm evidentem pande rationem, ut si Deum vel Dei Filium probare potueris, cæteríque ab eodem gesta aut gerenda memoratis, faciliùs adquiescam; nec me pigebit liberè credere quod Dij non potuerint prohibere.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Et ego per ipsum credo quia excitare sibi incolas etiam ex lapidibus potest, te à Gentilitatis errore facilè posse deduci, si eum cujus majestatem vel conscius negligis, vel ignorans requiris, depósito falsæ sapientiæ supercilio confestim, ubi rebus agnoveris, corde non renuas: ecce enim munitum Christi fide loquentem Dij tui audient, nec prohibebunt. Sed te miror formam totius scientiæ præferentem, an sit Deus Christus vel Dei Filius dubitanter inquirere, qui non nescias etiam vestrorum auctorum volumina testari ejus Divinitatem, Matth. 3. 9. Ex Gentilium auctoribus probat Christũ esse Deum, ac crucem pertulisse.

Digitized by Google

Cod. Ar. * præferre.

& Crucem quam irridetis proferre *; ex quibus interim duorum exempla nunc proferam. Plato enim, quem doctissimum ac sapientissimum perhibetis, cùm de revelanda Christi majestate loqueretur, his verbis etiam signum illius intimavit futurum adstruens Deum, cujus signum circumrotundatum & decussatum est: Sibyllæ perinde prædivina, ut adsentis, carmina proprietatem sancti nominis personarint cum dignitate naturæ, hæc eadem Deum postea uno verso* crucémque signavit, quam vos multis disputationibus refutatis, prædictum poëma ita ponens:

** Cod. Ar.* versu.

Felix ille Deus ligno qui pendet ab alto.

Vide distantibus quidem verbis, expressam tamen utriusque confessionem. Ille futurum designat, quia manifestandum in homine sentiebat. Hæc felicem eum vocat, quia divinam prævidet in hominis fragilitate virtutem, & in ejusdem hominis morte victoriam. Quos tamen non idcirco consequi convenit, quia his velut per somnium veram sapientiam loqui aliquando permissum est, neque ut Gentilitas meruisse ex Deo præscientiam videretur; sed ut Deum Christum ac Dei Filium etiam vestri loquerentur auctores, qui cùm penè in omnibus falsi sint, in hoc probabiliter erraverunt.

CAPVT V.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Bene quidem utriusque dictorum ad tempus reminiscéris, sed quia probandi libertas est, præcedentem sententiam tuam pari liceat sermone cohiberi; Quòd hi quorum auctoritas recipi in omnibus debet, in hoc fortè humaniter erraverunt. Unde si verè Christus Deus vel Dei Filius est; non veterum tantummodò literis, sed præsentibus edoceri debet exemplis.

Dæmones etiam Christum agnovere Deum.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Quàm iniqua est Gentilis persuasionis intentio, cùm pro se adserit, suis utitur; cùm revincitur, nec suis credit. Non est tam inops fidei nostræ aut egena defensio, ut in sui probatione externis tantùm testimonijs innitatur, nec

Digitized by Google

quod intra ſe eſt foris quærit. Audi immundos dæmoniorum ſpiritus, quæ veſtra ſunt numina, ſub hujus vocabuli invocatione conterritos Chriſtum Deum & Dei Filium non negare, ac velut reos cùm tormenta ſæviunt quæſtionum, non quod placeat dicere, ſed quod extorquetur fateri, & ſi credulitati noſtræ & fidei derogatis, Dijs ſaltem veſtris credite; aut ſi ulteriùs pudor non eſt, negent homines quod etiam dæmones confitentur.

CAPUT VI.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. QUid mihi varia dæmonum pro omni ratione commenta, & volubilem incertorum ſpirituum pro tota fide niteris objectare ſententiam? Si vobis hæc ſola probatio eſt, ad prædictorum auctoritatem honeſtiùs recurretis.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Æquum eſſet veſtrorum vos primùm teſtimoniis credere; deinde invitam dæmonum confeſſionem non levi æſtimatione penſare: quia niſi inviſibilibus cruciatibus agerentur, liberè utique pro ſe faciliùs dicerent, quàm ſemper contra ſe mentirentu. Sed cùm in re omni inæſtimabiles ſint divitiæ Dei, maximè in honore ſui nominis adprobando, provocandíſque ad fidem hominibus majeſtatis vera diffunditur. Unde ſi hæc parva ſunt inaudita, curationum remedia ſuccedunt, & inenarrabilis Dei etiam in mortuos porrecta beneficia. Jubente itaque Chriſto cæci illuminantur, auditus redditur ſurdis, claudi ambulant, mundantur leproſi, mortui ſuſcitantur. Quæ ſi ab eodem geſta non creditis, fieri ab hominibus in nomine ejus aut facta cognoſcite, qui utique ſi Dei Filius aut Deus non eſſet, vel falsò induiſſe hominem crederetur, nec invocatus adſiſteret, nec profutura indigentibus ſigna præſtaret; quia apertè intelligi poteſt nec Deum adquieſcere mendacio, nec homines per mendacium ſigna poſſe promereri.

Deum probant Chriſtum miracula quæ ipſe patravit.

Digitized by Google

CAPUT VII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Viderentur hæc à fide non abesse quæ loqueris, si credulitatem sequentia mererentur: nam ut alia interim taceam, veniendi ad terras Deo quæ ratio aut necessitas fuit?

Non necessitate Deus hominem induit, sed mera voluntate.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Deum quidem necessitas nulla complectitur, quia semper liber & nulli est obnoxius passioni, ipsi per semet subjecta sunt omnia, nec cuiquam ipse subjectus est. Verumtamen absoluta est ejus & certa sententia; *Nisi credideritis non intelligetis.* Proinde si animum in tenebris oberrantem ad superni intellectus lumen erexeris, ut Deum quæcumque velit credas & posse, veniendi eidem ad terras, immo quia ubique semper est, in homine ut visibiliter appareret, necessitatem quidem, quantum in ipso est, non deprehendes, sed cum ratione fuisse intelliges voluntatem.

CAPUT VIII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Sicut ea quæ velit Deum posse ambigi non potest; ita eum nolle contraria ac se indigna perspicuum; atque ideò si necessitas non fuit, cum ratione edoce voluntatem.

Solo amore, ductus naturam humanam suscepit.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Hoc primum menti tuæ trade quæcumque idem inter homines Deus ostendit, suscepit ac pertulit, causa est vel servandi humani generis vel reparandi: in quo ita beneficia sua quæ à principio dederat semper dilexit, ut plus veniæ largiretur indultis quàm pro ultionibus mali pensaret. Propter hominem volumina scripturæ referta exemplis præteritorum, & adhortatione presentium, futurorum præterea spe, metúque completa sunt, ut si ad agnitionem Creatoris & cultum, qui est summa justitia, non illicerent promissa fidelia, denunciati examinis formido constringeret. Cùm hæc igitur constituta parum proficerent per Prophetas, præsentiam sui Salvator indulsit, ut salutis nostræ opus integrum cum prædicatione

Digitized by Google

prædicatione virtus impleret, nec semper à solo homine castigatio venire putaretur. Cùm in Christo & doctrina, actibus & signis divinitas eluceret, nósque ad imitationem justitiæ ac sanctitatis non vi cogeret, sed mirabilibus invitaret. Itaque opus tantæ dignationis acturus quemadmodum debuit ad terrena descendere, nisi ut illum in suo fragilis hominum materia sustineret, quem erat visura præsentem, docentem auditura, imitatura operantem.

CAPUT IX.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Esto veniendi ad terras probabilis cum voluntate ratio videatur; quoniam pro hominis miseratione Deus venisse perhibetur, numquid nam ei impossibile fuit ex quacumque sublimiore materia incorruptibile corpus efficere, quo adsumpto ita homini opem ferret, nè corruptibili homine gravaretur?

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Omnia Deus ex voluntate sua faciens, nihil quod sibi grave sit velut coactus adsumpsit, sed sicut falli non potest, ita ipse non fallit; verum ergo ab eo fieri, non simulatum decebat, nec prestigiorũ more phantasiam pro homine monstrari, sed ut hoc esset quod esse vellet videri. Itaque in homine vero pro omnium salute venturus, & nasci debuit, & per ordinem vitæ ætatis incrementa susceipere, ut simul & ea doceret quæ facere homo possit, nec fieri præciperet quod non priùs ipse per hominem adsumptum fecisset.

Voluit eo quo cæteri modo homine fieri, ut verum se probaret habere corpus.

CAPUT X.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Fiat si libet certandi ex hac quoque parte compendium. Nonne hoc saltim indignum fuit intra uterum femineum coalescere, aut credibile potest eum nasciturum sine semine fuisse conceptum?

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Dixi dudum, intellectus fidem sequitur; nec nisi per fidem quæ sc altiora sunt & Deo proxima, humana mens percipit*: *al. perspicit.

Digitized by Google

si enim ex non subsistenti materia, vel ex quacumque, ut paulò ante dixisti, Deus cùm vellet & facere hominem potuit: nempe faciliùs de subsistenti sua, ut & nihil non verum, & mirum magis esset, quod & morem nativitatis impleſſet, & permixtionem seminis non haberet, vel quod animal aut elementum Deo carius quàm homo est, quæ tantæ formationi materia, quàm sanctæ Virginis aptior, intra quam Spiritus Dei electo puriſſimorum viſcerum flore corpus effecit, in quo Filius Dei inter homines converſatus habitavit? Quod ne incredibile videatur per Spiritum Dei fieri potuiſſe, intuere quid mundi ſpiritus poſſit, qui utique non Deus ſed unus ex operibus Dei est, quàm facilè diſſolutam naturaliter humum rigore conſtringat, aquas vertat in glaciem ex iiſdem, & nivem gignens quæ pondus levitate, colorem candore commutet, idem chryſtalla flatibus duret, naturæ ſuæ non receptura ſuam mollitiem; & poſt hæc Deo impoſſibile fuiſſe credis quod esse poſſibile intelligis creaturæ.

Ex Virgine abſque ſeminis permixtione conceptus eſt Chriſtus.

CAPUT XI.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. ETiámne Virginem peperiſſe teſtamini, creatio enim ſicut adſeris de incorruptibili Deo, ſed ex materia corruptibili effecta quo pacto modum propriæ fragilitatis exceſſit?

ZACHÆUS CHRISTIANUS. O mundi ſapientia divinum in tua perſuaſione nihil ſentiens! Dei opere fieri intra hominem omnium audis ſalutem, & cùm ſine turbatione corporis conceptum intelligas, abſque ejus diſſolutione prodiſſe non credis. Ubi est ergo beneficium aut potentia Dei, ſi humanæ fragilitati ſacra conjunctio nomen tantùm communicat non honorem? Tu Chriſtum ex hoc vel maximè Deum esse non credis, quia contra conſuetudinem humanæ nativitatis natus prædicatur ex Virgine. At ego hinc eum magis tranſiſſe in Dei gloriam credo, quòd conditioni noſtræ etiam ſecundùm hominem in aliquo diſſimilis, & naſcendi ordinem decenter implevit, & materni corporis integrita-

Virtus ac potẽtia Dei in hoc maximè enituit.

Digitized by Google

tem nascentis necessitate non solvit. Dubium ergo non est cùm sit creatio de spiritu incorruptibili, Dei incorruptibilem etiam editionem fuisse, & quod erat fragile hominis, Divinitatis potiùs virtute servatum, quàm id quod erat Dei fragilitate hominis imminutum.

CAPUT XII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. PONe, ut ita se Christi Divinitas & nativitas habeat, quia propter Deum, quam rationi semper immisces, etiam Virginem parere potuisse judicandum est; quid momenti fuit infantem in cunis vagisse, deinde in puerili ignorantia remoratum, aut lubricum adolescentiæ tempus annis non transisse majoribus, ut possibilitate divina statim à firmitate virili quæ erat gesturus inciperet?

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Ex hoc tibi vitæ ipsius ratio adjuncta Divinitatis voluntate respondit, ut qui convalescentis uteri moras tulerat, tempora servaret ætatis. Nec dedignaretur ut homo vivere, qui dignatus fuerat ita nasci. Quando enim verum induisse hominem crederetur, nisi hos vitæ gradus transcucurrisset? Sed fortè spernere aliquid de homine debuit, qui ad edocendam humilitatem & patientiam veniebat, quanto modestius in se Deum & hominem probans & mira pertulit*, & infirma non respuit. Inde in mœrore doluisse, dormisse in lassitudine, in inedia esum desiderasse, fleviſse in luctu, & gemuisse in morte perscribitur; ut cùm Deum verum quæ superiùs comprehensa sunt sublimia opera demonstrarent, verum hominem flebilia loquerentur. Cùm & quæ nobis sunt propria suscipiendo pertulerit, & quæ soli Deo possibilia verbo cùm* voluerit effecta præstiterit.

Sicut Deum se probârat mira operando, ita hominem humilia & infirma sustinẽdo demonstraret.

Cod. Arn. prætulit.

Cod. Arn. quæ.

CAPUT XIII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. MEmini dudum & curationum varietates, & mortuorum suscitationes fuisse prolatas; in quibus tamen specialem Christi admirationem fuisse non video: siquidem cùm &

Digitized by Google

peritiores Magi mortuos suscitent, & medici universis debilitatibus remedia largiantur.

Ostendit Zachæus Magos dæmonii arte homines delusisse, Christum verò miracula, non medicorum more, non incantationibus, sed Divina virtute peregisse.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Nec me præterit magicis carminibus non mortuorum sed dæmonum spiritus evocari, eosdémque per phantasiam paulisper simulare quod non sunt. Conditionem præterea addere falsitati, ut aut non visi respondeant, aut si videntur obticeant, ut imprudentium vota debilia vana umbrarum inludat effigies, defunctorum autem animæ resolutis corporibus ad sedes debitas perducuntur, ac pro meritis usque ad futuri judicii diem vel in locis beatorum morantur, & subjectæ Magorum invocationibus non sunt, aut quibusdam clausæ carceribus venire ad superna prohibentur: ita fit ut iisdem venire vel dedignantibus, vel retentis earum similitudinem dæmones fingant, ut & fallaciæ quam diligunt semper interfint, & credentes talibus veri imitatione frustrentur. Medicorum verò medelæ multis herbarum confectionibus nec statim nec omnibus prosunt; & si quando altior ægris morbus inoleverit, aut igni viscera exusta torrentur, aut ferro pernicies occulta resecatur; nihil in remedium imperio agitur, nihil solo sermone perficitur. Et certè fateri omnes possumus derogare medicinam *ex eo quod sit in homine, posse, addere non posse quod non sit: quæ Christi operum contra reputatio est. Cæcus materias luminum ab initio non habens, & vacua oculorum loca præbens, limo inlitus quemadmodum erat primùm homo factus visum recepit: gressum nescius jubetur incedere: solutus in muliere venarum sanguis, dicto sistitur; imperio auris solidatur abscissa, nec medicamine fugit lepra sed verbo: huc tabefactum sepulcris cadaver & prodire jubetur, & vivere; nec subitam præsentiam cernentibus præstat, sed cunctis hominum actibus interest, atque annos victurus exultat. Quis præter Deum quinque panibus tantùm plurima hominum millia pascere ita potuit ut saturaret? Quis mare pedibus ingredi & immensum ambulando liberè calcavit elementum, ut famulantibus viæ fluctibus figeret firma vestigia? Qui

al * medicinæ.

Digitized by Google

ventis jubere, & ſævientes in tempeſtatem procellas ſermone compeſcere? Quis de aqua vinum facere, & ex eadem in eamdem natura ſine intellectu demutationis melioris ſpeciei præſtare profectum: quæ Chriſtus in homine agens ut ſe & Deum probaret multis videntibus fecit? Itaque ſi echo loquenti, aut fontibus ſpuma, vel vero lumini umbra coæquanda eſt, non indigna comparatione junguntur opera hominum virtutibus Dei: cùm hîc, hæc tantùm remediorum mora ſit, ut prodeſſe jubeantur; illic præſtita per laborem priùs pœnè quàm ſentiantur, evaneſcant.

CAPUT XIII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. SI prędicta miracula, ut credi ſtudes, manens in homine Deus præſtitit, numquid ſuſcipere & pati Crucem voluit? aut quam ob cauſam erepturus à morte alios, morte non caruit; vel quemadmodum aliis proderit qui ſibi prodeſſe non potuit, cùm in hoc magis fidem de ſe ambigentibus munire debuerit, liberaturum & alios fore qui hoc primum in ſua liberatione monſtraſſet. Qua in re aut rationem prodi neceſſe eſt, aut credulitatem non exigi ſatis juſtum.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Etiam in hoc æſtimatio tua * fallitur, ut in Crucis adfixione Divinitatem credas injuriam pertuliſſe, quæ incomprehenſibilis & libera nec pati potuit, nec teneri, ſed quemdam de diabolo per aſſumptum hominem egit triumphum, cùm in ligno victoriam carnis imponens, eum ſine ſui injuria per hominem ſuperavit, qui hominem cum Dei injuria egerat in delictum. Homo ergo non Divinitas cruci data eſt, & qui per lignum peccaverat fixus in ligno eſt, atque hæc Deo fuit aſſumendi hominem præcipua ratio vel voluntas, ut peccatum ab homine contractum per hominem tolleretur, & ab illo fides reſurrectionis inciperet, quem primum reſurgere debuiſſe conſtaret: purus enim & ab omni immunis delicto pati pro omnibus voluit, ut non ſola poteſtate ſed merito omnibus præfer-

al. * tui.

Quare Crucem ſubire voluit Chriſtus. Non Divinitas ſed homo paſſus eſt.

Digitized by Google

retur. Vides ergo quæ sit Divinæ pompa virtutis vitæque victoria, mortem non meruisse sed merentibus abstulisse, & vexillo spiritalis triumphi culpam materiæ adfixisse non propriam, quoniam quicumque alius dum à peccatis nemo hominum liber est, pro se tantùm vitam dedisse, illum oportuit pro omnibus interire, qui pro se noxæ nihil debens, cùm condemnari non posset, adquieverit & occidi, nè nos perpetua mors teneret.

CAPUT XV.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. REmoto hoc interim, ut quis iste diabolus vel unde sit dicas, quem incentorem nescio cujus peccati fuisse confirmas, ipsum, si non piget, hominis pande peccatum, cujus tanta atrocitas sicut adseris fuit, ut nisi per solam Christi Crucem non potuerit expiari; inspecta enim si qua est criminis qualitate, quid hæc Crucis prædicatio tantopere elata præstiterit, promptiùs elucebit.

Primi hominis peccatum explicat.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Non piget planè offensæ veteris explanare principia, & quem mali gradum primi hominis transgressio fecerit, simplici narratione contexere, ut qui peccati tantùm causas audire desideras, etiam Creatorem humani generis propiùs agnoscas. Cùm enim Deus omnia fecisset ex nihilo, habitatorem mundi hominem finxit ex limo, rudique adhuc & exanimo corpori spiritum sensúmque largitus est; spiritum quo communem carpimus aërem, quo membra provehimus; sensum quo à cæteris animalibus discrepamus, tum vivendi proprium arbitrium addidit liberum, in omnia imperium tribuens, tum immortalitas cum conditione permissa est, & in voluntate lex posita, non quæ observatione difficilis periculum inferret ignaro; sed quæ ostensa nè usurparetur, tantam Creatoris gratiam cum immortalitatis beneficio custodiret. Sic posito itaque homini inter delicias Paradisi, amœnissimi scilicet loci, & nulla aurarum intemperie ac varietate corrupti, ex omni pretiosarum arborum fructu edendi copiosa datur facultas; sed in multis unius tantùm arbo-

Digitized by Google

ris usurpatio prohibetur, ut interdictam eamdem arborem semper intuens homo, ejus qui interdixerat meminisset, & prælatis omnibus præesse non sibi obliviscereturauctorem; ac sibi ita omnia subjecta cognosceret, ut ei qui sibi subjecerat, esset ipse subjectus: simul ne homo rationabilis factus sicut bruta animalia sine observatione torperet; sed ut eo quem solus præcipuum acceperat sensum, inter præceptum ac beneficium & cavere intelligeret & mereri.

Huic beatitudini diabolus invidens per serpentem, qui erat cæteris animalibus prudentior, mulierem primùm, id est inferioris sexus hominem, & ad credendum animi facilioris inlexit interdictum gustatum arboris temerare, per eamdem postea virum simili falsitate decepit, futuros adserens Deo similes si ejus ligni pomis non abstinerent, quod velut ideò Divinitas excepisset, nè cælestem scientiam cum hominibus partiretur. His deceptos *dolis in* peccatum praviſſimum compulit, ut se per transgressionem præcepti Creatori similes esse, quamvis non possint, velle tamen ausi sint. Hac fraude immortalitatis beneficio spoliati de paradiso ejiciuntur, ex illa inviolabili temperie detractis, & sub hoc corruptibili aëre victuris pellicius statim vestitus imponitur, & ad quærendum victum labor improbus deputatur, ut solum verterent nil sponte præbiturum, & inter spinas ac tribulos desudantes, quamvis plura congererent*, mortis tamen sententiæ subjacerent.

* *Cod. Arn.* cogerent.

Hæc interdicti prima transgressio malorum omnium causa mortísque principium, nec tamen in vindictam Dei promptam patientia sententiæ inrogavit effectum, sed vim severioris edicti temporis interpositione mollivit; ut meritum veniæ esset ex labore pœnitentiæ, ac lapsi observationem justitiæ vel posteros edocerent, cujus* gratiâ restitui vitæ quam amiserant possint qui per se graviter corruissent. Hæc intervalla * pietatis ac salutaris viæ tramitem non per conversionem * satisfactio tenuit, sed vitiorum * potiùs incrementa creverunt, & sequentium hominum consumpsit abusio; ita ut postea

Causa omnium malorũ, mortísque transgressio.

* *Cod. Arn.* quorum.

* *Cod. Arn.* inter bella.

* *Cod. Arn.* conversationem.

al. * amorum.

Digitized by Google

mortis convalescente sententia, ardentium criminum labem diluvij infusio sola restingueret.

CAPUT XVI.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. SUspectæ audientiæ est præterire quæ permovent, nam si Deus & impassibilis & bonus est, quemadmodum nunc aut iratus aut vindicans est? ira enim passibilem significat, ultio malum.

Deus quāvis impassibilis est iratus passibilis probatur.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Æquus humanorum actuum Deus judex est, qui reddit bonis præmia, malis pœnam; bonus, cùm retribuit; cùm vindicat, justus. Unde ira non passibilem significat, sed improbantem, & non malum vindicta, sed justum.

CAPUT XVII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. CEdendum est reverentiæ Divinitatis, maximè cùm hoc semper credi de Deo debeat quod pro honore sit dignum. Unde ad suspensum articulum narrationem reducens, quemadmodum post diluvium vel facti homines vel nati sint, si auditu dignum est consultus expone.

Quid actũ post diluvium.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Dignum planè Dei erga nos ab initio pandere medicinam, & post diluvium servatum in Noë humani generis semen expromere, atque hinc progeniem venisse per posteros, non jactis post tergum lapidibus puerili modo Deucalionem Pyrrámque confingere. Itaque terra diluvio eluta, Noë tantùm, quia solus justus inventus sit, ad propagandum humanum genus cum progenie reservato, mortis tamen adhuc sicut nunc manente sententia, ut ex merito conversationis cum resurrectione immortalitas redderetur, aliquamdiu apud homines justitiæ forma duravit, & exempli memoriâ viguit disciplina, ac reverentia terrore servata est. Sed sicut semper longa prosperitas ex abundantia securitatem, ex securitate abolitionem, ex abolitione abusionem creavit, obliti metum oblivisCuntur auctorem, & à vitiis in sacrilegia proruperunt; jam nec terris habitare

Digitized by Google

habitare contenti, tamquam ascensuri cælum extruunt turrem, & hominum manu nubium celsa temerantur. O inexplicabilis bonitas Dei, & nulli, ut dignum est, eloquenda miseratio! Deo non obedire mors justa est, & Dei sedem adpetisse impunitas fuit.

Intuere Divinæ clementiæ lenitatem, temerarii non puniuntur in scelere, sed ab scelere deducuntur; & ubi sævire debuit cæleste judicium, præstantur signa virtutum. Insuper pœnitentiæ via & intellectus aperitur; nam cùm esset adhuc eo tempore unus omnibus sermo, in numerosas, quæ nunc per orbem sparsæ sunt, gentes lingua dividitur singulorum, & in opere ferventissimo, hoc tantùm unusquisque loquitur, quod solus intelligit. Cùm enim in extructione sceleris perseveraret audacia, repentè nesciunt rogare poscentes, obedire nesciunt ministrantes, & quæ molientibus velut necessaria ingeruntur, adversa sunt; sic non pœna, sed tædio, cœpta linquuntur, ut miraculis ad omnes postea cum stupore formido sine supplicii perveniret exemplo; cùm quam ob causam linguæ prioris notitiam perdidisset, gentis suæ in quam sermonis novitatem transierat, unusquisque narraret.

Sed quid prodest crimina texisse diluvio? Quid hanc insaniæ machinam indulgentia destruxisse non pœna? Ecce iterum ô homo in Dei injuriâ elementa confundis, honorem & cultum invisibilis majestatis ad visibiles transferens creaturas. Si altitudinem suspicis, Deus supra est; si magnitudinem, ille immensior qui ubique est; si splendorem, Creator est clarior, & qui fecit speciem necesse est hac virtute à se facta præcedat: sit postremò hæc inter Creatorem creaturámque distantia, ut sic admirationem quæ cernimus habeant, ut ea quæ ob majestatem videre non possumus, cultum cum reverentia non amittant.

CAPUT XVIII.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. SI horum quæ recolis fides vera est, inæstimabili modo Dei erga homi-

Digitized by Google

nes, ac sine fine patientia est. Sed quoniam opere turris obmisso, per omnem terram gentes factâ linguarum diversitate memorasti, quemadmodum cum Moyse Judæorum subrepserit secta; aut quam ob causam tot sæculorum temporibus absumptis latio legis emerserit, cùm hominis sensibus naturaliter lex inserta sit, si facultas scientiæ est, arrepto ordine ingravanter eloquere.

Alius codex MS. & cod. Arn. * *addunt, & incipiunt.*

ZACHÆUS CHRISTIANUS. A primo homine usque ad quod dixi tempus per successionum gradus Dei notitia tenta est; lex autem etsi non scripta litteris, sicut ipse professus es, sensibus erat inserta naturaliter, sed postquam * abolitioni utraque cesserunt, Abraham vir fidei singularis eligitur *, quem patrem totius credulitatis ob hoc meritum Deus statuit, quòd primùm incunctabundus domum, patriam propinquósque per vocationem Dei ad ignota & peregrina iturus reliquit, nè servituti Idolorum degens inter proximos dederetur, & gratiam fidei quam jam merebatur, & erat aucturus amitteret, aut certè tepidiùs retineret, in sua iterum & uxoris senectute postrema, jam membris per ætatem frigentibus, nascituram sibi filium, quia hoc ei Deus promisisset, non desperavit, credens naturæ difficultatem Divinæ sponsionis possibilitate vincendam, quem postea cùm esset ei unicus, Dei jussu cædendum aræ incunctanter admovit; præstare ampliùs Creatori, quàm affectui studens, simúlque confidens etiam de ambustis cineribus reddi sibi integrum posse, quem Dei causa ignis ussisset. Verùm numquam credentibus clara Divinitas non orbari lectissimum virum * passa est, sed tantùm probari; nam sub ictu gladij jámque ferientis arietem subjecit intento hostiam mitiorem, ut & absque pietatis dispendio devotio compleretur, & nihilomi us gratiam fidei acciperet quæ Deum affectui prætulisset.

Ubi populus Judæorum de Ægypto liberatur à primo, &c.

* *Cod. Arn.* quia.

* Abraham tanquam credentium pater à Deo eligitur.

* *Cod. Arn.* eum.

Primus Abrahã circumcisionẽ accepit.

Tali igitur credulitate promissionem affluentis terræ secuturo semini meruit, & Judaici Princeps populi Circumcisionem primus accepit. Non quòd præputium justitiæ præjudicaret aut fidei, vel aliquid superfluum in homine Deus creasset, quod postea juberet abscidi; sed

Digitized by Google

ut inter alias gentes signaculo corporis electi viri soboles nosceretur.

Itaque plebs eadem ob inopiam earum quas inhabitabat regionum transit in Ægyptum: non quòd his Deus quocumque loci præstare abundantiam non valeret; sed ut rursum educturus ex Ægypto quantus esset mirabilibus edoceret, fit magnus ex hac progenie populus, & usque ad invidiam multitudinis paucitas crescit; ita ut cùm sibi prævalituros Ægyptij formidarent; tamquam debitæ subditos servituti indignis operibus adficere niterentur; sævâ insuper edicti violentiâ virilem sexum ab utero neci dabant, ut oriundos expositio labor validos absumeret, & sub his afflictionibus auctorem Deum sibi à majoribus traditum peregrina plebs convenit, & in sui liberationem cultam per Patres poscit Divinitatem, qua factum est ut contra vim crudelis edicti Moyses primùm à parentibus educaretur occultè; inventus deinde à filia Pharaonis, cùm ob metum præcepti esset expositus, omni Ægyptiorum informaretur sapientia, atque ad liberandum Dei populum præcepta susciperet, ne vel indoctus casualiter, vel mediocris intellectûs, institutus omni eorum sapientia non fuisset, incautus quæ susceperat & credidisse videretur & gerere. Huic per ignem de rubo Deus loquitur, & valitura in Ægyptios signa demonstrat: quibus utique & hi crederent quorum servitus solvebatur, & qui renisuri erant deterrerentur, possétque in hac prodigiorum ostentatione gens utraque servari, cùm Dei manu evidenter inspectâ, & converti ab impietate sua contumaces admonerentur, & liberarentur adflicti.

Captivita Juædorum in Ægypto.

Miranda patrat Moyses.

Tum Moysi emissionem memoratæ plebis ex Dei auctoritate poscenti cum Pharaone Ægyptiorum Rege Magi resistunt, & fallere eumdem prodigiorum quæ fecissent imitatione nitentes*: nec cedit aliquantisper similitudo veritati, signísque phantasia, sed obniti utcumque permittitur, non ut prophanorum falsitas vinceret, sed ut Dei virtus latiùs eluceret. Nam cùm plagarum diversitates in causa signi sicut Moses faciebat,

al. * Magi prodigia facere permittebatur ut Dei virtus latiùs eluceret.

Digitized by Google

idem quoque facere viderentur, revocare non poterant quod feciſſent. Et ſicut hæc monſtruoſa ſcientia ſolet, nocere noverant, ſuccurrere neſciębant, malorum quæ ipſi intulerant ceſſationem ab eo rurſum quem imitari conabantur orantes. Sic ad extremum dimittere populum inimitabilium ſignorum impoſſibilitatis ſuæ confeſſione compulſi ſunt; admonentur Dei judicio profecturi celebritatem gaudij ſub brevi ſimulare diſceſſu, & ad ornatum, abſentium ſolemniorum impetrare hoſpitum cenſum, eumdémque pro diuturni laboris merito retinere: non fraudis ſtudio, ſed honore mercedis inde luſi *, cùm adhuc de opum retentatione nihil ſcirent, quos ad iter oratu compulerant, recrudeſcente malitia cum ira inſequuntur emiſſos, & imminente Ægyptiorum exercitu ſpes evadendi metuentibus deeſt, cùm & à tergo hoſtes inſiſterent, & mare à fronte oppoſitum prohiberet.

Judæi ab Ægyptiorum ſervitute & perſecutione mirè liberantur.

* *f.* ij deluſi.

Adeſt territis Deus, & in ſummo deſperantium metu cæleſte pugnat auxilium, interjectæ primùm per diem tenebræ velut objectu impenetrabili præcedentes defendunt, & à perſequentium impetu mutata elementorum vice tuetur trepidos ſubita noctis infuſio. Virgâ deinde Moyſes percutere pelagus jubetur immenſum, atque ad præbendam tranſeuntibus viam profundi aquas imperio removere, celſa altrinſecus undarum acies erigitur, & tamquam ad ſignum bellici moris diſpoſitos ſtare diceres fluctus, ac mare muri ſimilitudine ſolidatum intelligentis obſequio dividitur, panditur ſiccum gradientibus ſolum, & ima pelagi ardua laterum mole vacuantur; populóque in littus aliud evadente, cùm perſequentes abeuntibus imminerent, ictum ſimiliter per Moyſen rurſum in ſe convenit mare, & tamquam ob Dei injuriam vindicis elementi immenſitas recurſu tumidiore conflueret, innumerabilis curruum & equorum cum electis aſcenſoribus multitudo ſubmergitur; mixtáque arenis bellatorum manus tamquam non fuiſſet, obtecta eſt.

His primordiis ab Abraham Moyſe duce plebs ad-

Digitized by Google

sumpta Judæorum est; & post transitum maris usque ad eremum, in qua quadraginta annis mansere, perducti sunt: hoc per noctem columna lucis tanquam iteneris dux ijs præibat, eadem etiam per diem ne fessos lassitudo conficeret, in nube præcedens ab æstus injuria vindicabat. Ita prorsus famulantibus elementis Dei auxilio usi sunt, ut in ejus beneficiis non sola cælestis potentiæ dignatione, sed & paternæ pietatis indulgentia fruerentur, & cùm inter admirationem ac necessitatem stuperent, signa & pericula non timerent.

Deus Judæos in eremo fovet ac nutrit.

CAPUT XIX.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. Grata est quidem cognitio prædictorum, sed nisi rationis plenitudine muniatur infirma est. Quid igitur fuit causæ, ut emenso mari tantis rerum miraculis liberati ad eremum ducerentur, aut cur postea in desertis tam longi temporis ablegatione cruciati sunt, cùm illis præterea alimoniam, cæteráque vitæ necessaria horrens regionum nuditas non præberet. Unde ergo multitudini pastus; aut quam ob causam hæc tantopere liberatis pœna fuerit; vel quemadmodum postea lex lata, deprome.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Nec pœna illud relegationis fuit, nec in desertis ac squalentibus locis necessaria defuerunt, sed pastus hominum exhibitione pretiosior & eremi ipsius circuitio congrua, atque hæc præcipua morarum causa, ut & illic præcedentia miraculorum augerentur exempla, & quia semper adsueta diligimus, providendum fuit, nè statim ad promissionis terram brevi ac recto itinere pervenirent, quibus ad Ægyptũ revertendi voluntas, sicut confestim probatum est, posset aliquando subrepere, cùm etiam in summa abundantia incognitæ regionis adsuetorum desideriorum & prophani sacrorum ritus, à quibus maximè arcebantur, occurrerent; nè expellendarum præterea ex iisdem regionibus gentium, licet prævia divinitate illis non inlatura dispendium, statim bella terrerent. Simul etiam ut post eremi injuriam promissa habitatio plus placeret, quam licet

Quomodò Deus Judæos nutrierit, legemque tulerit.

Digitized by Google

per se inæstimabilis amœnitas commendaret, præteritorum tamen recordatio faceret aptiorem. Et vide clementem in sua patientia Divinitatem, victum non supplici sperantibus prece, sed deesse tumultuariè quærentibus, nubem quamdam præstat annonæ, & Angelorum cibo corpora humana vescuntur: ita ut nocturnæ largitatis infusio non quærelæ tantùm intercluderet locum, sed usui congesta supereſſet. Illic per omne quod dixi tempus mirum in modum, non calceamentum, non vestis atteritur, nulla perinde capillorum aut unguium excretio dominata est, sed velut immortalitate jam reddita immutabilem hominis formam simplex servavit integritas.

Populus Judaicus in varia crimina impiè labitur.

Illic Moyses ad suscipiendam legem vocatur in montem, & quadraginta diebus ac noctibus Dei tentus alloquio, scripta in lapideis tabulis refert præcepta. Prô nefas! corruptos sacrilegio quos reliquerat deprehendens, dum adhuc manna & cælesti oblectatione essent refert. Cùm enim ejusdem Moysi moras velut non redituri idem populus incusaret, prædicta abundantia saturatus citò à quo ex Ægypto eductus esset oblitus est; poscere per luxuriam quos coleret Deos cœpit, missisque in ignem mulierum monilibus, illi se dandum professus est religioni, quæ culti in Ægypto Idoli formam referret. Reversus Moyses fideliter sævit in facinus, & redacto in pulverem tauri capite quod factum in similitudinem abominationis Ægyptiæ fuerat, delatas * in legem tabulas indignatione confringit, indignos fore Dei litteris judicans quos talis ausi execratio polluisset. Nec priùs ab iræ impetu destitit, quàm missis per castra sectoribus * multorum cæde piaretur admissum, & sedata injuria Dei refecta in tabulis reportarentur præcepta, quorum reparatione monstratum est, Deum non odisse quos permiserit corrigi, sed deleri noluisse quos sic voluerit castigari. Hæc ergo eremi circuitio, hæc erga susceptam semel plebem beneficia Dei quadraginta annis durarunt, tum lex divinitùs lata est, quæ sui edictione non præceptorum novitatem, sed reparationem

al. * delectas.

* *à seco, sectum, sector.*

Digitized by Google

juſtitiæ naturalis adferret, ut quod antè pauci admodum & ſapientes ſciebant, omnes nunc intueantur, & perlegant, nec excuſandi habeat ignoratio locum, cùm id quod ſibi ingenitum quis fore non ſentit, non ſolis ſenſibus quærat, ſed viſibus recognoſcat.

CAPUT XX.

APOLLONIUS PHILOSOPHUS. HÆrere naturaliter humanis ſenſibus legem, & ineſſe omnibus intellectum quid noceat ac proſit, quid æquum aut injuſtum ſit, aperta cognitio eſt, quando & diligere proſpera ſcimus & odiſſe contraria, ac ſimul placita alij præſtare ſit bonitas, & rurſum improbitas alij quæ diſpliceant irrogare. Unde quid ampliùs lex per Moyſen lata detulerit, quàm natura tradiderat, niſi edictorum qualitas exponatur, intelligere non poſſum.

ZACHÆUS CHRISTIANUS. Dei agnitio & cum dilectione formido lex prima eſt. Deum enim noſſe quid prodeſt, ſi diligere ac timere non cordi eſt? Conſummatus deinde juſtitiæ ordo ſubſequitur, ſtudere pietati, & in obſervantias bonorum operum mentis puritate tranſcendere. Ineſt præterea præſens pœna commiſſis & piacula junguntur offenſis, ſummáque edictorum concluſione præcipitur, ne alijs facias quod fieri tibi nolis; & rurſum, ut alijs facias quod fieri tibi velis. Creatio perinde mundi hujus inſerta eſt, & hanc elementorum conſpirationem idem qui ex nihilo fecerat fabricator expoſuit, ſui indicans operis, quæ illi coæterna humanus error invexit.

Quid lex per Moyſem lata præcipiat, prohibeatque.

Poſt Moyſen currentibus temporum ſpatijs, cùm per abuſionem ſalutarium præceptorum idolorum cultus increſceret, additur frequens increpatio Prophetarum*, & adventum Chriſti quem jam experti ſumus, & nunc opperimur, multa curationum genera denuntiant ac præcedunt. Deus enim nè vel rarò vindicet ſæpiùs comminatur, iræ cæleſtis ſeveritatem timeri magis quàm exerceri cupiens. At contrà Judæorum contumax natio non ſolùm corrigi detrectat, ſed argui dedignatur, Dei-

Dei miſericordia erga Judæos.

* Cod. Ar. populorum.

Digitized by Google

que imperio missos Prophetas diversis mulctavere supplicijs, ut humanarum superstitionum traditio præsumptis honoribus non careret, intentiosa pravitate designans* Dei se forsitan præsentia corrigendos, quem tamen postea trucidantes post signa atque virtutes credere noluerunt, cùm & venturum sciissent, & veniisse cognoscerent.

f. * dedignans.

CAPUT XXI.

APOLL. Si igitur tam necessarius adventus illius fuit;
PHILOS. Ut per se formam justitiæ præbiturus pati pro omnibus non recusaret, in morte propria spem novæ resurrectionis ostendens, cur & Dei beneficium & salus hominum tantorum temporum dilatione tardata est?

Rationes adferuntur cur distulerit Deus homini succurrere; narrátque quæ ante Filij Dei incarnationē acciderunt.

ZACH. CHRIST. Grandis, ut inspicere potuisti, dispensatio Dei humanum à principio genus tutata semper est atque servavit, ut si breviter summa perstringas, vides ad hoc divinæ providentiæ ordinem concurrisse, ne justo judicio Dei necesse esset homines aboleri: potuit enim mortis sententia in prima statim transgressione compleri, ut temeratores punirentur edicti, & tamen pro ratione pœnitentiæ vivendi tempus indultum est. Subcrescentibus postea sceleribus terra corrumpitur, sed ita pollutio eluitur elementi, ut per Noë humani generis reliquiæ reserventur. Post diluvium valida jàm & multiplex manus in ædificationem turris insurgit, & non extinguitur pro immanitate ausi, sed ut corrigi possit cum admiratione dispergitur. Postmodùm non cessante perfidia, sicut Noë in diluvio ob generationem, ita Abraham ad propagandam fidem in quadam vitiorum inundatione secernitur, multiplicatus per ejus progeniem populus Ægyptiorum contagione polluitur, & ad Dei cultum non judicij severitate, sed beneficijs signísque revocatur: iterum in eremo Deos sculptiles faciendo à vero Creatore discedunt, tamquam tunc primùm factis hominibus, aut in sensu non habentibus legem, lex Dei sermone conscripta Moyse deferente transmittitur.

Cùm verò nihilominus impietas serperet, prædicatio adjungitur

Digitized by Google

adjungitur Prophetarum, & interjectis temporibus Divina providentia semper in speculis aut ab errore prohibet, aut mediocriter vindicans viventes in errore castigat. Ipse ad extremum cæli terræque & hominis Conditor, velut magnæ familiæ Dominus fidelibus famulis ante præmissis, potentiæ suæ largitus adventum, assumptionem terreni corporis pro hominum salute non spernens, atque in ipsum quem induit crucis passionem mortémque convertens, & plenitudinem legis exhibuit & salutis.

Quæris cur antè non venerit? Nonne impromptu est tardari debuisse postrema, finémque differri, ut plenitudinem justitiæ plenitudo temporum custodiret, & inter traditionem ac judicium per prolixitatē abolitio non auferret, quod magna Dei dignatio præstitisset? Si enim vel mediis vel quibuscumque antè tēporibus Christus venisset, jam non sola abusio fidem, sed cum abusione tulisset, & oblivio, nulláque justitiæ cura hominum corda morderet; quoniam difficiliùs antiquis credendum esset exemplis, cùm vix recentibus fides detur. Ecce adhuc Dominicæ crucis ac mortis indicia felicis sepulcri exuviæ continent, & signatus à præsenti multitudine locus post resurrectionis visum cælestem testatur ascensum, pœnè adhuc solo residente pedum pressa vestigia, ac lustratæ operibus regiones virtutum exempla demonstrant, & à multis Christus aut quia fuit mortuus, Deus esse non æstimatur, aut quoniam si Deus fuisse mortuus, & post mortem resurgere potuisse non creditur; cùm præter cætera & mors hominem probet & resurrecto Deum. Extant præterea Apostolicæ conversationis actus, & formam justitiæ sequi prout à præsentibus edocemur, cùm ea quæ fecisse legimus vivos etiam ante defunctorum cineres fieri sæpè videamus, vix propinquitate finis & instantis examinis terrore compellimur, relictis idolis, veram colere Divinitatem, & inter primum quem novimus ac secundum Christi quem expectamus adventum, brevitate salutari atque ipsis temporum arctamur angustiis, nec oblivionem admittere præceptorum, nec pro- Nota.

Digitized by Google

missæ beatitudinis desperare proventum. Necessarium ergo vides fuisse, ut intercluſione sæculorum nec periclitari fidem sineret propinquitas adventus alterius, & servari justitiam imminens judicii terror exigeret; præcipuè cùm maxima esset & perfecta delaturus, & quæ perfecta sunt nisi postrema esse non possunt. Videro* enim quantos anterior illius salvasset adventus, plures certè quàm nunc faciet, cùm à fide invenerit alienos, posterior perdidisset; quoniam quem talium curationum remedia non sanarint, denunciati examinis ordo damnabit, párque in desperationem perpetuitatis esse expectatio potest, Deum per legem scire, & nolle justitiam, quàm ea agere quæ justitiæ videantur, & Deum per legem nolle cognoscere.

f.* vides.

CAPUT XXII.

APOLL. PHILOS. NOn ignoramus animas depositis corporibus ad Deum, id est ad auctorem proprium remeare, sed in his priùs contractam humanis actibus labem ætherio igne purgari, ut Deo iterum ex quo utique sunt, puræ ac simplices misceantur Unde si hoc fortè judicium vultis videri, non præfinita universorum consummatio efficit finem, sed ordo decedentium.

Animæ hominum non ex Deo sunt, sed à Deo factæ.

ZACH. CHRIST. Tota in errore est vestra definitio; quemadmodum animæ hominum judicium susciperent si ex Deo essent? Simplex enim substantia Divinitatis non purgatur, quia nec pollui potest: necesse est enim ut purgatio passione non careat, quam sicut scimus substantia Divina non recipit. Animæ ergo hominum non ex Deo sunt, sed à Deo factæ, & opus Creatoris non consortes Divinitatis. Cùm verò prædicti judicij tempus advenerit, defuncta quælibet olim receptura sunt corpora, ut cum* ijsdem aut justè acta percipiant, aut iniquè perpetrata patiantur. Christus autem manifestè iterum de cælestibus veniet, illius coram tribunali adstabimus, illius sententiâ universorum merita pensabuntur, & qui sub judicio passus est, judicabit, nulla iniquitatis vestigia relicturus, cùm & fidelibus immortalitatem reddat in regno, & incredulis perpetuum in dolore cruciatum.

al.* in.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

APOLL. PHILOS. HOccine etiam adseri à sapientibus potest, antiquas mortuorum favillas, & in sepulcris sæculorum ætate consumptis vix ossium cinerem residentem, rursum in corpora posse componi, ac pristinum membrorum vigorem dubij pulveris collectione solidari? unde animas cuilibet judicio subdi posse facilius adquiescam, quàm mortuorum corpora in vitæ ordinem posse revocari.

ZACH. CHRIST. Et admonitionis meæ & tuæ sponsionis oblitus es de resurrectione, si Deo aliquid impossibile contendis. Qui igitur quod non erat fecit, ergo ut sit quod fuerat non potest facere? aut non etiam nobis difficilius est facere quod non fuerit, quàm reparare quod fuerit? Sed hanc Dei possibilitatem æstimatio humana non capit, si hoc præsentes non edocent creaturæ, si tempora specierum varietate non signant, diversæ arbores hyemis rigore nudantur, & decussis foliis periisse cum gratia spem germinum credas. At ubi lenius veris tempus adflaverit, mirum in modum humor radicibus tentus celsa conscendit, candorem cum specie, quem in ligno non habuerat, in floribus creans fructus adjiciuntur in pomis, & quidam vestitus in foliis, quódque in arbore non erat videtur in tempore. Quid jacta in agris semina? nonne plenam fidem resurrectionis ostendunt? Aperiuntur terræ viscera, ut nuda sulcis grana mandentur; quod humus non texerit, vires non habet renascendi: unde etiam in parvis potentiam Creatoris considera, nisi putruerint semina non resurgunt; & nisi priùs mortua non reviviscunt. Numquid sulcis viventia sunt demersa, aut cum calamis operta latuerunt? Unde ergo ex uno multiplex semen? Unde cum aristis novus palearum candor emergit? Quo pacto ex radice vis germinis scandit in spicas, vel quemadmodum postea ex viridibus herbis alba mollities mutatur in farra? Quæ certè similiter fieri posse non crederes, nisi semper videres. Quod ergo in his quæ ad victum hominis pertinent, ut ab initio Deus

Probat corporum post mortē Dei virtute resurrectionem.

Digitized by Google

ſtatuit, terra ſic reddit, in ipſius hominis reparatione non faciet, qui mirabilium Dei teſtis effectus in ſe neceſſe eſt poſt reſurrectionem maximè ſtupeat, quod in ſubjectis antè laudavit? Unde horum omnium ratione perſpecta, defunctorum cineres vel favillas ſemen corporum eſſe non neſcias, ex quo in adventum majeſtatis ſuæ Chriſtus ſecundùm merita excitabit & formas. Parum eſt enim Divinæ clementiæ ſpecies tantùm reparare quæ fuerint, niſi & bonorum corpora ſplendor exornet, & malorum confuſio deformitatis obſcuret.

CAPUT XXIV.

APOLL. PHILOS. PONe interim quod de ſepulcris tamquam ex notis ſedibus mortuorum favillæ reparentur in corpora; & quia condita membra animæ noverint ex iiſdem locis confidenter repoſcant, quid eos qui fluctibus merſi ſunt, belliſque proſtrati, & poſt latronum cædes exequiis funebribus caruerunt, eſcis non ſepulcris membra linquentes, numquid credibile eſt in eadem quæ habuerint corpora poſſe reſtitui, cùm etiam reliquiæ cinerum non queant inveniri?

ZACH. CHRIST. Si Deum poſſe omnia crederes, hoc denique factu* facile judicares, neque humana diſputatione diſcerneres. Utrum fieri poſſit quod faciundum ille dixiſſet: & ideo fides ſummum præ bonis omnibus meritum eſt, quia quæ Deus dixerit implenda non dubitat. Rei autem hujus hæc ratio eſt, elementa omnia, cunctæque creaturæ nullo quidem nobis ſenſu intellectúque reſpondent, & ad obſervantiam tantùm proprij miniſterij videntur bruta ſubſiſtere, quoniam vel indigni eorum imperio ſumus, vel mundi arcana neſcimus: Deum autem & intelligunt & verentur, atque ita juſſis illius obſecundant, ut ad nutum præcepta mox impleant. Quælibet ergo exeſis corporibus piſcium, beſtiarum alitúmque digeſtio aut aquis miſcetur, aut terris: nec fieri ullo pacto poteſt, ut ex eo quod qualitercumque ſubſtiterit, nihil reſtet, ſed pretioſiorem materiem quacumque deciderit, hæc duo elementa conſervent, &

*al. factum. Iterum probat licet corpora à beſtiis exeſa, in aquis ſuffocata, &c. tamen eſſe reſurrectura.

Digitized by Google

in se velut speciali colore distinctam resurrectioni redditura custodiant, nec residere umquam velut perditum poterit quod & Divinitùs inquirendum est, & sponte promitur; sic famulantibus cunctis disperforum viscerum reliquiæ in suam formam corpusque redituræ sunt; ita ut in resurrectionis miraculo inde fidei meritum credentibus augeatur, unde aliis incredulitatis augmentum est.

CAPUT XXV.

APOLL. PHILOS. JAm dudum in hoc tractatus tui tendit intentio, ut cùm elementa singula ex nihilo facta commemores, etiam mundum quem ex semetipso esse, & sua credimus æternitate mansurum, & initio minuas & fine concludas; ac licet adsertionis tuæ ordinem teneam, quo factum à Deo in præcedentibus meministi: quemadmodum tamen inexplicabilis poli molem aut factam credi velis, aut sicut nunc est non semper futuram, ratione confirma.

ZACH. CHRIST. Omnia igitur elementa quæ vos Deo velut coæterna numeratis, ab ipso, sicut jam dixi, & ex nihilo facta sunt, & in hanc mundi formam mirabili consperatione* sociata, quæ sicut initium ex Dei creatione sumpserunt, ita perennitatem ejus beneficio consequentur: & ideo ei coæterna non sunt à quo facta sunt; quia nulli dubium est auctori quælibet non solùm paria non esse, sed esse subjecta. Hoc autem intellectui apertissimè patet mundum ex pluribus fuisse compositum; unde adverti facile potest non illi inesse, sed præesse Divinitatem, quoniam alterius adjumento Divinitas sola non indiget, sed una in se & simplex atque perfecta est, quia incorporalis & ideo invisibilis & incorruptibilis Deus est: quæ in hujus mundi actu & contemplatione non ita sunt, sed corporalia esse, etiam ea quæ ex ipso mundo gignuntur ostendunt. Quæcumque præterea ab eodem vel agi cernimus vel creari sub dispositione Divina, non suæ voluntatis, sed officii sunt. Aspice transitûs solis lunæque discursus, & utrique quotidie per

Mundus nō æternus, sed à Deo creatus, & destruendus quando ipse voluerit. al. * comparatione.

Digitized by Google

vicissitudines temporum vel ortum vel occasum esse repetendum. Adventu noctis sol diem perdit, quem tamen nec semper objectu nubium velut excluſum inluminat. Luna sui patitur detrimentum, & plenitudinem luminis sub constitutione rectoris aut perdit, aut recipit: varius præterea syderum lapsus & rationi signa famulantia, & intumescens notis mensibus mare, & sub certa horarum dispensatione * excessum modúmque custodiens aut sereno quiescit, aut tempestate turbatur. Terra imbribus infusa mollitur, eadémque rursum aut gelu stringitur, aut calore siccatur: quin & aspectum Dei metuens contremiscit, & se imperio subditam motu * fatetur. Ipsum aërem pernicioſior halitus sæpe corrumpit, & postquam gravaverit, efficit pestilentem: vincuntur piis ad Dominum precibus pluviæ, & prolixa rursum serenitas supplicatione mutatur, cunctáque aut impositæ serviunt rationi, aut in usum hominis necessarium sub religioſa deprecatione vertuntur.

Cod. Arn. dispositione.

* *al.* muta.

Hæc vos adpositis nominibus pro Deo singula atque universa veneramini. Quod si ita est, falsò Dii æstimãtur, & error impromptu est; si verò aliquos qui iisdem ex arbitrio Dei præsint, apertæ stultitiæ est subijcienti æquare subjectos. Dij enim plures non sunt, sed unus nascentium viventiumque formator sicut fecit omnia & regit, parique imperio vel mansura efficit vel casura decernit. Vides ergo Deo soli initium non adponendum, à quo omnium processit exordium, nec consempiterna majestati illius æstimanda; quæ ut æterna sint, sicut de homine, ipse facturus est. Illo enim advenient destructa in melius mutabuntur, ut immortalia cum homine perdurent, quæ nunc utique nostris criminibus licet invita & gementia aut passione tamen polluuntur aut visu; quoniam quæ à passione immunia sunt, contaminantur aspectu. Ita fiet ut etiam elementis cum homine in melius innovatis, memoria auctoresque intereant vitiorum; cùm etiam illa purgentur quæ ingenitam puritatem non factis sed factorum scientiâ perdiderunt.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

APOLL. CREdi quidem arduum est, ut mundus tanta
PHILOS. virtutum admiratione consistens aut destrui umquam possit, aut refici; sed quia immutandum Dei possibilitate confirmas, quid futurum sine illo erit? aut qualis reparatio est effectura clariorem, cujus tanta vel magnitudo vel gratia est, ut nec magnitudo ejus ratione aut notitiâ deprehendi, nec splendor possit augeri? Quæ ergo super hoc definitio vel sententia sit sequenda, promissæ instructioni convenit non sileri.

Post mundi destructionē erit cælum novum & terra nova, ac justi summa atque æterna felicitate fruentur.

ZACH. CHRIST. Rectè quidem dicis, intellectibus nostris ad integrum in Dei providentia indeprehensibilem esse rationem, sed præsentis gratiæ formam multiplex splendor auctura est: quoniam longè amplior ei à Creatore lux veniet, quàm ab eodem inserta creaturis. Ergo invisibilia metiri ex visibilibus nos oportet, & incorruptibilia de corruptibilium admiratione pensare; justis autem in gaudia æterna surgentibus, cœlum novum & rudis terra revelabitur: multiplicatum perinde supra solem ex Dei conspectu se lumen infundet; quia multo magis sol à Deo distat, quàm nos ab eodem sole distamus. Hi potiùs quos ad hanc vitam diversis justitiarum gradibus merita provexerint, splendorem solis habituri sunt, & ita singuli indepræ felicitatis honoribus perfruentur, ut nec altior efferatur, nec spernatur inferior, sed gaudia sua unusquisque sic diligat, ut claritatis distantiam pari immortalitate compenset. Nulla tum interjectio noctis continuitatem diei luciscque violabit, præsens enim cernentium visibus Deus & beatorum lætitiæ semper socia Divinitas obscuritatem fugabit, diemque junctura est. Non livor miseros, non suspicio vexabit incautos, nullus animi ac viscerum dolor, nullâque peccati vel necessitas, vel occasio, vel voluntas mortem aut mereri faciet aut timeri: vernabunt cuncta cum fructibus omnium specie nulla temporum varietate mutata: odor cum amœnitate certabit; non illic importunæ obscuritatibus pluviæ, aut perennis auræ libertatem rigor

Digitized by Google

calórque corrumpet: sed manebit perpetuò blanda temperies, & inæstimabilia illius beatitudinis gaudia præteritorum recordatio nulla vexabit, ita ut præsentis mundi usum etiamsi abolitio futura non tolleret; transisse tamen gauderent justi potiùs quàm dolerent.

CAPUT XXVII.

APOLL. PHILOS. MAgna est, sicut dicis, adhortatio futurorum, sed nondum gentilium vana potuit religione, aut vacua honore Divinitatis numina nuncupari, quando & certa ex adytis responsa præstantur & futura noscuntur in templis, quæ si & vera sunt & quærentibus prosunt, frustra Christiani destruere conamini quod eripere non potestis.

Quæ à Diis Gentilium mira fieri videtur, aut falsa sunt, aut Dæmonum arte peragũtur.

ZACH. CHRIST. Hæc quidem quæ in templis ostendere extorum inspectio solet, & ex adytis velut futura portendere, nec semper vera sunt, & nulli umquam, ut arbitror, prosunt; quia si adversa sunt, & ad correctionem ex Deo veniunt: nisi ab ipso non queunt immutari. Et denunciata scisse, quid prodest si vitari prædicta non possunt? Si autem ex Deo non sunt, nec bona possunt esse nec vera, & sicut haud officiunt, ita nihil prosunt: sed sive sunt falsa, seu certè ex proventu habent aliquid veritatis, omnia figmenta sunt dæmonum, qui & sperari à se volunt, & sperantes decipere consuerunt; ut cùm à Dei cultu homines abstraxerint, etiam beneficiis exuant atque ab ejus bonitate disjungant. Hi gentilium obsident templa, si sub mortuorum hominum nominibus sedem in vestris adytis collocarunt, & quia illis nusquam præterea consistendi in terrâ locus est, aërem sub nubibus præcipites incursant, volucríque discursu omnia perscrutantes, aut jam visa denuntiant, aut à se nequiter faciunda quasi ut caveantur, adversa prædicunt. Nam licet nequam & incerti sint spiritus, omníque crimine reatúque polluti, incorporalis tamen, ejúsque substantiæ, cujus dignitatem amisêre cum cælo, naturæ beneficio & vigore non carent, ac plusquam homines sciant necesse est, quorum & creatio sublimior est, nec terreno corpore

pore sensus includitur. Sed quæ, rogo, illorum divinatio est? Nonne similiter cum hominibus, quos per vitia ceperint, Christi invocatione terrentur, volunt quædam sponte prædicere, & de absentibus vel futuris, velut manifesta denunciant, dum aut medelam in cruciatibus sperant, aut prædicturos imitantur ut fallant? Omnis tamen divinandi simulatio de rebus actibúsque terrenis est, nihil ante factum quod sit Dei prævident *, & quod magis mirere, nè cogitationes quidem in cordibus hominum deprehendunt.

al.* Quod si Dij providēt, nihil priusquam videant cæleste noverunt.

His ergo non pudet cultum veræ Divinitatis adscribere, his vitam hominis spémque committi, quibus circumscribendi semper dolus est, & fallendi pro divinatione subtilitas? His etiam simulacra aut igni excocta componitis, aut in ligno vel sculptilibus adoranda præbetis, ex quibus his vobis venerabilior Deus est, qui artificis manu meliùs expolitus, & hoc Divinitas clarior pictura si pulchrior, nec requirendi Creatorē studium est, aut agnoscendi Deum verum sensus apponitur: nonne manifestæ dementiæ est his quasi Deo hominem subjici, quos tibi possis Deum credendo subjicere; & ab his vitæ auxilia postulare, quos in reatu esse non dubium est? Quos si profuturos putas, & ideo placari debere confidis, profuturos cuiquam crede propitios, si spreti à fidelibus nocent, si his à quibus propter Deum contemnuntur officiunt. Cùm ergo nos timeant, vobis prosunt. Et vide qualiter haberi debeant, qui nec prodesse umquam possunt, nec semper nocere; cùm & sit facilius, & velle non desinant.

CAPUT XXVIII.

Apoll. Philos. Habet quidem speciem veritatis objurgatio tua, sed potest recurrentibus confutari. Nos enim eorum simulacra vel imagines adoramus, quos vel vera religione Deos credimus, vel antiquorum traditionibus docti Deos non esse nescimus: vos verò quibus istud abominatio est, cur imagines hominum vel ceris pictas, vel metallis defictas sub Regum reverentia

Digitized by Google

etiam publica adoratione veneramini, & ut ipsi prædicatis Deo tantùm honorem debitum etiam hominibus datis? Quod si & inlicitum, legíque contrarium est, cur hoc facitis Christiani, aut cur hoc vestri non prohibent sacerdotes, ne id quod ignorantibus nobis pro sacrilegio adscribitis, scientes sub officij excusatione subeatis?

Non eo quo Gentiles cultu imagines veneramur.

ZACH. CHRIST. Istud quidem nec debeo probare nec possum, quia evidentibus Dei dictis non elementa, non Angelos, nec quoslibet cœli ac terræ vel aëris principatus adorare permittimur. Divini enim speciale hoc nomen officij est, & altior omni terrena veneratione reverentia: sed sicut in hujusmodi malum primum adulatio homines impulit, sic nunc ab errore consuetudo vix revocat; in quo tamen incautum obsequium non aliquem Divinum deprehenditis cultum, sed propter similitudinem amabilium vultuum gaudia intenta plus faciunt, quàm hi fortè exigant, quibus defertur, aut perfungi oporteat deferentes; & licet hanc incautioris obsequij consuetudinem districtiores horreant Christiani, nec prohibere desinant sacerdotes, non tamen Deus dicitur cujus effigies salutatur, nec adolentur thure imagines, aut colendæ aris superstant, sed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum factorum probabilium posteris præstent, aut præsentes pro abusione castigent. Vides ergo nil vestris erroribus simile in hoc esse quod arguis, nec justè profanis actibus officia incautiora conferri, quando etiam ipsi ad quos referri istud potest, aut fieri hoc nolint si consulantur, aut quamlibet vanæ gloriæ consuetudinem non recidant, nihil temerè adsumentes Divinum, mortales se esse, & Dei indignos honore fateantur, cui & quod sunt debent, & fide ut hoc essent fortasse meruerunt.

CAPUT XXIX.

APOLL. ADvertere in hujus propositionis principio PHILOS. potuisti, tenui me objectione ista libasse, quia professionis vestræ perfecta ut vultis observatio, nil penitus quo exasperari Deus possit debet admittere;

Digitized by Google

nunc autem neglectis his, hoc si videtur signanter exprome, cur fatum homini esse nolitis, aut quam ob causam nullam decreti necessitatem videri, cùm hæc ipsa per cursum syderum lunæque rationem ita inveniantur & certa sint, ut nemo facilè devitet, quod futurum ei statuta nativitatis adfixerint.

ZACH. CHRIST. Credo intelligas ex interpretatione sermonis fati nomen adsumptum, & quod vocari putatur in specie non rei alicujus esse, sed verbi; decreti autem necessitas si est ulla, quod credi nefas est, humanæ vitæ Deus aut ignarus est, aut injustus: injustus, si bona malaque inexpertis ipse constituit; ignarus, si decerni ab alio se cessante permittat. Nam si necesse est bonos esse cur adscribuntur merita voluntati; si malos, cur pœna commissis? Ergo & lex supervacua est, & nescio quam ob causam sæculi jura condantur, si quod rectè homo gesserit, proventibus adscribendum est; quod pravè, *necessitati*. Cur præterea idem bonorum potiùs conditor Deus tantis scripturarum voluminibus vel comminatur judicium, vel beatitudinem repromittit? Quid religiosæ hominum preces faciunt, aut supplicatio enixa quid præstat, si potestas aliqua decreti inexpertis hominibus atque in lucem nascendo prodeuntibus, quod vitari non queat, & quod ipsi videtur adfigat? At contrà, justus & nulli umquam inæqualis judicio Deus, sicut cuncta ipse formavit, ita & cuncta moderatur, legem ab initio statuens, ut boni tantùm simus, immo quia sic creamur & nascimur, ne mutemur, neque tantùm nè mali simus, sed ne vel mali esse velimus, ut & faciamus semper bona, non ut merentes mala aliquando patiamur.

Omnia non necessitate aut fato regi, sed Dei factoris omnium providentiâ. Ariolos confutat.

Verùm hanc de homine, ut videtur, præscientiam malitiarum omnium diabolus auctor invenit, ut velut per innoxiam matheſim occultiùs decipiantur, qui fraudem illius hanc esse non credunt. Inter omnes enim scelerum suorum artes nulla dubios pernicioſiùs appetit, nec aliàs à Dei cultu subtiliùs homines avocat, quàm ut cùm sciamus omnes Deo nos debere quod formamur &

Digitized by Google

Quàm perniciosũ est fato adscribere quæ accidunt.

nascimur, fato nos suadeat debere quod vivimus. Fallimus nisi hæc quibũsdam pro tota religione præcipua cura est ut futura non nesciant velint nolint, ei à quo scierint efficiuntur obnoxij, quia credunt; ac dum ista sectantur, à fide & religione discedunt, & quod est sævius sub specie innocentiæ malum non cavetur, dum vitari posse non creditur. Neque si est prosperum à Deo poscitur, quod necessariò eventurum speratur. Intuere præterea ipsam maleficiorum scenam, signorum qualitas, status lunæ, dies, hora, consulentis nomen inquiritur. Ecce jam incerta divinatio est, ubi falli interrogans vel respondens potest. Fit postea quicumque prosperorum gradus, & cum evadendi conditione prædicuntur adversa. Nempe etiam hîc memorati artificis fraus elucet quòd esse fateatur incerta, quæ evadi posse denuntiet. Deus enim innoxiis adversa non statuit, inexpertis magna non tribuit. Vides ergo & divinæ patientiæ & humanæ curiositati fraudem diabolicæ artis illudere, & velut in supputatione lunæ ac syderum cursu occultum perfidiæ vulnus & virus latere, ut inter cognitionem ac præscientiam futurorum & reverentia Dei, & amor justitiæ apud homines minuatur, cùm Deus aut mala nascentibus statuisse credendus sit, aut ab alio constituta auferre non possit.

CAPUT XXX.

APOLL. PHILOS. QUantum video magna est Diaboli hujus potentia, qui contra Dei, ut intelligitur, voluntatem, etiam lunæ ac syderum cursui ea per quæ hominibus nocere possit, inserüit; verumtamen quo pacto aliunde venire credenda sunt, quæ illic inspecta noscuntur. Arbitror autem in occultis falsitatibus, inludi homines ab eo posse; mathesim verò cum signis ac syderibus simpliciter convenire: ac non ideo noxiam debere judicari, quia nihil de casibus subtrahit, sed magis utilem quæ aut denuntiet prospera, aut cavenda prædicat.

ZACH. CHRIST. Priùs dixi mathesim hoc esse sævius

Digitized by Google

malum quòd innocens æſtimatur, ſed licet inveſtigabili ſubtilitate tecta atque concluſa ſit, actus ſui tamen, ſicut expoſui, corpore ac fine reſeratur. Ex Deo enim non eſt, & idcirco nec ſyderibus cohærere credenda eſt; quæ primùm incerta & infidelis, deinde inanis eſt operis, & idcirco obſervari ſupervacuum eſt nil profuturam. Multæ autem ſtoliditatis eſt ab eadem prędicta metuere, quæ & cum prædicentis confeſſione evadi poſſunt, & præcipuè converſis ad Deum precibus ſuperari. Proſperum verò aliquid ab eadem ſperare perſtultum eſt, cùm tam facilè aut falli poſſit aut fallere. Sed finge verum aliquando denunciet, quod conſilium eſt cum manifeſto reatu ab hujuſmodi prodigijs dubios potiùs expectare proventus, quàm in fide ſemper ſecurum, vel medelam à Deo ſperare, vel meritum. Hoc magis noveris quemdam eſſe diabolo in ſceleribus principatum, atque huic immundorum ſpirituum miniſteria diverſa ſervire; ſub illius enim flagitioſa diviſione alij concupiſcentiæ faces præferunt, & luxuriæ fomenta ſuccendunt: per quoſdam in præceps fertur libido, atque avaritia officiis ſuis utitur, alij amore habendi cruenta perſuadent, & fraudes furtorum ſorores lætantur ad cognitos.* Hi mœroribus præſunt, & qui terrores metuentibus ingerant certi ſunt, aliorum exercetur turba cruciatibus, ut ſæviùs infelicium hominum corpora vexatione quatiantur: à quibuſdam ſub incremento lunæ augetur inſania, & tanquam de plenitudine puriſſimi luminis captorum labes veniat, ſub quadam mali dimenſione aut exaggeratur aut incipit; nonnulli magicam præſtolantur artem & mentiri mortuorum figuras in meditatione deputant: his etiam divinationibus doctiores præcurrunt, & fallendi ſubtiliſſimos velut ſimplex matheſis amplectitur. Alij in avibus auguria præcinunt, & volantum lapſus certis laterum partibus monſtrant; atque ita illo falſitatum omnium incentore vel præſule, diverſis criminum ſtipendiis dæmones militant, ut indefeſſos humano generi laqueos prætendentes, vitari ab hominibus ferrique non poſſint; ſi tamen, ſicut illi vel credi ſemper vel fieri volunt, totum aut crederetur aut fieret.

Matheſis ſive ars divinandi prorſus incerta & vana.

* cognitas.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

APOLL. OPportunè ad responsionem interrogatio
PHILOS. dudum sequestrata descendit, unde igitur quìve isti sunt dæmones quos dudum in templis Gentilium commorari, & nunc universis vel præesse vel interesse criminibus signantiùs edidisti? Qui eorum similiter princeps quem diabolum vocas? Vel unde ad hæc opera sunt dejecti, si ulla his tamen sublimioris naturæ dignitas fuit? Effici enim per eos quæ in superioribus meministi, non nisi ipsorum genere & qualitate monstrabitur.

Diversas Deus creaturas condidit: Angelos præsertim & homines rationis capaces ac libertate præditos.

ZACH. CHRIST. Eadem quidem etiam nunc illis est natura quæ ab initio fuit, quia quod semel creaverit Deus, aut in melius mutat, aut ipse non abrogat: cœlestem verò dignitatem non sui Creatoris sed voluntate propria perdiderunt. Unde quia & offensæ causas requiris, ex scripturarum ratione utraque cognosce. Duo creationum genera cùm omnia conderet præcipua Deus fecit, quibus secundùm officium tribuit & sensum: in cælis Angelos, homines in terris; incorporales sunt & verè spiritus Angeli: nos verò cælestes sensus intra corpora terrena gestamus. Et cùm munere Creatoris voluntas utrisque sit libera, major est tamen in hominibus occasio delinquendi; quibus & animo & corpore cavendum est: nam desiderijs animæ, corpora actibus peccant.

Hi ergo propiores Deo qui magis liberi; & quia imperiorum ejusdem ministri semper ac medij, ideo plus scientes. Ergo quæcumque in terris agi potestatum & dignitatum gradibus vides, umbra cælestium est: ita & illic magis secundùm Dei datum est disciplinæ, & ordinum modus præsidentis Dei servit imperiis, atque ad nutum ineffabilis majestatis innumerabilem Angelorum multitudinem, Archangelorum obedientia regit. Qui nunc autem diabolus & dæmonum princeps primus omnium Angelus fuit; qui factura ita & gradu cæteris præeminens, dum effertur superbiâ, infra omnes effectus est: videri se etenim Deum, quod non erat voluit; &

Princeps nũc dæmonum primus omnium Angelus fuit. Quare à sua

quia primus inter omnes factus fuerat creaturas, Divinitati se comparando honorem Creatoris adsumere: ob cujus ausi præsumptionem cum aliquantis ex inferioribus qui assensum præbuerant, ejectus è cælo est, quos postquam secum traxit ad terras, tanquam amissum reparans principatum, ex Angelis satellites suos fecit, & sicut paulò ante memoravi, officijs criminum malisque lapsorum, negatum in cælos reditum consolatur. Hic primum hominem ad temerandam præcepti legem in serpente prævius & suasor animavit, & in consequentibus semper bonam nostri creationem per vitæ blandimenta egit in crimina, & quamlibet per manus hominum, hoc tamen Christus insistente crucifixus est.

summa dignitate ac eius consortes sunt dejecti.

Auctor fuit ac suasor diabolus primũ hominem ad temerandã præcepti legem animavit.

Illi invidia, tumor, crudelitas, & mixtus concupiscentiæ luxus in sordibus cordi semper & gaudio est: & nè semper impia vel polluta sectando subtilis nequitiæ figmenta nudaret, informationi atque effectibus scelerum honesta permiscuit; videri studens sibi virginitatem placere, dicari debere idolis castitatem, ut quod re destruit, ambiret in nomine, purificatis etiam plus quiddam fallaciæ suæ præstans, & quamlibet homini sectam libenter indulgens, dum Deum nec ignoratum aliquis scire queat, nec agnitum ex ipsius voluntate ac lege veneretur. Hi ergo dæmones, & hic eorum diabolus princeps: hos ergo Christi nomen intra hominum viscera abditos terret & cruciat. Hi hominibus memoratas superiùs insidias struunt, quos metu nequeunt inlecebris capientes, ut cùm quolibet modo offensos Deo fecerint, ab spe immortalitatis abducant & oblectatione præsentium, & incredulitate futurorum.

Quantis artibus ac fallaciis deludit homines.

CAPUT XXXII.

APOLL. SI tam malus est diabolus quàm dicis, & tam
PHILOS. pertinax criminum, futuri præscius Deus nec malum creare debuerat nec tanto culmine dignitatis efferre, nè aut sibi obvium, aut hominibus crearet inimicum, cujus quæ ratio facti sit si scientia suppetit, narratio subsequatur.

Digitized by Google

Bona esse omnia creata à Deo; nocent tantum malè ijs utentibus.

ZACH. CHRIST. Nihil malum penitus in suo opere Deus fecit, nec insitum in his creaturis aliquid noxium est, sed ab his potiùs appetitum, quia ut placerent facta sunt omnia, non ut nocerent: sed primùm Angelis sicut hominibus postea liberam Deus præstitit voluntatem, alioquin in nullo præter naturam mutis animalibus præstitissent, sicut jam de hominibus dixi, in quodam ignorantiæ torpore compositis aut licerent omnia, aut omnia non licerent. Fons ergo totius rationis Deus inrationabiles sibi erat creaturus ministros, aut quæ ipsorum sensibus ratio, si nulla voluntati potestas? Quæ postremò obedientia, aut quis Dei cultus nisi jubentis imperiis consequens esset similitudo famulantum? Quòd si propter uniuscujusque voluntarium malum Creator est arguendus, quod dici nefas est, & de omnibus hoc modò argui potest, quia ad bonum usùm facta sunt omnia, & malos exitus habent, si his aliter uti velis.

Numquid malum est ignis? Et certè quæ importunè admoveris exuruntur: terra obruit, sed cùm subruitur: non naufragiis maria congregata sunt, & tamen intempestivè ratibus adita submergunt. Numquid ad decidendum celsa constructa sunt, & nisi summis cautius consistamus excidimus? Vertendæ in sulcos terræ atque excidendorum causa lignorum ferrum hominibus datum est, & exin gladios bella sumpserunt. Numquid in resti mors posita est? Et multi vitam laqueo finiunt. Quis hominum lapidationibus saxa, quis ligna crucibus deputavit? Numquid summæ dignitates idcirco regibus dantur, ut tyrannides faciliùs adsumantur? Quàm bona creatio vini est, & acceptum effusiùs gignit insaniam. Ipsi herbarum succi, qui profuturis medicaminibus admiscentur, aut sæviùs insciis nocent, aut largiùs hauriuntur & perimunt. Creandorum liberorum causa sunt permissa conjugia, & ex licitis coïtibus adulteria admittuntur inlicita.

Quid, rogo, æquius facere Deus debuit, quàm rationabilem Angelorum & hominum creaturam, atque hanc nec libertate privaret, & scientia cautionis imbueret: quòd si futuri præscius Deus creare hujusmodi aut cæteris

Digitized by Google

teris præferre non debuit, ergo nec hominem facere aut cunctis præferre debuerat, quem peccaturum sciebat. Et sicut tu dicis ne ipsa quidem fieri elementa debuerunt si nullius erant usui profutura, vel quoniam nocere universa possunt, si his non ita utaris ut facta sunt: quanto hic Divinæ providentiæ probabilior ordo est, idcirco illi primùm summa committere, qui erat ausurus inlicita, ut attentior succesſuris cura justitiæ & amari Creatorem institueret & timeri, ac simul tentari eum nec ab Angelis impunè monstraret, qui ob præsumptionem etiam Archangelum dejecisset. Vides ergo Dei creatione bonum factum, atque ipsius beneficio in sublimibus constitutum voluntate propria, quam liberam acceperat, & bonitatem mutasse malitiâ, & dignitatem insolentiâ perdidisse.

CAPUT XXXIII.

APOLL. ETiam hæc cum ratione facere videntur PHILOS. quæ de diaboli creatione casúque dixisti: sed quid causæ sit, quòd post ausum tantæ temeritatis, sicut jam quæsivi, deletus statim cum satellitibus non fuerit signanter edissere.

ZACH. CHRIST. Dei judicium non tantùm ex poteſtate, sed ex ratione est, qui condemnationem non judicantis solam vult esse sententiam, nisi & conscientiam delinquentis per quamdam pœnitentiæ comperendinationem, misericordiam semper ad se reverti cupientibus præstans, & licet in omni æquitate sua justus sit, est tamen in miseratione propensior, neque ad ulciscendum celeri indignatione festinat, cujus judicio nemo succedit. Salvare ergo non perdere quod creavit studet, & inde inenarrabilis patientiæ nec præcipitis aliquando vindictæ est; quòd si idem diabolus cæteríque ejus perditionis socij ante augmenta consequentium flagitiorum, & secretorum cœlestium, quæ ex parte sciebant, proditionem obnoxias pœnitentiæ manus dedissent, humilitatis exoratione crimen superbiæ diluentes, profectò in eos honor rediſſet Angelicus, nec miseri in eorum nunc

Quare Angelos proximè post peccatum è suo gradu Deus nō dejecerit, aut prorsus doleverit.

Digitized by Google

sordibus voluerentur, quos captos nequitiarum laqueis deprimunt, & infelici sorte vitiorum tamquam in solatium suæ perditionis adsciscunt.*

al:* adducunt.

Vide præterea inter delicta & justitiam hominum, dæmonúmque certamen, & compugnantibus inter se luxu atque virtutibus, præmium immortalitatis existere. Spectat nos quotidie præliantes meritorum arbiter Deus, & spiritales insidias fragili corpore superari placidus intuetur; debuit profectò tam sublimis creaturæ culpa sic plecti, & electa in Deum Angeli superbia hominibus subjugari; ut qui sibi auctorem suum præesse noluerit, subditorum priùs nunc imperia pateretur, & quamlibet in pejorem partem homines voluntatis suæ dominos pertrahat, plures tamen præ se ad Dei sedem virtutum ac fidei probatione transmittit. Vides ergo diabolum ejúsdemque participes futuro judicio per providentiam Dei etiam cum quadam hominum utilitate servatos, ut & longanimitas Creatoris lapsis pœnitentiæ locum daret, & si indulgentiæ spatia nihil profeciſſent, suâ potiùs quàm Dei sententiâ damnarentur; quorum reatui quotidie extrinsecus illud adcrescit, quod licet ad justitiam hisdem impugnantibus exerceamur: nihilominus tamen & eo magis obtinet terrena fragilitas, quàm nullo adversante in substantia Angelica perdiderunt*.

al:* Quòd hi nullo adversante in substantia Angelicâ pertulerũt.

CAPUT XXXIV.

APOLL. PHILOS. INtelligo adsertionis tuæ summam in hanc venire sententiam, ut Dei Filium Christum non solùm ad restituendum hominem, verùm etiam ad condemnandum diabolum ejúsque consortes, vel jam ad terras veniſſe, vel iterum venturum esse confirmes; quòd si ita est, potuit & Angelus mitti, qui absque injuria Dei & discretos à bonis malos perderet, & ipsum cum sociis malorum principem Divina auctoritate puniret.

al:* Dei Filius venit

ZACH. CHRIST. Prima & quidem causa qua Christus Dei Filius veniendi ad terras habuit voluntatem*, ut vel

Digitized by Google

perituram hominem perire non ſineret, vel perditum repararet: ſed hoc quoque ejus providentiæ junctum eſt, ut diabolum atque ipſius ſocios ſicut in homine in primo ſuperavit adventu, ita in homine judicet in ſecundo, nec difficile Deo fuit per quamlibet cæleſtis militiæ poteſtatem finem preſenti ſæculo mittere, & punire prædictos: ſed quia memoratus nequitiarum auctor Deum ſe, ſicut jam expoſui, voluiſſet videri, ut coram qui uterque eſſet ab Angelis & hominibus noſceretur, manifeſtari Dei Filium viſibiliter oportuit, & præſumptorem cominùs confutari, ut nulla deinceps de intellectu unius majeſtatis apud utramque creaturam dubitatio linqueretur. His præterea additur cauſis, quòd hominem ſub conditione immortalem antea factum, idem reſtituere in melius debuit, qui antè plaſmaverat. Etenim indecens erat ſi à Deo corruptibilis homo factus ab Angelo incorruptibilis redderetur, poſteaquam hoc fidei probatione meruiſſet. Quid verò Dei munificentiâ dignius, quàm ut præſentiam ſuam in ſummam beatitudinis præſtet, & quod homini negaverat inexperto, indulgeat reſtituto? Ut poſtremò quem tantis malorum paſſionibus ſequimur, quem eum ſæculi invidia & periculis confitemur & credimus, ſicut cupimus, ab his omnibus liberati, in ſua videamus majeſtate regnantem.

ad terras, ut, &c.

Cur Dei Filius per ſeipſum, nõ per Angelũ voluit hominem reparare.

CAPUT XXXV.

APOLL. Firmata eſt intra animum expoſitorum fides,
PHILOS. ſed ut nihil cunctationis reſideat, jam credenti pande, quæſo, quæ vis florere iniquos facit, vel deprimit rectos; & cum de homine, ſicut aperuiſti, tanta ſit Deo cura, tam prava nihilominus utroſque diverſitas agat, ut cùm in illis malorum & voluntas & actus ſit copia è contrariario cedat bonorum; his proſpera denegentur, quos magis æquum eſt eſſe locupletes.

ZACH. CHRIST. Facilis rei iſtius intellectus eſt, nec tota in ſpiritalibus experimenta quærenda ſunt; quoniam evidenter etiam præſens converſatio docet quo pacto aut iniquis affluant cuncta, aut neceſſaria bonis

Cur Deus juſtos ſinit carere felicitate tẽporali & affligi, iniquos.

Digitized by Google

verò gaudere ac prosperé agere.

desint. Hi enim versa actuum vice non solùm pertinaciter quæsita concludunt, verùm insuper populantur aliena; hi quibuslibet lucris totius vitæ tempus addicunt, & in pecunia spem requirunt. Hi autem propter occasionem delicti etiam honesta compendiorum studia devitant, ac bene parta pertinaciter non tuentes, quietem jurgiis præferunt, & auctorem justitiæ vindicem sperant. Additur, quòd pravos miseratio numquam permovet, aut ad data exigua vix educit. His verò inopum sumptus oneri est, & prompta semper in opere bonæ voluntatis expensa: quia verò morum subversio ex abundantia maximè venit, suos tantùm incentor criminum fovens largas exultantibus sufficit opes; ut successibus gaudiorum luxuria subrepat; deinde in comessationem exuberatio vertatur, & captiva temulentia vitijs irrigetur: hinc ad Deum minor abundantibus cura est, & fiducia præsentium sperare non sinit divitias futurorum, prolixæ autem patientiæ Deus & tumentes in dissolutionem projici sinit, & angustatos in passione confirmat, promissum cunctis judicium redditurus, ut hoc illic percipiat unusquisque quod hîc egerit, hoc in perpetuum patiatur, quo inferiores ac subditos temporariè despiciendo vexaverit.

CAPUT XXXVI.

APOLL. PHILOS. Apertè etiam hujus interrogationis membra patuerunt, & nisi molestum vererer aliquid tanquam in cumulum præstitæ hactenus expositionis adjicere, non supervacuè inquirerem quid hoc sit, quòd vitiorum ac peccatorum penitùs inscij diversis malis afficiuntur infantes, ac nonnumquam ex utero prodeuntes aut debilitas occupat, aut ad mortem immatura vis præripit; quòd sæva innoxios vexat insania, nec majestatis indubiæ pietas & justitia omnibus prompta succurrit. Unde si, ut dixi, tædium non est, breviter cuncta ostensurus eloquere.

ZACH. CHRIST. Ampliùs quidem postulas quàm sufficere possit credenti; & necessariæ scientiæ terminos

Digitized by Google

inquiſitone progrederis*: ſed ne in fidei ſuſceptione ex aliquo incertus nutes aut hæreas, atque ut nullum de Dei juſtitia infidelium diſputatio locum teneat; quid ſentiri debeat adverte*. (Ex quatuor elementis hominem Deus fecit, ſiccis, humidis, calidis frigidiſque. In ſplene frigida, calida ponuntur in felle, in ſanguine humida, ſicca reputantur in oſſibus, miráque ut intelligis conſpiratio hæc ex contrarijs Factoris opus in homine conſervat, & Divinæ artis ingenio, præſtantiorem ſpeciem ſociata demonſtrant quàm in ſemet priùs ſingula retinebant. Sic ire ſemper in melius quidquid à Creatore renovatur, apparet. Hæc ergo in conceptionem æquis partibus confluunt, arque ita ex omni viſcerum regione conveniunt, ut in nullo æqualitatem germina Creatoris excedant; ſed hanc naſcendi integritatem aut parcimonia, aut nimietas temperat parentis alterius, & quod malè prævaluerit coaleſcenti intra uterum, vel mox ex utero prodeunti aut valetudines gignit aut mortes: geminæ enim in homine venæ ſunt, quæ præcipuum inter, omnes ſpiraminis ac ſanguinis obtinent principatum, & ab ipſa ſede vitalium exiguis meatibus ſparſæ totum corpus inluſtrant, notiſque diſcurſibus exploratum vitæ iter ac pervium ſervant, quarum ſi alteram de prædictis vis aliqua præcluſerit, perniciem haud dubiæ debilitatis ac mortis operatur: unde infantes ſæpiſſimè aut totius lucis efficiuntur expertes, aut confeſtim parvulos immatura mors præripit.) Nonnumquam & ob eorumdem parentum vel peccata vel merita, infantum citus finis eſt; quia delictorum ablatione probantur boni, puniuntur injuſti, & qui ſe argui doloribus alijs, damníſque non ſentiunt, etiam orbitatibus affliguntur: juſtos autem major fidei ignis examinat, cùm in levioribus ſtabiles etiam amiſſione probantur affectum.

Quòd verò nondum boni vel mali conſcios infanda dæmonum vexat inſania, patrum quidem, ſed diſtantibus modis cauſa eſt; ſi iniqui ſunt nec prædictis vel ſimilibus caſtigationibus emendantur, etiam innocentum ſuorum arguuntur exitus. Hi autem, quibus converſatio

*f. Prætergrederis.

Cauſas adfert infãtes cur morte præmatura etiam in utero præripiantur, aut à Dæmone vexentur.

*Cod. Arn. Quid uſus attentioris vitæ docuerit adverte.

*Quæ in parentheſi includuntur, ſupplevit. Cod. Ar.

Digitized by Google

recta est, & per se malitiam diabolicam superant, etiam tamen talibus fatigantur insidiis; neque a tædiorum exercitio vacant, quibus nocere aliter vis dolosa non prævalet, ad hoc malorum versutiam semper involuens, ut sive ob vitia, seu propter fidem, ista proveniant, aut iniquum aut negligentem Deum (si quis fortè suadere possit) affirmet: sed qualibet arte vel parvulos cruciet, vel parentes, Dei justitia in utroque non deest: Nam & infantibus translatio ex malis vitæ istius melior etiam hoc præstat, ne ex improbis geniti similes quandoque efficiantur auctoribus, & hisdem, qui genuerunt, pro beneficio reputandum est, quòd temporario vexatorum dolore aut peccatis eruuntur, & boni sunt, aut meritis augentur, & in fide crescunt.

Zachæus Apolloniũ compellat adhortatúrque, ut abjectâ mundi sapientiâ fidem Christianã amplectatur.

Habes ergo interrogationum tuarum causas, & omnium ambiguitatum intellectum patentem. Itaque jam subditus Deo promissam concilio fidem redde, abjectáque hac mundi sapientiâ veræ sapientiæ affatibus crede, & quærere à te altiora desistens, rationem cælestium secretorum auctoris sui scientiæ consilioque permitte. Nam licet nunc plura cognoveris, & de interioribus fidei aliqua supersint; non tamen putes omnia hominem scire posse quæ Dei sunt, nisi quæ aut scire hominem ipse perdocuit, aut intelligere Divina adspiratione permisit. Age ergo, & fidem cordis simplicitate susceptam, devotionis confessione testare, nec gravi præceptorum onere terrearis: levis est servitus Dei, & intra voluntatem hominis tota necessitas legis, quam cùm penitus revelatam compereris, ita ejus agnitione gaudebis, ut licet stimulet de ante acto errore pœnitentia, major tamen veniat de conversione gratulatio.

CAPUT XXXVII.

Annuit Apollonius, sed ut brevi repetat quæ desservit, rogat Zachæum.

APOLL. PHILOS. JAm dudum voluntas, quam expetis, prompta est, sed velut oppleta ruderibus fundamentorum loca; ita mentem dubietatibus emundari, ignorantiam scientiam oportuit imbui; ut patentem fidei aditum veterum purgatio firma prospiceret. Unde, quia occu-

Digitized by Google

patiori dudum plena legis non potuit hærere revelatio; digeſtam in pauca nunc repete; ut, quam prope modum non recepturus audieram, examinatam multipliciter cum veneratione ſuſcipiam.

ZAC. CH. Repetam planè; & animæ viſceribus intimandam brevioribus eloquar verbis. Chriſtianæ fidei integritas, plenitudo juſtitiæ eſt, id eſt Deum noſſe, colere, timere, diligere; manu facta nec adorare nec colere, nec prophanis immolatorum cibis veſci; ecce jam non copiosè cruoribus ſtoſtiæ aut odor polluti ignis expoſcitur. Enixè Deum colueris, ſi remet pro omnibus Deo dedas; duo ex omnibus præcipua tenturus præcepta, ut Deum pluſquam te, ſicut te autem hominem diligas; quia nec prodeſſe ſibi ullus ex ſe tantum poteſt, quantum illi vel omnibus in commune vel ſingulis: quid autem æquius quàm ut ſicut te hominem diligas, à quo te ſimiliter diligi, ſi conſolari exoptas? Sic præſtare* quemadmodum & cupere bona: certè non propter caducam breviſſimi temporis voluptatem, ſpem beatiſſimæ æternitatis excludere, nec tueri preſentium vanitatem, ac fidem deſtruere futurorum, cùm ex duobus conducibilibus fore alterum clareat, non dicam ſub Dei, ſed cujuſlibet honeſti hominis arbitrio ſpem ponere, & propter electionem venientium præſentia ſpernere, quàm ob præſentium tranſeuntem uſum manſura præterire.

Cui Zachæus facit ſatis.

*alias præſtolari.

CAPUT XXXVIII.

APOLL. PHILOS. DEi unam eſſe & ſimplicem majeſtatem, atque ab eo viſibilia & inviſibilia condita omnes quidem ſentiunt, ſed intelligere quoque non poſſunt, plenam perinde legis ac promiſſorum illius fidem, plenámque juſtitiæ & merito Divinæ poſſibilitati ſubeſſe, Reſurrectionis effectu æterno careat, qui non credit; quíque te Chriſte Dei Filium & Deum manentem in homine diffitetur, nec Redemptorem humani generis evecto in cælos Crucis triumpho & confitetur & prædicat; qui retributorem ſancti laboris, aut ſcelerum vindicem non ſperat futurum; ille conſortio diaboli

Apollonij confeſſio fidei Chriſtianæ.

Digitized by Google

gemens perpetuas eat exul ad tenebras, & profundæ noctis mersus horroribus flagrantis cœni voluatur incendiis.

Absit autem nunc mihi ampliùs quàm de Deo rebusque illius sapere, & nisi ab illo edocta scire velle vel querere tantùm, nè ignorantiæ vel tardæ credulitatis culpam pœna comitetur. Maculatæ * idolorum concidant sedes, & execrandæ abominationis templa vacuentur, ipsáque divinatio, quæ ut video à multifariis dæmonum fraudibus vel dolosa vel falsa est, sub reverentia sanctæ Religionis intereat. Ego Deum Christum & salutis viam sequar, illum præ anima & cunctis visceribus diligens, in me hoc tantùm amaturus quod ille dilexerit. Tu autem, qui Divini in me muneris minister fuisti, ab auctore gratiam recepturus, trade, quæso, plenitudinem fidei; trade interioris sacramenta mysterij, & caducam materiem celsioris spei innovatione perfunde; si quid enim creditis qui nostris tractatibus adfuistis, ita animum veræ lucis gaudia repleverunt * ut Deum Christum, ejúsque pietatem, licet diu ignorasse pæniteat, æternæ tamen beatitudinis sperem esse, vel sero agnitam, credidisse.

* *Cod. Arn.* Pollutæ.

* *Cod. Ar.* perfuderũt.

* *Sic in MS. codd.*

* *Finit liber altercationis Zachæi Christiani & Apollonij Philosophi.*

INCIPIT

INCIPIT EARUMDEM LIBER SECUNDUS CONSULTATIONUM.

Incipiunt capitula Libri secundi.

I. *SI sit tertia in Religionis honore persona.*
II. *Si Spiritus Sanctus Deus sit.*
III. *Si Scripturis sanctis possit firmari hæc elocutio.*
IV. *Quid Iudæis respondendum sit.*
V. *Si & in alijs seducuntur Iudæi, præter id quod Dei Filium non credunt.*
VI. *Si Dominicæ Passionis Sacramenta Prophetarum oraculis sint prædicta.*
VII. *Cur antiquæ legis portio sit recisa, vel quæ volumina observantiam justitiæ tradiderint.*
VIII. *Quæ sit Iudæis in circumcisione justitia.*
IX. *Cur Patriarchis licuit habere in conjugio plures.*
X. *Quæ Gentium offensæ: cur Iudæis, quibus priùs lex data est, abjectis, Gentes quotidie amplectitur Deus, edocet.*
XI. *Quæ Hæreticorum genera vel errores.*
XII. *Contra Manicheos, qui nos dicunt Dei filios esse.*
XIII. *Contra Marcionitas & Fotiniacos*, quorum unus Dei Filium fuisse corporalem refutat, alius pro tempore fuisse corporeum, perpetuum esse non posse.* al. *Photinianos.
XIV. *Contra Sabellianos, qui Spiritum sanctum negant Deum; credendum donum potiùs quàm Donatorem affirmant.*
XV. *Contra Patripassianos, qui Patrem passum esse existimant.*
XVI. *Contra Arianos, qui Filium & sanctum Spiritum esse minores Patre dicunt.*
XVII. *Contra Novatianos, qui unitatem dissentiunt, & semel lapsum restaurari posse non credunt.*
XVIII. *Quæ Novatianis respondenda sint.*

Digitized by Google

XIX. *Quæ sit mysteriorum divinorum integra plenitudo.*

XX. *Confessio ad Deum.*

PRÆFATIO ZACHÆI.

CUm ad exercitium justitiæ optima atque exoptabilis via sit piè vivere, & vitæ ipsius rationem factorum & cogitationum observantiam custodire, præcipui inter bona omnia studij est, aut Deo semper aut de Deo fideliter loqui, quódque in homine maximum est, linguæ ac mentis officium Auctoris sui rebus aut laudibus deputare, nec tamen ita fervore piæ voluntatis adtolli, ut in aliquo sentiendi ac profitendi modum subnixa fidei vota transcurrant, aut sacros divinæ prædicationis terminos audentiori liceat calcare * ingressu. Non ergo fiducia sed fide prompti, insinuationem primùm Sanctæ Trinitatis aggredimur; pòst in Judæos, ac deinceps in hæreticos plana expositione pergentes, etiam schismaticum Novatianorum detegemus errorem. Ita instructio ex multis collecta voluminibus breviarij vicem dabit, non omnia in singulis elaborans. Experti itaque rem inter personas melius agi, Zachæum nostrum Apolloniúmque jam nostrum ad prædictos causarum gradus robustiore scientia deducemus, ut libelli superioris more, religionis nostræ æmuli prædamnentur; & is qui discendi accenditur studijs Deo vivere cupiat ac vitijs interire. Nunc ergo inter prædictos leni conlatione & proferentur omnia & probabuntur, ut congrua brevitate monstretur quid recipi debeat, quid caveri; cùm & fidelium credulitas cælestibus confirmetur exemplis, & prophanorum perfidia suis vel maximè intellectibus destruatur.

al * licitis calcet.

APOLLONIUS.

SI quisquam, Zachæe, referre, ut dignum est, gratiam Deo pro conlatis in se ejus miseratione beneficiis, aut sermonibus sufficit, aut animo comprehendit, ego præcipuè perfungi hoc munere debeo confessionis & mentis, qui illius adspiratione, tuáve

Digitized by Google

doctrinâ tantis errorum laqueis evolutus, mortis vincla depoſui; & terrenum exutus hominem, in ſpem cæleſtium gaudiorum Dei adoptione tranſivi, æterni inſuper ſacrificij particeps factus, immo Deum ſumendo pars ipſius, toto animi vigore & ſalutaria expetere* debeo, & obliqua deſtruere. Sed quoniam in retribuenda gratiarum vice, nec in hoc quidem ſufficientes ſumus quod intelligendo ſentimus, hæc ſolùm retributionis penes impares via eſt*, ſi largitor totius indulgentiæ Deus, dignatione qua noſtris cogitationibus intereſt, debentis inſpiciat votum, & pro effectu recipiat voluntatem. Quamlibet ergo ineffabilis lætitiæ compos magna ſim conſecutus, major mihi tamen ignorantiæ metus eſt ex quo aliquid eſſe cępit ſcientiæ, grandíſque animum cura ſollicitat, ſi ſpiritalium conſcius ſecretorum plenitudinis ſacræ quantum audire faríque liceat, aut ignarus aut trepidus deprehendar. Nam prima fidei in me præcepta concludens patris tantùm ex quo ſunt omnia, & Filij per quem facta ſunt omnia, credulitatem ſimplicem popoſciſti; poſt autem ineuntis traditione myſterij etiam ſancti Spiritus mihi à te exacta confeſſio eſt, & tota in Trinitatem miſſa credulitas.

* al. *expectare.

* Cod. Arm. Hæc ſolùm retributionis pene impar via eſt.

CAPITULUM I.

Si ſit tertia in Religionis honore perſona.

PRofeſſionis igitur memor pande an ſit tertia in Religionis honore perſona, vel ſi ex uſu multiplicis reverentiæ & non ex ſpeciali appellatione nomen adſumptum; quòd ſi hæc ſapientiæ cæleſtis occulta reſeraveris, quidquid in ſuſceptione advenientis fidei bene ceſſit conſummatum notitia perfectiore roborabitur: conſequens erit ut doctrinas quoque hæreticorum & univerſas ſchiſmatum pravitates, quò vitari ociùs poſſint, conſultus expedias, ſi priùs qualiter credi debeant jam confeſſa monſtraveris.

ZACHÆUS. Semper quidem ſtipendiis militiæ ſpiritalis accinctos velut ſub imminentium expectatione bellorum inſtructionis uſu oportet inſtitui, & otium deteſtari, ſed

Digitized by Google

à multis quæ expetis & prolixè & sublimiter condita; velut novæ eruditionis opus recusant, ac tam planè de omni dudum ambiguitate dissertum est, ut nunc non modò rudes in interpretationibus sensus, sed verba denique nisi inculcata non suppetant. Notissimum præterea in qualibet editione fastidium est aut refricare tam cognita, aut clarioribus inserta monumentis subpresso auctore proferre, unde magis utrique nostrum fortassè conveniat exemplaria adire priscorum, ac de illustrium voluminibus hujusmodi haurire doctrinam: quia & tibi absque dubio conducibilius est perfecta ab eruditioribus discere, & mihi de maximis tutiùs reticere.

CAPUT II.

Si Spiritus sanctus Deus sit.

APOLL. ET ego credo aliquos super his crescente fide nostra latiùs disputasse, ac tantis annorum temporúmque curriculis spiritalium virorum ingenia, non silentio possessa, sed meritis. Veruntamen rudibus animis diffusa tardiùs innotescunt, & sensum priùs onerant prolixa, quàm doceant. Atque ideò excusatione cessante invidiæ metum, ut illum fervor excludat, & indeptæ quietis quam amplecteris gratiam inexuperabilis fidei amor vincat verecundiam proverbij veteris sententia sublevante. Quid enim dici à quoquam potest quod ante non dictum sit? Aut quæ tam abstrusa in nostris rebus scientia est, quam usus non illustraverit præcedentum? Unde hoc primum de sancto Spiritu certus revela: Deus ne, an res aliqua Dei sit? Et munus Divinitatis, an plenitudo credendus? Probari autem testimoniis oportebit quidquid simpliciter credituro fidei sacramenta dictaverint.

ZACH: Oneri licet expostulatio tua sit, & quoddam negotium tantæ interrogationis nectat intentio, quia ardui operis res loquenda, & fide magis est intuenda quàm verbis: tamen quoniam exigere ab humilibus magna non desinis, & reticendi oportunitatem Dominicus fervor exsuscitat, quo fidei substantiam non depressam

Digitized by Google

humo tegere, id eſt, non incluſam cordis retinere ſecretis, ſed notitiæ cupientium prompta adnumeratione mutuare, ac vice fœnoris multiplicare præcipimur, ad expoſitionem ineffabilis majeſtatis trepidi, ad confeſſionem ſecuri commiſſa auctori ſuo ora ſolvamus. Deus unus eſt, & quamlibet perſonis ac nominibus diſtincta ſit Trinitas, à ſe tamen atque à ſua æternitate non diſtat, ſed manens ante ſæcula Divinitas in Patre ac Filio & ſancto Spiritu verè ac propriè creditur una atque eadem, nec dividi noſtris interpretationibus poteſt, nec rurſum verſa in unius perſonam Trinitate confundi. Sic ergo Spiritus ſanctus ut Pater ac Filius Deus eſt. Neque in Trinitate unus ſed Trinitas unum eſt. Hæc fides plena, hæc noſtra credulitas. Idcirco Deos nec æſtimari patimur nec vocari, ſed Deum in prædictis perſonis ac nominibus confitemur. Inenarrabilis enim Divinitas, non ut concludi aut apprehendi vel vocabulis poſſit intra nomina perſonáſque ſe præſtitit: ſed ut quod erat, eſſe & *noſceretur, intelligentiam ſui ex parte quam capere humani ſermonis anguſtiæ prævalebant*, credentibus dedit. Verùm hæc tibi non ſubtracta æſtimes priùs, ſed non credita priùs; quia ab Idolorum multitudine veniens, etiam hîc tibi prædicari, Deos putaſſes, niſi id quod plenitudo fidei continet traditionis exordia ſiluiſſent.

Explicat Trinitatis myſterium.

Cod. Arn. Noſceretur intelligentia ſui ex parte, quâ & anguſtiâ prævalebant.

CAPUT III.

Si Scripturis ſanctis poſſit firmari hæc elocutio.

APOLL. QUantum intelligi datur, adeſt ſperata in interpretationibus fides, ac veritati ratio expoſitionis cohæret; verumtamen ſacris interlocutionibus, eadem dicta firmari ſtabilitas puræ credulitatis expoſcit, & quoddam veritatis culmen ceſſantibus argumentis lectione conſtitui; quia videri incongruum poteſt, ita de Deo loqui, ut non magis illa quibus ſe idem inſinuari voluit proferantur. Qua de re ex multis, quæ enumerari ad præſens poſſe non arbitror, neque ut nunc enumerentur expoſtulo, qui interim doctrinæ ordinem

Digitized by Google

non historiæ corpus inquiro; perspicua quæque & pauca dicturus auctoritatem redde memoratis. Nam, sicut dixi, velut tenuiter jacta nutabunt, nisi humanis adstructa sermonibus, Divinis insuper fulciantur exemplis.

Spiritum sanctũ probat Deum esse.

ZACH. Competenter exposcis, ut his potiùs fides detur quæ in testimonium sui Divinitas ipsa prolocuta est; & rectè ex innumerabilibus pauca proferri, quoniam veræ probatio majestatis, tametsi habet pluralitatem, pluralitate non indiget. Credentíque & pauca sufficiunt, quæ increduli, etiam si in multis scrutentur, ignorant; unde primùm de veteris Testamenti libris, pòst etiam novi, sanctum Spiritum in substantiâ* unius Divinitatis agnosce, libro Geneseos sic inchoante: *In principio fecit Deus cœlum & terram; terra autem erat invisibilis & incomposita; & Spiritus Dei ferebatur super aquas*; ille principium est, qui Judæis, quis esset, interrogantibus dixit: *Principium quod & loquor vobis*; unde ab eo & alio loco dictum est: *In capite libri scriptum est de me.* Ferebatur autem Dei Spiritus super aquas, ut ex his viva omnia producturus ipse rudibus signis propriis fomenta præstaret, qui nunc purificatis dona sanctificationis infundit. David perinde, Deo aspirante, testatur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Vide quàm plena sit brevitas, & quàm clarè in sacramentum unitatis recurrat; Patrem in Domino, in verbi significatione Filium ponens, sanctum Spiritum ex ore Altissimi nuncupavit. Et ne vocis editio reputaretur in verbo, cælos per eum edocet factos: Ne flatus in spiritu, virtutis in eo plenitudinem demonstravit: Nam ubi virtus, ibi necesse est & persona subsistens; ubi omnis, non ablata à duabus sed consummata signatur in tertia*; Non ut sola habeat quod in toto est, sed ne minus habeat quæ in solâ appellatione postrema est.

Cod. Arn. intra substantiam.

Genes. 1. 1. Ex Textu Septuag.

Psal. 32. 6.

Cod. Arn. in tertiam.

Iterum idem Propheta Trinitatem, dum precatur, exponit. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tuâ & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.*

Psal 50. 12.

Digitized by Google

Principalis Spiritus, Patris eſt; Rectus eſt Filij; Sanctus verò cognominis ſui adjectione diſtinguitur. Nec de vocabulorum adjectione movearis, quòd principalis & rectus Spiritus ſanctus Prophetica appellatione ſignatus eſt; licet proprietas una ſit in ſingulis, tamen quia Deus Spiritus eſt, ne perſonarum confuſio noſtris intellectibus fieret, nominibus eſt adjecta diverſitas: qui enim ſanctus, neceſſariò rectus eſt; nec poteſt iterum rectus eſſe, niſi ſanctus ſit: principalis autem, quia ex eo unigenitus Filius, atque ab ipſo Spiritus ſanctus procedens; de quo Eſaïas ſub perſona Dei de Chriſto loquentis hæc poſuit: *Ego locutus ſum; & ego vocavi* & adduxi eum, & proſperum iter ejus feci: accedite ad me & audite hæc. Non in occulto ab initio locutus ſum; cùm fierent illic eram, & nunc Dominus miſit me, & ſpiritus ejus.* Angelus perinde ad MARIAM ſacræ Nativitatis myſteria nuntians, paria de eodem ſic depromit: *Spiritus Dei ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Dominus poſtea, cùm de vocatione Gentium loqueretur, intra unum Divinitatis nomen ſanctum Spiritum prædicans ait: *Euntes nunc docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Paulus ſimiliter Apoſtolus: *Qui autem confirmat nos, vobiſcum Chriſtus Dominus, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et iterum, dum cæleſtia Corinthiis precaretur, hæc ſubdidit: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis.* Unde propoſitæ brevitatis memor, ſententiarum multitudinem, quæ largiſſima ſuppetit, non requiras; quoniam, ſicut dixi, in paucis Deo credere conſuetudo fidelium eſt; meminiſſe autem plurium, diligentiæ magis per ſe proficientis, quàm docentis officium eſt.

al. * abij.

Iſa. 48. 16. Textus ex Septuag. & editione vulgata cõpoſitus.

Luc. 1. 13.

Matth. 28. 19.

2. *Cor.* 1. 21.

2. *Cor.* 3. 13.

CAPUT IV.

Quid Judæis reſpondendum ſit.

APOLL. JAm quidem ſimplex aſſertio fidem fecerat ſanctum Spiritum verè ac propriè Deum

Digitized by Google

credi, sed quia facilius est sermonibus præbere consensum, quàm intellectum sensibus mutuari, firmiter oportuit examinare susceptа, ac voluntariam confessionem cælestibus confirmare doctrinis. Nunc autem sectarum quæ adversæ nobis sunt pravitates retexens à Judæis, si videtur, ordire principia, cur indomabilis populus Deum ac Dei Filium abnuat Christum, creaturarúmque omnium Dominum in neutra velint nativitate subsistere, qui utique ante omnes quæ nunc salvantur salvatæque sunt nationes, futurorum scientiam per legem Prophetásque noscentes, quæ erant pro mundi salute faciunda nescire nullatenus potuerunt, cùm & Deum nossent & Dei eloquiis non carerent.

ZACH. Non fallitur æstimatio tua Redemptoris nostri Nativitatem, & quæ secundùm Deum & quæ secundùm hominem in uno eodémque nunc permanet, totis scripturarum voluminibus contineri; apertéque Judæis sacri adventus mysteria revelata, quæ intimare summatim ab animo non abesset, si in cunctis attentos sensus sequeretur ordo sermonum. Sed quoniam voluntas nobis intelligentiæ simplicis non pugnæ contraria difficultas est, auditioni tuæ satis sit libatis fastigijs totam lucem in parte luminis intueri, & utrumque brevi expositione percurrere. In libro itaque Geneſis dum refertur conflagratio Sodomorum, unius quidem ut semper voluntatis, sed non unius personæ actus ostenditur, Scriptura
Gen.19.24. dicente: *Et pluit Dominus à Domino de cælis.* Moyses iterum Dei jussu in lapide constitutus cùm posteriora illius cerneret, Trinitatis distinctionem in numero desi-
Exod.34.6. gnavit dicens, *Domine, Domine, Domine, misericors &*
Psal.109.3. *miserator.* Per David autem loquentis ad Filium Dei Patris hæc verba sunt: *Ex utero ante luciferum genui te.*
Prov. 8.27. Per Salomonem verò de se Filius ipse testatur: *Cùm pa-*
Secundùm 70. *raret Dominus cælum aderam illi. Cùm secerneret suam sedem, & super ventos validos faceret nubes, cùm confirmatos poneret fontes sub cælo: quando fortia faciebat fundamenta terræ; ego eram apud eum disponens, ego eram cui adgaudebat; quotidie jucundabar ante faciem ejus: cùm*

lætaretur

Digitized by Google

lætaretur orbe perfecto. Idem iterum dum de ejus ac Patris ambigit nomine, proprietatem veræ nativitatis exponit dicens: *Quod nomen ejus, vel quod nomen Filij ejus.* Hæc de Chriſto ſecundùm Divinitatem ad præſens dicta ſufficiant. *Prov.30.4.*

Adſumendi verò corporis fidem Moyſes primùm juſſus hoc populo prædicare ſic loquitur: *In noviſſimis diebus Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus veſtris ſicut me: hunc audietis, & qui non audierit Prophetam illum, ego vindicabo, dicit Dominus.* Quod teſtimonium à Salvatore firmatum eſt, cùm in Evangelio eoſdem Judæos increpans dicit: *Si crederetis Moyſi & mihi credereti: de me enim ille ſcripſit.* Innumeris verò ſub ejuſdem Moyſi perſona trucem populum dum Jeſum Nave Deus commendaret, admonuit ut in cognomine terreni ducis, futuri & cæleſtis vocabulum noſceretur: Ait enim Deus ad Moyſen: *Ecce hic Ieſus qui adſiſtit tibi, vide ne ſpernas illum, quia & ipſe obtemperans tibi erit; & nomen meum eſt in illo.* Planiſſimè denique per Jacob Patriarcham veritas Propheticæ benedictionis impleta eſt, cùm & Dux & Princeps, id eſt Rex & Sacerdos, uſque ad ejus tempus Judæis futurus verbis talibus intimatur: *Non deficiet Dux de femoribus Iuda, & Princeps ex Iſrael, donec veniat cui repoſitum eſt: & ipſe eſt expectatio Gentium.* Balaam perinde in Numeris eadem adnuntiat, dicens: *Orietur ſtella ex Iacob, & homo ex Iſrael exſurget.* Quod Magi in Orientis ſemper partibus retinentes primi ortum Salvatoris inſpecto ſydere nuntiarunt, & quod olim per auctorem ſuæ artis fuerat prophetatum, per ipſos cognita æterni luminis inſpectione completum eſt. Per Eſayam denique Deus loquitur: *Ecce mitto in Sion lapidem electum, angularem, pretioſum; & qui crediderit in illum non confundetur.* *Deut.18.15.* *Ioan.5.46.* *Gen.49.10.* *Nu.24.17.* *Iſa.28.16.*

Hunc eumdem ex Virgine naſciturum idem Propheta ſic memorat: *Ecce virgo concipiet* * *& pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Sub verbis iterum eorumdem Judæorum in futuro judicio gementium, cùm Chriſtum in Patris *al.ad.* *Virgo in utero accipiet. *Iſai.7.14.* *Matt.1.23.*

Digitized by Google

Majestate conspicient, hæc deprompsit: *Non est Deus præter te: tu enim es Deus & nesciebamus.* Hieremias autem fidelis populi vocibus hæc exponit: *Hic est Deus noster, & non deputabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Micheas verum etiam locum in quo erat oriundus ita prodidit: *Et tu Bethleem domus illius Euphratæ, numquid exigua es, ut constituaris in millibus Iuda? Ex te enim mihi prodiet qui* * *sit Princeps in Israel; & processiones ejus à principio sæculi**. Innumera præterea leguntur & suppetunt, quæ mysterium nativitatis utriusque in Deo Christo apertissimè docent; sed confutari perditos ac rebelles suorum tantùm auctoritatibus ratio est: & sicut jam admonui, interrogationi potiùs tuæ quàm renitentium intentioni respondere propositum: habere enim prolixitatum necessitatem ratio certaminum potest, expleri brevibus æquum est studia consulentium.

Baruch. 3. 36.

Mich. 5. 2.

Cod. Arn. * ut. *Item,* * ei ab initio à diebus sæculi.

CAPUT V.

Si & in alijs seducuntur Iudæi, præter id quod Dei Filium non credunt.

APOLL. Dubium non est his testimoniis nequaquam subtrahi fidem posse, atque ejusmodi probationes, nè ab ipsis quidem Judæis, nisi insanire plus malunt, æquanimiter improbandas; præcipuè cùm ex eorumdem voluminibus intimatæ adeò clara integritate perluceant, ut etiamsi sine adsertore percenseas, ipsa se comprobent. Verumtamen quibus idem Judæi in diversum agantur exemplis, fieri certior cuperem, nec solùm rectis sed contrariis pariter edoceri; quoniam illa demum consummata dici doctrinæ veritas potest, quæ errantibus non solùm in quo corrigi possunt; verùm etiam in quo per semet depravantur ostendit.

ZACH. Inculcatum tibi sæpissimè retines, unum Deum esse, hoc est unam Trinitatis Divinitatem, & in hujus vocabuli appellatione significationem unius sub-

Digitized by Google

stantiæ non unius esse personæ: Sed illis hinc error occasióque perfidiæ est, quòd sibi in Horeb monte Dei vocibus hæc dicantur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Et iterum: *Ego Deus, & præter me Deus non est.* Et tertiò: *Ego Deus, & non demutor: gloriam meam alteri non dabo.* Non utique nulli, sed non alteri, id est, huic tantùm dabo per quem vobis ab initio amissam immortalitatem in melius reparari in prædestinatione constitui: demutari autem verè non potest, qui dispendium augmentúmque non recipit. Cùm verè alia Divinitas non sit, necesse est ut Deus alius non dicatur. Hoc tamen Judæis de unitate Divinitatis non tanquam nescientibus dictum est, sed ad idola transgressuris prædictum, nè Deos scilicet aut interpretarentur aut colerent, qui unum in substantiæ majestate cognoscerent. Illud præterea clarum est, cùm Deus de mundi & hominis creatione disponeret, sacramentum Trinitatis ostensum, Scriptura dicente: *Et dixit Deus faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cùm dicit *nostram*, prodit utique non unius, cùm verò *ad imaginem & similitudinem* profert, æqualitatem distinctionis insinuat, ut in eodem opere sit Trinitatis aperta cognitio, in qua nec pluralitas cassa est, nec similitudo dissentiens, dum & consequentia sic traduntur: *Et dixit Deus fiat:* Et, *Fecit Deus:* Et, *Benedixit Deus.* Deus ergo Pater faciunda denuntiat, Filius perfecit dicta, Spiritus sanctus benedictione confirmat. Et necesse est, ut creationis totius auctor Deus unus sit, tametsi est enuntiantis sermo *faciamus*; quam fidei rationem antiqua denique per Moysen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populum sacramento trinæ invocationis jubetur; Ait enim Deus ad Moysen: *Benedices populum meum, ut & ego benedicam illos: Benedicat te Dominus & custodiat te, & inluminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui, attollat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem.* Unde & intelligis non intereesse indissociabilis atque indemutabilis Dei, si non ad omnes sententiarum proprietates humanæ efficientiæ

Unitas in substantia, Trinitas in personis iterum probatur adversus Judæos.

Deut. 6. 4.
Ibid. 32. 39.
Malac. 3. 6.
Isa. 42. 8.

Genes. 1. 4.

Num. 6. 23.

Digitized by Google

verba conspirent, cùm evidenti fidelium intellectui sit relictum, ut quod creari à Deo vel effici dicitur semper à Trinitate credatur.

CAPUT VI.

Si Dominicæ Passionis Sacramenta Prophetarum oraculis sint prædicta.

APOLL. SPecialibus documentis Christi Nativitas in Deo & homine monstrata est, atque indubitanter apparuit Spiritum Sanctum in eadem substantia permanentem sacramentum perfectæ Trinitatis implere. Unde nunc eadem si suppetit Scripturarum editione confirma, utrum & Dominicæ Crucis prædicta sit passio, vel si in aliquo legis veteris corpore venerandæ mortis indicia prænotantur, ut sollicitudine parumper indulta, hanc denique sacri operis partem ordo cœptæ eruditionis inlustret, quam dudum simplicis traditionis informatio revelavit.

ZACH. Est planè omnium Scripturarum non solùm de Passione, verùm etiam de Resurrectione, cælique consensu aperta prædicatio, atque in nobis Dei Regnum à Christi Passione cœpturum præscia Prophetarum ora cecinerunt. David præ cæteris sic loquente: *Dicite in Gentibus Deus regnavit à ligno.* Non quòd non semper à conditione nostra sub Dei Imperio fuerimus, sed quamdiu ab ejus cultu ac voluntate dissensimus æstimati sumus alieni. Unde & Moyses prædictum populum Propheticè increpat dicens; *Erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* De quo & in Numeris ita scriptum est: *Non quasi homo Deus suspenditur, nec quasi filius hominis minas patitur.* Verè enim in ea exprobratione quòd se Dei Filium diceret cuncta perpessus est, & non ut homo datus est morti*, quem non à crimine Crux recepit. Per Amos verò Prophetã spiritus loquitur die media, sicut factum est in Passione illius, noctem futuram; ait enim: *Et erit in die illa dicit Dominus, occidet sol meridie, & dies lucis obtenebrabitur* super terram.* Et Hieremias: *Exterrita est quæ*

Psal. 95. 10.

Deut. 28. 66.

Id est, & non quòd hominem se diceret, morti datus est.

Amos. 8. 9. *al.* * & in die lux obtenebrab.

Digitized by Google

parit, & timuit anima ejus. Subiit sol cùm adhuc medius dies esset, & confusa est. Sub verbis autem ipsius Domini, etiam tormentorum atque illusionis injuriam Esaïas apertissimè declaravit dicens: *Dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non averti à fœditate sputorum.* Hinc & per David antè prædixerat. *Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt universa ossa mea. Ipsi verò considerаverunt & conspexerunt me. Divisерunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Nota omnibus causa est, à militibus qui eum cruci dederant vestem illius fuisse divisam, & unum ex omnibus vestimentis cessante judicio sorte transcriptum; aceti similiter & fellis admixtio, quam ijdem Judæi pendenti in Cruce Domino dederunt, per David longè ante prædicta est, sic loquente: *Dederunt mihi in escam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Ita & per Zachariam de vulnerum acerbitate conquestus est dicens: *Intuebuntur in me quem transfixerunt.* Lancea enim latus illius penetrante, quia frangere os jam defuncto sævientibus non licebat, quod olim Moysi dictum fuerat impleverunt; ait enim Dominus ad Moysem: *Accipient agnum maturum anniculum ab agnis & hœdis, & occidet eum omnis multitudo Synagogæ ad vesperum, & manducabunt ea nocte; & os non frangetis ex eo.* Latrones denique suspensioni ei esse jungendos Spiritus prophetavit, dicens: *Et deputabitur cum iniquis.* De pactione verò infelicis Judæ, qui unus ex Apostolis fuit, & Salvatorem acceptis triginta argenteis tradidit, adeò Scriptura non tacuit, ut modum quoque pecuniæ designaret, ait enim: *Et fecerunt pretium appretiati triginta argenteos.* His testimoniis Passionem probasse sufficiat.

Ierem.15.9. *Isa.50.6.* *Psal.21.17.* *Psal.68.22.* *Zach.12.10.* *Exod.12.3. & seq.* *Isa.53.12.* *Zach.11.13.*

Nunc verò Resurrectionem sub ipsius Salvatoris verbis ad Patrem loquentis agnosce, David plenissimè perdocente: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Dicere hoc de se prædictus Propheta non potuit, qui usque ad communis resurrectionis diem, in ea qua est Patribus additus corruptione, durabit. Per Esayam similiter: *Nunc resurgam,*

Passione Christi probatâ, de cjus agit Resurrectione. *Psal.15.10.* *Isa.33.10.*

Digitized by Google

nunc glorificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc erubescetis. Verè autem de Salvatore præmonitum præstitâ inferis bidui morâ, & pòst ascensus consequens prodit, quo corpus sponte depositum, sponte iterum propria resumens evexit. Hunc enim dierum post Resurrectionem illius numerum Osee Propheta apertiùs indicavit dicens: *Vivificavit nos Deus die tertio, post biduum* resurgemus.* Esayas verò totam Passionis Ascensúsque indicans fidem, hæc in prædicatione sua posuit. *Tamquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum*. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem autem illius quis enarrabit? Quoniam tolletur à terra vita ejus*.* David perinde sub verbis Dei Patris ad Filium proloquentis, non solùm ascensum, sed & judicium prædicavit, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Cùm igitur testante Propheta Dominus ad Dominum sit locutus, cui dubium est, quòd Filio Pater in gloriam Divinitatis ex homine transeunti, cælestis judicij potentiam ac vim exercendæ majestatis insinuet, sicut ipse in Evangelio de hoc eodem loco dicit, nulli umquam Angelorum aut hominum dictum fuisse, ut ad Dei Patris dexteram sedens subjectos pedibus nominis sui calcaret inimicos? Hunc sibi Zacharias astruens demonstratum, sic locutus est: *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem illum magnum stantem ante faciem Angeli Domini; & diabolus stabat ad dexteram ejus adversari ei: & dixit Dominus ad diabolum: increpet Dominus in te Diabole, increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem. Nonne hic titio extractus ex igni est*?* Id est, numquid non peracta jam passio est, & hominis fragilitate deposita, potestas Christo sempiterna successit? Daniel quoque paria de eodem proferens ait: *Videbam ecce in nubibus cæli quasi filius hominis venit usque ad veterem dierum; qui assistebant obtulerunt eum, & data est ei potestas regia, & omnis terra*, & genus, & omnis claritas servient ei: & potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; & Regnum illius non corrumpetur.* Hæc itaque

Ose. 6. 3. *al.* * post duos dies.

Isa. 53. 7. *al.* *tondente se non aperuit os suum. *al.* * quoniam tolletur, &c. Generationem, &c. *Psal* 109. 1.

Zach. 3. 1.

al. * Nonne extinctus ex igni est?

Dan. 7. 13.

al. * & omnes Reges terræ.

Digitized by Google

Judæi audiunt & recenſent. noverunt iſta, nec tamen credunt Chriſtũ, quem à Patribus abjuratum non neſciunt: ſed neſcire ſe ſimulant, dum ita ſemper etiam in eadem quam præferunt lege vixerunt, ut id quod labiis fatentur, corde ſimul & opere denegarent.

CAPUT VII.

Cur antiquæ legis portio ſit reciſa: vel quæ volumina obſervantiam juſtitiæ tradiderint.

APOLL. SAtis abundéque monſtratum eſt Reſurrectionem Dominicam, Aſcenſúmque cæleſtem Divinis teſtimoniis elucere, & iſta omnia ſpiritalibus fulgere documentis, ut etiam ſi admiſſi facinoris aliqua poſſint ignorantiæ excuſatione defendi, damnari præſentium incredulitatem veritas latiùs diffuſa compelleret; quia auctoritatem cæleſtium ſtatutorum actus denuntiatæ humilitatis implevit, & ſubcreſcentium docet credulitas populorum: pande nunc itaque cur legis veteris portio ſit reciſa, vel quæ antiquandorum priorum voluminum cauſa formam obſervantiæ juſtioris invexerit; cùm & idem utrorumque ſit conditor, & idem Divinæ majeſtatis ſubſtantiam poſſidenti nec voluntas in ratione diſſentiat, & in præſcientia æternitas obſecundet.

ZACH. Fidelis ac vera profeſſio eſt utraque unius Dei cenſere præcepta, & per Moyſen traditam legem non abrogatam per Chriſtum, ſed impletam fateri, ipſo in Evangeliis ſic proteſtante: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Olim enim Evangelicæ prædicationis promiſſa lex fuerat, Deo per Eſayam ſic loquente: *Lex ex Sion prodiet, & verbum Domini ex Ieruſalem.* Id eſt conſummata juſtitiæ fideíque doctrina per Chriſtum in Eccleſia dignoſcetur. Et iterum Micheas: *Lex ex Sion prodiet, & ſermo Domini ab Ieruſalem: & judicabit inter plurimos populos, & revincet & deteget validas nationes.* Alioquin veteri lege jam tradita, quæ alia niſi Evangeliorum nunciabatur addenda? De qua per Jeremiam ſimiliter eſt locutus: *Ecce dies veniunt, & conſummabo*

Matth. 5. 17.

Iſa. 2. 3.

Mich 4 2.

Ierem. 31. 31.

Digitized by Google

supra domum Israel, & domum Iuda testamentum novum. Non secundùm testamentum quod disposui Patribus eorum. Cùm adprehendi manus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Id est mitiorem in Evangeliis ordinabo, illáque cessabunt, de quibus scriptum est: *Dedi illis præcepta non bona, in quibus non justificabuntur in eis; sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Quædam ergo in lege idcirco severiùs sunt statuta, ut rebellem populum atque adsueta Gentilitate lascivum potiùs humiliarent, quàm attolli justificaturi * permitterent, & velut quadam custodia disciplinæ præsentis pœnæ terrore cohiberent, quos adhuc longè à sæculi fine degentes *, servare judicij interminatio tarda * non posset. Hinc illud est: *Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ne manducaveritis, ne contigeritis.* Hinc mensium observatio definita, neomeniarúmque festivitas: hinc statutum Sabbati iter, ac penè totis humanorum actuum rebus otio intercluſa libertas. Sacrari verò pecudum atque alitum victimas prima ratio consuetæ abominationis exegit; quia arceri ab hiisdem repente non poterant, consultiùs fuit paulatim abolenda respuere, quàm statim inhibenda punire.

al.* justificatura.

al.* gentes.

al. * deest, tarda.

Lev. 24. 20.

Ibid. 11. 8.

Hæc autem alia & evidens ratio est, quòd licet Gentilium ritu hostias immolabant, Deo tamen docebantur offerre, quod præstare idolis antè consueverant, & multiplicis sacrificij actibus occupatis ne cogitare quidem de transgressione spatium aut occasio præbeatur, cùm & quod desiderare possint, non auferebatur, sempérque supererat quod explere devotionis intentionem valeret. Denique mox audiunt Prophetam: *Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum dicit Dominus, plenus sum: Holocaustomata arietum, & adipem agnorum, & sanguinem hircorum & taurorum nolo: nec sic veniatis ante conspectum meum: Quis enim exquisivit ista de manibus vestris? Calcare regiam meam non adponetis. Si attuleritis similaginem vanum est: incensum abominatio est mihi. Neomenias vestras & Sabbata, & diem magnum non sustineo. Iejunium & dies festos vestros odit anima mea. Facti estis mihi in abundantiam. Non dimittam peccata vestra.* Id est, non his

Isa. 1. 11.

Digitized by Google

his piaculis crimina veſtra purganda ſunt, ſed quid eſſet in noſtro baptiſmate purificationis futurum propheticè demonſtravit dicens: *Lavamini, mundi eſtote.* Id eſt, cùm illius viſitationis tempus advenerit, ſpiritalis lavacri Sacramenta ſectamini: *Et ſi fuerint delicta veſtra ut fenicium, ut nivem dealbabo ea; ſi autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam.* In fenicio obſcuritas peccatorum, in cocco mens cruenta ſignatur. Talibus ergo per Chriſtum denuntiata mutatio in melius verſa eſt, ac pro obſoletis pecudum atque alitum victimis cæleſte fidelium munus pura oblatione celebratur, & contra omnes inſidias infeſtantis inimici ſpiritalis ſacrificij admixtione munimur; & illud in adſumptum hominem Dei Patris completur edictum: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Ubi ergo Evangeliorum tempus inluxit, ſolvit continuò gratia quos legis ſervitus retinebat, ſacróque Domini ore prædicatum eſt: *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & invenietis requiem animabus veſtris. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ne autem prædictarum vindictarum rigor maneret, & medelam ſalutaris pœnitentiæ incumbens reatui exitus raperet, ſequeſtrari judicio plectenda conſtituit: In Evangelio Dominus ita prædicans: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Quoniam niſi emendatio juſta ſucceſſerit, nemo rectiùs vindicat, quàm qui in admiſſi probatione non fallitur.

Iſa. 1. 16.

Ibid. 1. 18.

Pſal. 109. 4.

Matt. 11. 28.

Rom. 12. 19.

Sic itaque & Sabbati abolitus torpor eſt, atque à bono opere nullum fidelibus tempus excluſum; ipſo in Evangeliis ſic loquente: *Quia licet Sabbatis bene facere. Et quia Filius hominis Dominus Sabbati eſt.* Edendi præterea quæ cõveniant facultas eſt attributa; quoniam ut ipſe teſtatus eſt: *Non coinquinant hominem quæ in os ingrediuntur; ſed ea quæ de ore exeunt.* Ita hæc omnia quæ cruciatui rebellibus erant indulta per Chriſtum libertate ſolvuntur, paucíſque à ſuperſtitione ceſſantibus quæ verè juſtitiam merentur adjecta ſunt; atque ideò inter exordia & plenitudinem fidei lex media ſurrepſit, quæ feras Judæorum

Matth. 12. 10. 12.

Ibid. 15. 11.

Digitized by Google

mentes talium sanctionum difficultate confringeret, & venturæ indulgentiæ gratiam suscipi faciliùs persuaderet, quàm diuturnæ absolutio servitutis, & exoptata olim libertas amabiliorem etiam incredulis reddidisset.

CAPUT VIII.

Quæ sit Iudæis in Circumcisione justitia,

APOLL. NOn immeritò in hujus causæ interrogatione prospexeram aliquod Divinæ providentiæ fuisse consilium, ut hæc rudis populi permissa primordiis velut profutura ac placita juberentur, quæ aboleri postmodum conveniret. Quid rogo in Circumcisione hisdem Judæis sanctificationis aut meriti est, quod ea sibi etiam nunc invicem baptismatis blandiuntur, quam in signaculum tantùm electæ sobolis constitutam præcedentis libelli tenore signaveras? Et procul dubio clarum est eos justitiæ præmiis carituros, si in hanc tantùm corporis imminutione fidentes totius spei documenta componant, quos rejecta carnis injuria gaudere potiùs incruentis sancti Spiritus muneribus oportebat.

ZACH. Rectè recolis prioris libelli hujusmodi expositionem fuisse, in Circumcisione carnali signaculum fidei
Gen.17.10. non statum fuisse justitiæ, Scriptura memorante: *Et dixit Deus ad Abraham: hoc Testamentum meum servabis inter me & vos; tu & semen tuum tecum. Circumcidetur omne vestrum masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri. Et erit in signum testamenti inter me & vos.* Hanc usque ad Christum carnaliter custoditam Jesu Nave actus subsequens probat, qui post excessum eremi in qua iidem Judæi quadraginta vixerant annis, nec quisquam huic fuerat subjectus injuriæ, quia in solitudine permixtio extraneorum non erat populorum, plebem signare præcipitur, atque indicto patribus more, Jordanem transituris cognitionem avitæ credulitatis imponere, Scriptura
Ios.5.2. dicente: *Et ait Dominus ad Iesum Nave, fac tibi cultellos petrinos, & sedens circumcides secundò filios Israël.* Istud quidem & secundùm litteram contigit, sed in nos magis prophetica interpretatione porrectum est. Iesus enim

Digitized by Google

ille ſed vocabulo tantùm noſter* & facto, Angelo ad Paſtores in Evangeliis nuntiante: *Natus eſt*, inquit, *vobis hodie Salvator, quem vocabitis IESVM: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* In ſecundis autem filiis Gentium intelligitur populus, & in abſciſionibus petrinis Evangelicæ conveniunt diſciplinæ. Unde Moyſes primùm talia prophetavit dicens: *In noviſſimis diebus circumcidet Deus cor veſtrum, & cor ſimilis* populi tui ad amandum Deum veſtrum.* Hieremias perinde non carnem circumcidendam ſed corda denuntiat dicens: *Circumcidite vos Deo veſtro; ſed circumcidite præputium cordis veſtri.*

al. * verbo noſter. Luc. 2. 11. Matth. 1. 21. Deut. 30. 6. al. * ſeminis. Ierem. 4. 4. al. * &.

Dominus autem in Evangelio Principi Judæorum evidentiſſimè proteſtatur: Nullum penitus ſine lavacro ſpiritalis aquæ poſſe ſalvari, aut poſſeſſionem regni illius adepturum; ait enim: *Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non videbit Regnum Dei.* De quo tamen per Eſayam antè prædixerat: *Nolite priora meminiſſe, & antiqua nolite recordari. Ecce nova facio quæ nunc orientur: & cognoſcetis ea: & faciam in deſerto viam, & flumina in loco inaquoſo adaquare genus meum electum, & plebem meam quam adquiſivi ut virtutes meas exponeret.* Et iterum; ſi ſitierint per deſertum: *Adducet illis aquam de petra, findetur petra & fluet aqua, & bibet plebs mea.* Et tertiò: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Itaque ſecundùm Apoſtolum, *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Quæ in fide Evangelicæ credulitatis impleta, gratiáque baptiſmatis, nonnumquam * ſicut antè aut populum ſignat aut ſexum: ſed injuriam carnis in ſignaculum ſpiritale convertens, nec ſexum excipit, nec gentem ſecernit; atque in ſe omnes æqualiter ſalvans præputium in vitijs reputat, & circumciſionem tradit in moribus; quia id quod veræ ſanctificationis eſt in fide dignoſcitur, quia manifeſtæ fidei operibus juſtitiæ non injuriæ corporis deputatur.

Ioan. 3. 5. Iſa. 43. 18. Num. 20. 8. 1. Cor. 7. 19. f. * non unquam.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Cur licuit Patriarchis habere in conjugio plures.

APOLL. HUjus quoque dispensationis sicut accepe-
ram * certa probatio est, & Judæorum
vana * præsumptio, qui reputandum * sibi pro munere
baptismatis credunt, quod pro temporis ratione præ-
ceptum, non statutum fidei, sed notitiam generis custo-
diunt *. Quid Patriarchis justitiæ merita retinentibus,
quam ob causam habere in conjugio conventúque plu-
res licuit? Nec in peccatum Deo utique sciente repu-
tatum est, quod nunc ita inhibetur & plectitur, ut non
solùm Dei dignum æstimetur offensa, sed ultione homi-
num judicetur.

al. * sicut in cæteris.
al. * stulta præsũptio.
al. * putandum.
al. * non statũ fidei, sed notitiam custodivit.

ZACH. Multiplex quidem apud plures licentiæ istius
causa est, sed hæc præcipua fuisse credenda, ut perfe-
ctionis ordine sequestrato, Dei primùm credulitas fun-
daretur, & fidem potiùs stabilire contendens lex inlata
non tolleret, quod fieri velut innoxium repperisset,
eáque tantùm signarentur inlicita quæ verè mortalia
credebantur. Inde Abrahæ fides pro justitia reputata est,
Rom. 4. 3. & devotio cessit ad merita, Scriptura dicente: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Deinde
quòd plebem exiguam Divinitas fovens, gaudere voluit
successionibus numerosis, ut præ cæteris diligebat, &
maledictum legis effugeret, cui semen in sobole substi-
tisset; sed excusatio cunctis ista communis est, & non
paucorum causa, sed populi: Patriarchis verò extrinse-
cus æstimatur; nam promissum ex semine suo Christum
dum sibi quisque crederet proventurum, & oriundum
adhuc absque semine non legissent, tantæ sobolis amore
ferventes conjugia adiere multarum, infirmissimum ju-
al. * sobolẽ. dicantes uni tantùm matrimonio spem * sublimissimi ger-
minis deputare. His enim Dei verbis Abrahæ primùm
Gen. 22. 18. ejus facta promissio est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Pari propemodum Patriarcha Jacob honoratur
Gen. 35. 11. eloquio, Domino ad eum loquente: *Ego sum Deus tuus: cresce & reple gentes, & Ecclesiæ Gentium erunt de te, &*

Digitized by Google

Reges de lumbo tuo exibunt: & terram quam dedi Abrahæ & Iſaac tibi dabo eam & ſemini tuo poſt te. David autem in ſpiritu planiùs ſibi hæc promiſſa commemorat dicens: *Iuravit Dominus David *, & non pœnitebit eum. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Similis per Eſayam promiſſionis iſtius ordo ſervatus eſt; Ait enim: *Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice aſcendet; in ipſo gentes ſperabunt.* In virga MARIÆ venerabilis monſtratur integritas; in odore floris & gratia ſignatus eſt Chriſtus: ipſo in Canticorum Canticis hoc docente: *Ego ſum flos campi, & lilium convallium.* Ergo hæc avidorum vota ſimplicia, Domino per Eſayam loquente, molita ſunt, dum in ſalutem humani generis per occaſionem * ſigni virginalis partus oſtenditur, Propheta ad Achaz promiſſionem muneris iſtius ſic loquente: *Ecce dabit Dominus ſignum. Virgo concipiet & pariet filium.*

Pſal. 109. 4. 131. 11. *al * deeſt* David.

Iſa. 11. 1. *Ibid.* 10.

Cant. 2. 1.

al. * pro occaſione.

Iſa. 7. 14.

Prima ergo eſt cauſa, quòd non vetitis ſimpliciter ſunt abuſi, miſſiſque in numeroſam ſobolem ſtudiis augeri inſipientem populum Divinitas voluit. Hæc denique inſuper juncta, quòd ex genere ſuo Chriſtum promiſſum tamdiu ſibi euenturum accerſione * multiplicis matrimonij incauta ſanctorum deſideria putaverunt, donec ex virgine naſciturum prædicatio continentiæ jam vicina revelaret, & idem ſenſim ſalutis noſtræ Reparator & Conditor creſcente juſtitia impleturus adferret quod olim per diſpenſationem immaturi temporis diſtuliſſet.

al * acceſſione.

CAPUT X.

Quæ Gentium offenſæ: cur Iudæis, quibus priùs lex data eſt, abjectis, Gentes quotidie amplectitur Deus, & edocet.

APOLL. QUantum reor, & patere omnium intellectibus credo, à cunctis ſævioris concupiſcentiæ ſuſpicionibus Sanctorum ſimplicitas abſoluta eſt, præcipuè cùm explorator mentium Deus prærogativam juſtitiæ talibus non dediſſet, ſi id quod prohibitum pro diſpenſatione non fuerat, præſumptum injuria * comprobaſſet. Sed exactis, ut jam videtur, cauſis interrogatio inopina ſubrepit, quæ fuerit Gentium ſpecialis offenſa,

al. * injuriam.

Digitized by Google

quæ tot sæculis ac temporibus abjectas à Dei informatione repulerit, & nunc spe æternorum munerum provocatas amplectatur ac doceat, Judæis penitus à gratia Dei pulsis, quibus & in legis susceptione usus anterior, & in electione sors prima est.

ZACH. Nullum à principio credentium Deus repulit, nec priùs Creatori suo displicuêre Gentes, quàm beneficiorum illius & suæ conditionis oblitæ pro ejus reverentia vel honore insensibiles colerent creaturas, ac simulacra hominum & pecudum venerantes, his meritò similes redderentur, quæ sibi cùm potiores à Deo facti
Psal. 113. 4. 8. essent prætulerunt; Scriptura memorante: *Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes eis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*
Sap. 15. 11. Similiter & Salomon: *Homo fecit eos, & qui spiritum mutuatus est, finxit illos.* Nemo autem hominum similem sibi poterit Deum fingere cùm sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis; melior est ipse his quos colit, quoniam ipse vixit, illi verò numquam. Et iterum attendentes opera non noverunt quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Cùm ergo totius spei fiduciam, neglecto Creatore, in talibus collocassent, mercedem proprij operis perceperunt, ut sua sponte in omne immunditiarum genus ruentes alienæ ab informatione Dei fierent, quæ solis vitijs serviebant, demersæque criminibus non priùs viam adipiscendæ immortalitatis agnoscerent, quàm Mediatori Dei ex hominum credidissent: unde in Deuteronomio scriptum est Synagogæ Ecclesiam ex Gentibus præferendam: *Eritis*, inquit,
Deut. 28. 44. *Gentes in caput: Incredulus autem populus in caudam.*

Judæis autem quamdiu fides & justitia viguit, Dei quoque ab his dilectio non recessit, ipso per Esaïam in Canticis protestante: *Cantabo nunc dilecto canticum dilectæ vineæ meæ.* Querela in Cantico, dilectus in Christo est; Vinea, Synagoga: hoc enim & in consequentibus
Ibid. 4. ait: *Et nunc homo Iuda, & qui inhabitatis Hierusalem,*

Digitized by Google

judicate inter me & vineam meam : Quid faciam vineæ meæ quod adhuc non fecerim ei : Vinea enim Domini Sabaoth domus Iſrael eſt. Homo Juda Salvator ut ſupra. Hi autem qui habitant Hieruſalem quorum ſpes in Eccleſiæ fide currit. Itaque inter ſe ac populum Judæorum velut pari conditione Dominus hortatur agnoſci. Quid ei adhuc mirabilium ac beneficiorum præſtare poſſit, quod certè non factum ſit : cui ex Ægypto graviſſimæ liberatio ſervitutis, & abſolutæ à cophino manus : cui innumera in Pharaonem atque omnes Ægyptios ſigna, ſicut in columna nubis & luminis die ac nocte viſibile præviæ. Divinitatis auxilium, & à perſequentium impetu impenetrabilis diſcretio tenebrarum inaudita? Præterea pelagi fuga, & contra inſiſtentium violentiam defenſio præliantis elementi ; manna in eremo & ſine decoris * ac veſtium detrimento diuturnæ uſus ætatis : expulſio perinde gentium vi ac numero in patribus præſtita, atque in poſſeſſionem affluentis terræ hereditas conſtituta? Quid objurgatio ſæpe incruenta peccantibus, & abolita paucorum animadverſione tranſgreſſio, remiſſæ peccantium neces ac pœnæ in abuſionem donantis redacta aſſiduitas lenitatis?

al. * corpo-ris.

Tantis igitur debacchantis perfidiæ malis quid adjici pretioſius potuit in medelam, quàm ut in remedia pereuntium ex utriuſque & ſancti Spiritus voluntate Dei * Filius mitteretur, qui fragilitatis noſtræ materiam dignatus adſumere totum in Deo ſuſciperet hominem, ut & totum ſi crederet in ſua adoptione ſalvaret? Sed reſtabat incredulis, ut in illos eorúmque nunc poſteros * ſententia compleretur : *Oculis videant & non videant : corde intelligant & non intelligant ; auribus audiant & non audiant : ne quando convertantur, & ſanem illos dicit Dominus.* Et iterum : *Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, filiis ſceleſtis.* Et tertiò : *Derelinquetur filia Sion ut tabernaculum in vinea, & ſicut caſa cuſtodiaria in cucumerario ; & ſicut civitas quæ expugnatur.* Quæ à ſe olim per Prophetam dicta confirmans, in Evangelio Dominus adprobavit dicens : *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Pro-*

al. * Deus.

Cod. Arn. * nepotes.

Iſa. 6. 10.

Iſa. 1. 4.

Ibid. 4. 8.

Matt. 23. 37.

Digitized by Google

phetas, & lapidas missos ad te: quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Id est quæ Dei erat habitatio antè, nunc dæmonum est: quia quidquid religio vera deseruerit, superstitio prophana sibi vindicat.

Ubi ergo Judæorum perditio in Christi internecione completa est, credulitati Gentium fides patuit promissorum: & sicut ab initio non generis dignitati, sed meritis fidei salus magna promissa est, Domino sic docente cùm se iidem Judæi pro totius fidei probatione Abrahæ filios
Ioan. 8. 44. 39. esse jactarent: *Vos*, inquit, *de diabolo patre nati estis, & opera illius facitis. Si enim Abrahæ filij essetis, opera illius faceretis.* Id est, fides in vobis similis appareret; & sicut
* Cod. Arn. æstimationis. ille in omni humanæ hæsitationis* difficultate mihi credidit, pari & vos mansuetudine credideretis. Hanc tamen eorum cordis duritiam manere quidem pro sui miseratione Divinitas non vult, sed existere pro eorum increRom. 11. 26. dulitate permisit, ac secundùm Apostolum: *Ex parte in Israël cæcitas contigit, ut fides Gentium subintroiret.* Itaque ad obtinenda æternitatis bona nec Judæis prærogativa generis sufficit, nisi & fides origini suffragetur, nósque rursum sola eorum non salvat offensa, nisi prælati humiliatorum pariter vereamur exemplum; & unam in Christo atque indubitabilem viam utrique populo patere credentes, intemerata fidei dona teneamus; sicut in
Ioan. 4. 6. Evangelio ipse nos docuit dicens. *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo vadit ad Patrem nisi per me.* Et, *Qui crediderit in me hic salvus erit.* Ideſt, ut sicut unus Deus, ita unus credentium populus Creatoris in perpetuum serviat voluntati, cultúmque non respuit, dum neutram partem Dei justitia deprimens absolvi lætatur in confes-
* Cod. Arn. in auditoribus. sione credentes, quos incredulitas in auctoribus* prædamnavit.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quæ Hæreticorum genera vel errores.

APOLL. MUlta est Judæorum vecordia si tam perspicua nesciunt, damnabilior contumacia si intellecta contemnunt: sed sive ignorent seu intelligant & recusent, alieni à crimine esse non possunt, quibus aut negligentiæ præjudicium in abusione, aut reatus in incredulitate subeundus est. Hos igitur perditioni suæ, si hoc tamen eligunt, derelinquens, hæreticorum genera erroresque mihi pande, ut in fide tamquam in immobili rupe sistentem, cùm infestare fluctus perfidiæ cœperint, prægogniti antè non moveant. Nam licet simplicis animi fore credam horum pravitates erroresque nescire, munitioris tamen fidei est pro cautione cognoscere.

ZACH. Tantæ hæreticorum ac tam innumeræ pestes sunt, ut *eos non solùm* enumerare difficile, verùm etiam nominare deforme sit; ita miseros evidentium pravitatum detestanda traditio à fide avertendo cæcavit, sic denique in sensus pereuntium subtilitas se diabolicæ fraudis immersit, ut etiam* hæretici hæreticos habere se credant. Hi itaque traditionem Apostolicam relinquentes magistros perfidiæ sunt secuti, & nomen religionis mutavêre cum sensu. Prout enim cuique libuit plebem insciam fallendo seducere, ac sibi honorem parare de crimine, Deum aut ex parte credendum docuit, aut penitus abnegandum: habentes præterea Christi nomen, proprio nuncuparunt, ut quoquo pacto à sacrilegio non abessent, qui Christi nomine derelicto religionis vocabulum ex homine sumpsissent. Quid enim interest ab idolo an ab homine vocabulum accipiat, qui vocari Christianus desistit? Ex illo igitur hæresis unaquæque nunc dicitur, quo auctore transgressa est, & in tantum proprietate criminis delectantur, ut nec sic quidem intelligant se ab unitate religionis abscisos, quòd fidem etiam in nomine perdiderunt.

al. *jam.

Ex Manichæo* itaque Manichæi, ex Marcione simi-

al. *Manete.

Digitized by Google

Varios recenſet hæreticos. *Photinus.

liter alumna plebs nominis: Fotinus* ſuos etiam vocabulo dividit: Sabellius perinde appellari ex ſe conventus ſui exigit partem: Patripaſſianis error nomen impoſuit; & in diaboli hereditate arcem Arius tenens ex ſe gregem nuncupat perditorum. Innumera præterea talium prodigiorum portenta dicuntur, quæ ſtultitiæ vilitas etiam reprehenſione indignos facit. Prædictorum tamen impietati velut in appendicem connexi impugnare Eccleſiam Chriſtúmque non deſinunt. ſed quia ſemper nihil eſt validius veritate, eliſis undique fluctibus magnæ molis pondus immobile eſt, & ictibus propriis infeſta franguntur, dum adhoc tantùm perfidorum conſurgit intentio, ut à ſe invicem diſcrepantes, fidem noſtram dum deſtruere ſinguli cupiunt, adſtruant univerſi.

Quæ Manetis hæreſis.

Manichæus enim duos eſſe adſtruit Deos, duóque principia, quorum alterum bonum, malum credi alterum velit; bonum ſcilicet, qui ſeveritatem veterum præceptorum Evangelij editione molliverit: malum, qui hunc fecerit mundum, & per Moyſen ac per Prophetas cæteros ſit locutus. Humani generis inſuper Redemptorem non veritatem adſerunt carnis habuiſſe, ſed ſpeciem.

Quæ Martionis.

Marcion verò ſecundùm Divinitatem Dei Filium confitetur, ſecundùm hominem negat. Porrò Fotinus ex tempore adſumpti de MARIA hominis Filium Dei dicit, ante tempora non eſſe confirmat. Sabellius cum perfidia, qua in Dei Filium blaſphemat, ut cæteri etiam ſanctum Spiritum diffitetur, & in Patre tantùm ac Filio ſacramentum veræ Trinitatis adſumit. Patripaſſianus eſſe quidem adſtruit Patrem, ſed ipſum mox eſſe ſibi Filium, atque eumdem ab inita *ſubſtantia*, in nativitatem, paſſionémque deſcendere; ſanctum perinde Spiritum etiam in perſona eumdem eſſe, non tertium. Scandit Arius ſublimia ruiturus ad ima, & Trinitatem in perſonis ac nominibus confitetur, ſed unitatem divinitatis excludit, Dei Filium, per quem omnia ſunt creata, creaturam ſtatuens non Creatorem: appellationi præterea nominum gradus adjicit, dignitatem humilio-

Photini.

Sabellij.

Patripaſſiani.

al. * ingenita. *Cod. Arn.* * ſubſiſtētia.

Digitized by Google

rem faciens in honore, quem posterius loquatur in nomine.

Istæ sunt principales hæreticorum sectæ, & tam funestæ hominum persuasiones in dogmata diversa rapiuntur, ut substantiam indissociabilis Dei simplicem & Divinitatis ineffabilis Majestatem aut interpretationibus dividant, aut gradibus exhonorent, cùm & quæ indigna sunt de Deo fingunt, & quæ ei sempiterna vel propria, diffitentur.

CAPUT XII.

Contra Manichæos, qui nos dicunt Dei filios.

APOL. ÆStimari ab his haud dubiè potest, quas haberi principe * loco dicis, quales illæ hæreticorum sectæ sint, quæ condemnari etiam à talibus possunt. Verùm quoniam in sponsione propositi est exemplis cuncta firmari, quibus tandem Scripturis has perfidiæ divisiones gradúsque condiderint, quóve intellectu ad hæc præcipitia sint deducti, interpretationum qualitatibus pande. Ego enim licet nondum quid ab his obtendatur audierim, errare tamen miseros incunctanter adverto, & solam Catholicæ fidei integritatem manere, dum plenitudinem Trinitatis atque ejus spiritalia constituta & probata non renuit, & suscepta custodit.

* al. principi.

ZACH. Si rectè de malis meliora dici possint, profectò veniabilius videretur nescire Deum, quàm impiè confiteri: sed quoniam hi quoque statutorum cælestium damnantur edictis, qui Deum per legem scire neglexerint, eadem perfidos credere detractantes malorum perennium amplexura conditio est, Scriptura memorante: *Qui ignorat, ignorabitur. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Meritò hos eosdem Antichristos vocans, qui veram Religionem latenti perfidia destruentes, ut fidem faciliùs impetant, Deum credere ac prædicare se simulant. Jámque primus Manichæus nefas propriæ traditionis ingressus, ut duos astruat Deos, duóque principia ex scripturis fidelibus auctoritates effecit infideles, Davidicum maximè illud assumens, quo ait: *Tecum principium*

1. Cor. 14. 38. Rom. 2. 12.

Psal. 109. 4

Digitized by Google

in die virtutis tuæ. Non intelligens in verbo esse principium quod verè manens prædicatur in Christo. Diem autem virtutis diem passionis & judicij mox futuri, omnémque Divinitatem non in duobus, sed in Trinitate compleri. Aiunt præterea malum esse qui hunc fecerit
1. *Ioan. 5. 19* mundum, quia scriptum sit: *Mundus in maligno positus est.* Non hæc quæ cernimus elementa sunt noxia, aut mali aliquid vel gignere vel habere credenda sunt, quæ Dei operatione dispositа valde cùm facta sunt placuerunt,
Eccli. 39. 21. Scriptura dicente: *Ecce omnia bona valde.* Sed in malignitate iniquitas nostra. In mundo genus designatur humanum, Johanne dum de adventu Salvatoris prædicat
Ioan. 1. 10. hoc docente; ait enim: *In hunc mundum venit, & mundus eum non cognovit.* Sic diversum Evangeliorum ac legis adserunt conditorem, quoniam in lege ultio præsens, in Evangelijs veniæ locus datur. Lex quidem vicem poscit injuriæ, & parem conditionem sancit admissi. Deus
Nahum. 1. 9 tamen: *Non vindicat bis in idipsum.* Et expensa in corpore pro admissi qualitate supplicia mitioris, ut credimus, judicij sorte pensanda sunt. Istic autem satisfaciendi quidem tempus admittitur, sed nisi dignus pœnitentiæ fructus & opera subsequantur, æternus ignis est vermísque perpetuus; Domino hisdem in Evangeliis protestan-
Isa. 66. 24. te: *Quorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Non ergo alius in Christo Deus, aliudque principium, sed idem latæ olim & nunc impletæ auctor est legis, nec malus in Trinitate quisquam quia unus dicitur bonus, sed cùm in uno Deo divinitatis unitas exprimatur, eadem necesse est bonitatis unitatísque æqualitas *intimetur, cùm & in lege custos justitiæ severitas non malitia sit putanda; & in Evangeliis absque justitia bonitas non credenda.

al. * quæ unitatis æqualitas.

His præterea illud adjiciunt, non veram in Christo carnem fuisse, sed ex nescio quo aëre vel fluento frivolam speciem pro homine demonstratam. Quid ergo universa prædicatio Prophetarum de corporali ejus nativitate præmonuit? Quid diversis vicibus Angeli sunt locuti? Johannes deinde fortasse non missus est, aut illa ad

Digitized by Google

eumdem Dei Patris falsa sententia est: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam?* Malach.3.1. Quid denique intra Beatissimam Virginem infusio sancti Spiritus fecit? Cur non in abolitionem secundùm prædictos tumentis uteri tempus exceptum est? Ubi integra felicis puerperij signa, & partus matrum omnium conditione sublimior? Infans in præsepibus vagiens, ætate & sapientia puer crescens, atque inter electos seniorum cœtus divinorum intellectuum disputator? Quid rogo impietas flagitiosa non diceret, si hæc fundator salutis omnium non egisset: si despiciens prædicantem, & opinionem tantùm originis; non mysterium veræ Nativitatis intelligens incredula Judæorum turba siluisset, dicens: *Nonne hic est filius Ioseph fabri, & mater & fratres ejus nobiscum sunt?* Matt.13.55. Veri ergo hominis gradus isti sunt, & annorum communium certa provectio, Evangeliis sic Luc.2.52. protestantibus: *Proficiebat IESVS ætate, & sapientia & gratia apud Deum & homines.* Meruit ergo esse quòd natus est, qui justitia & vitæ puritate Deo placuit, mansuetudine & humilitate consortibus. Adde usum corporis manifesti; & licet in vita inimitabilis sanctitatis, humanæ tamen infirmitatis natura præsidio indiget vestium; esurit, sitit, mœret, quiescit, dolet, perinde atque in fletum movetur. Neque ullum ulteriùs actum aut spernit aut præterit; quin etiam spiritalibus dolis tentatur & vincit, & hostis sui professione, an sit idem Dei Filius exploratur. Huic in exhortationem victricis constantiæ Angeli ministraverunt; hic traditus osculo, tentus ac passus est: & si probari verum hominem infelix perfidia sibi velit, clamantem de Cruce priusquam moreretur audiret: *Deus, Deus meus quare me dereliquisti?* Psal. 21.1. Ubi enim humilitas & injuria est, hominem intelligas: ubi virtus & Divinitas, Deum credas, Apostolo sic docente: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* 2.Cor.5.19.

Ecce enim infirmus ac subditus statuto Apostolis loco sicut prædixerat, tertia die resurgens vix credendus stupentibus redit, fractisque inferi faucibus cœlo sedem locaturus apparuit: Gratias tibi Thomas, qui unus ex

Digitized by Google

omnibus tardiùs credidisti, qui clavorum loca palpans & totius passionis indicia flagitans, probari tibi confidenter expostulas, quod erat quandoque à perfidis denegandum. Profectò faciliùs incorporeum rediisse contenderent quem sine corpore vixisse confingunt, ex hoc fallaciæ superioris suffragia colligentes, quòd mare pedibus supergressus sit, quòd manentia improvidus claustra penetrarit, atque exceptus nube fulgenti paternum solium iterum venturus inscenderit. Qui Petrum jubente eodem in fluctibus ambulasse non nesciant, & cadentibus sponte vinculis emissum custodiâ carceris per Angelum non ignorent. Paulum verò ut invidiam vanitatis effugeret, in corpore an extra corpus sub Dei tamen scientia usque ad cælum tertium isse fateantur. Heliam denique curru igneo fuisse sublatum, & aspicientes relinquentem Prophetas inauditum homini iter subiisse commemorent. Qui nunc in Dei Filio virtutes hujusmodi non credentes, dum sacramentum veræ incarnationis abjurant, actúmque dissimulant, & hominem nolunt habere quod meruit, & Deum non credunt potuisse quod fecit.

CAPUT XIII.

Contra Marcionitas & Photinianos, quorum unus Dei Filium fuisse corporalem refutat, alius pro tempore fuisse corporalem, perpetuum esse non posse.

APOLL. PAtuit sectæ hujus impietas, & manifestè execrabilis damnanda persuasio, quamvis in exordiis narrationis inspecta sit, de propriis tamen est facta signatior; consequens nunc est, ut quæ sit aliarum in sua traditione perversitas, vel quam defensionem objiciat singularum modum servaturus edisseras; quia speciatim ordinata distinctio confusionem intellectibus derogabit, dum expositionum luce fit clarius, quod errorum tenebris involutum lumen semper refugit veritatis.

De Marcionitarum hæresi. ZACH. Intimatum est superiùs Marcionitas secundùm Divinitatem Dei Filium credere, secundùm homi-

Digitized by Google

nem refutare : Photinianos è contrariò , ex tempore terrenæ Nativitatis Dei Filium dicere , ante tempora diffiteri. Vide concertantium perfidiarum in una conlatione veritatem : ſimul quod in toto eſt neuter confitetur, & quod ſimul in toto eſt uterque non renuit. Dei enim Filius in verbo ante omnium ſæculorum creationem natus ex Patre , de ſempiterno ſempiternus, verus ex vero eſt. Neque in eo aliud poteſt eſſe quàm id quod ſemper in Patre eſt, ipſo in Evangeliis hoc docente: *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt.* Et tamen non ita ab eo velut ſoli propria vindicantur , ſed ita communia, ut in ſingulis plena. Et iterum : *Abraham vidit diem meum & lætatus eſt.* Et, *Ante Abraham ego ſum.* Dicitur perinde ad Patriarcham Jacob : *Fac illi Deo altare , qui tibi apparuit cum fugeres à facie fratris tui Eſaü.* Ipſe iterum in Evangelio ſic locutus ad Patrem eſt: *Clarifica me Pater, claritate quam habui apud te priuſquam mundus fieret.* Iſte eſt qui populum de Ægypto venientem præceſſit in nube. Illum Eſayas manifeſto à ſe viſum teſtatur aſpectu. Ille denique principem cœleſtis militiæ fore in acie à Jeſu Nave interrogatus ſe dixit : *Nemo enim umquam novit Patrem niſi Filius ;* (ſicut ſcriptum eſt) *& cui voluerit Filius oſtendere.* Ille ſe ſemper humanis aſpectibus dedit, qui cœleſtem ſocietatem fragilitati noſtræ admixturus in homine quod erat futurus jam meditabatur intelligi. Hæc itaque Marcionitis ſecundùm Divinitatem dicta ſufficiant.

Iohan.16.15

Iohan.8.56.

Geneſ.35.1.

Iohan.17.5

Matth.11. 27.

Corpoream nativitatem Photiniana viciſſim hæreſis agnoſcat, ait Dominus ad Nathan Prophetam : *Vade, dic ſervo meo David, non tu ædificabis mihi templum, ſed ſuſcitabo ſemen tuum poſt te , & parabo regnum ejus ; hic ædificabit domum nomini meo , & erigam thronum ejus in ſæcula , & ego ero ei in Patrem , & ipſe erit mihi in Filium.* Similiter in Geneſi Patriarcha Jacob de eodem ante prophetaverat : *Iuda te laudabunt fratres tui : manus tuæ ſuper dorſum inimicorum tuorum : Adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda de germine filius mihi aſcendiſti : recubans dormiſti ſicut Leo & ſicut Catulus Leonis:*

De Photiniana hæreſi.

2 Reg.7.5. 12.

Gen.49.8.

Digitized by Google

quis suscitabit eum? Fortè non lateat nobilissimæ feræ hanc esse naturam, ut Leo sine spiritu integra tantùm corporis forma nascatur, jacénsque sic biduum spiramine genitoris usum vitæ communis accipiat: unde hæc in Salvatorem * suscitatio comparata, meritò subjecit: *Quis suscitabit eum?* Nemo utique nisi Pater: Adoratus verò Judas à fratribus suis non est, sed quia ex eadem Tribu corpus assumpsit*, Propheticæ benedictionis eloquiis Salvator in Juda: credentes autem computantur in fratribus, ipso in Evangeliis sic protestante: *Hi sunt fratres mei qui faciunt voluntatem Patris mei, qui est in cælis.* Esayas perinde ait: *Confortate* manus resolutas, & genua debilia roborate: Dominus noster judicium retribuit; ipse veniet & salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient: tunc saliet claudus sicut cervus: & plana erit lingua mutorum.*

al.* Salvatore.

al * assumet.

Matth. 12. 50.

Isa. 35. 4. al.* confortamini manus resolutæ & genua debilia.

Jam quidem hoc in Evangelio novimus factum, sed faciundum pleniùs in resurrectione confidimus, cùm innovata siccis ossibus membra jungentur, & post assumptorum corporum pulverem spiritalis formæ muneribus induemur; Apostolo sic docente: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem: & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Ut simus conformes formæ corporis Christi, quem Hieremias venturum in corpore prædicans ait: *Et homo est; & quis cognoscet eum?* Non enim fuerat necessarium cum adjectione hominis de Deo loqui, nisi ut in Deo homo pariter monstraretur. David autem sub verbis Domini ipsius ait: *Dominus dixit ad me filius meus es tu; ego hodie genui te.* Quod testimonium in Evangelio gemina Patris voce firmatum est. Primùm cùm à Johanne baptizatum Jordani se mitteret: secundò cùm in monte futuræ claritatis splendore perfusus medius inter Moysen Heliámque consedit. Hæc itaque de eodem Dei Patris utroque in tempore verba tonuerunt: *Hic est Filius meus dilectus in quo benè complacui: ipsum audite.* Id est, jam non Moysen qui nunc speciem legis exhibuit, aut Heliam qui figuram intulit Prophetarum, sed hunc audite, cui & sermo in potestate est, & in virtute lex gratiæ.

1. Cor. 15. 53.

Psal. 2. 7.

Matth. 17. 5

Digitized by Google

gratiæ. Sic enim de eo Scriptura prædixerat: *Orietur vobis ſol juſtitiæ, & in pennis ejus ſanitas.* Paulus quoque prædicans ait: *At ubi venit adimpletio temporis, miſit Deus Filium ſuum qui factus eſt ei ſecundùm carnem.* Johannes ſimiliter: *Omnis*, inquit, *ſpiritus qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt: qui autem negat, de Deo non eſt, ſed Antichriſtus eſt.* Malach. 4. 2. Galat. 4. 4. 1. Iohan. 4. 2.

Vides ergo perfacilè Fotinianorum, Marcionitarúmque doctrinas poſſe convinci; ſed imbutas funeſtis fraudibus mentes antiquus ſerpens diris nexibus inligavit, ut ſectæ inexpiabilis labem quadam conſtantiæ præſumptione tueantur. Nihilominus tamen per utriuſque confeſſionem veritas manifeſtæ Divinitatis elucet, dum altercantium malignitas diſcors hebéſque perfidia partem negantis adfirmat, cùm partem negaverit confitentis.

CAPUT XIV.

Contra Sabellianos, qui Spiritum ſanctum Deum negant, credendum donum potiùs quàm donatorem adfirmant.

APOLL. PLana eſt etiam in his ſperatæ expoſitionis inſpectatio, & utriuſque ſectæ indubitata perverſitas infelicium pravitatum commenta nudavit. Ordo nunc, hæreſes pergat in ceteras, & cunctarum vulgationem ſeries cœpta percurratur, tamquam venenatorum anguium intra volumina peccatorum * conditos ſinus inlata fidei lux revolvat*; non quia tales mereantur agnoſci, ſed nè dubiorum ſenſibus nocituræ faciliùs dum ignorantur obrepant.

al. * pectorum. Cod. Arn. * reſolvet.

ZACH. Credo teneas in præcedente titulo prænotatum, à Sabellianis præcipuè ſanctum Spiritum denegari, & donum potiùs quàm donatorem impiorum traditionibus dici; malíque hujus auctoritatem ſacris vel maximè teſtimonijs uſurpari, quia & dari legatur & accipi; Salvatore ad Apoſtolos ſic loquente: *Et inſuflans eis dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Quidam etiam diſcipulorum à Paulo interrogati, *An accepiſtis Spiritum Sanctum? neque accepiſſe, nec ſi eſſet ſcire ſe dixerunt.* Quorum intelle- Iohan. 20. 22. Act. 19. 2.

Digitized by Google

ctuum ratio talis est: datur quidem non quia se ipse non præstet, sed ut in eo qui tribuit inesse monstretur. Sicut enim Pater in Filio, & Filius in Patre, ita Sanctus Spiritus in utroque conspicitur*. Hac igitur ratione post Ascensum Salvatoris venturus dicitur qui ab eodem priùs datur; & quem à se postea mittendum promittit, in se jam esse demonstrat; séque similiter post ejus adventum suúmque conscensum nobiscum usque ad mundi consummationem futurum promittens idem Dominus ait: *Et ero*, inquit, *vobiscum usque ad consummationem mundi.* Et iterum: *Nisi ego iero Paraclitus ille non veniet.* Adeò connexa & indissociabilis datio in infusione indubitabilem Dei actu aliam probat in expectatione personam, dum & ascendens ad Patrem nihilominus est nobiscum, & bene ab ascensuro creditur datus qui promittitur adfuturus: quamvis enim Apostoli ante Ascensum Salvatoris, Sancti Spiritus donum fuerint consecuti, in ipso tamen postea plenitudinem perceperunt, libro Actuum sic docente: *Et factus est subitò de cœlo sonus tamquam spiritus validi advenientis; & implevit domum totam in qua erant sedentes: & apparuerunt illis linguæ dividuæ*: sedítque sicut ignis super singulos eorum.* Quin etiam & sermone manifestus est eadem Scriptura memorante: *Et ait Spiritus ad Philippum: accede ad currum Eunuchi.* Et iterum: *Separate mihi Paulum & Barnabam in opus in quo assumpsi eos.* Dominus autem in Evangelio Sancti Spiritus reverentiam cum interminatione commendat dicens: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque hìc, neque in futurum.*

Hic fidelium corda sanctificat, atque ad omnem cælestis gratiæ perfectionem informat & dirigit, Domino prædicante: *Cùm autem venerit Paraclitus ille quem ego mittam vobis à Patre meo, ipse vos diriget, & ipse arguet mundum à peccatis eorum.* Non est ergo munus, sed munerator; nec donum aliquod, sed largitor donorum; non sanctificatur, sed ipse sanctificat; numquam inter creaturas, sed semper in substantia Trinitatis apparens, Apostolo sic docente: *Divisiones gratiarum sunt, idem*

* al. conspicuus.

Iohan. 16. 7.

Act. 2. 2.

* al. divisæ, & dispertitæ.

Act. 13. 2.

Matt. 12. 32

Iohan. 15. 26.

1. Cor. 12. 4.

Digitized by Google

autem Spiritus : & diviſiones miniſteriorum, idem autem Dominus : & diviſiones operationum, idem autem Deus. Ibid. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.*

Jam verò illud affirmare perſtultum eſt, eumdem Angelum aut aliquem de ſupernis poteſtatibus æſtimare, cùm infundi in plures Angeli non queant, quod huic de propria divinitate poſſibile eſt : illum perinde Angeli tantùm obtinent locum, ad quem à Deo aut mittuntur aut redeunt : hic ita alicubi eſt, ut & ubique ſit ſemper, Pſalmiſta dicente : *Quo abibo à Spiritu tuo, &c.* Angelos Pſal. 138.7. idem Propheta ita indicat factos : *Qui facis*, inquit, *Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Pſal. 103.4. Sanctum verò Spiritum Deum eſſe Scriptura evidenter oſtendit dicens : *Quoniam Spiritus Deus eſt.* Ioban. 4.24. In largitatibus liber, in Majeſtate ſimplex, & conſentiens in Patris ac Filij voluntate, non ſubditus, Apoſtolo ſic proteſtante : *Tribuit Spiritus unicuique prout vult : implet omnia nec minuitur, à cunctis recipitur, & ipſe nil recipit, temperat ſancto moderamine pias mentes, & nullius indigens invenitur, in judicio juſtus eſt, promptus in munere.* 1. Cor. 12. 11. Namque & juſtum Ananiæ exitus monuit ; & non inaniter Deum credi ante invocationem docentis Petri Cornelius approbavit : ſed tamen non hæc tantùm ſubſiſtentem ejus in Deitatem perſonam teſtantur aut comprobant. Viventis Dei viva ſpecies in columba ſupernis cælorum ſedibus venit, & ab ipſo ut Redemptor mundi eſſet atque adoraretur ab Angelis unctus eſt Chriſtus, ipſo de Iſaïa in Evangeliis ſic recenſente : *Spiritus Dei ſuper me propterea quod unxit me, &c.* Luc. 4.18.

Ergo his teſtimoniis innumeríſque præterea perditus Sabellianorum error oſtenditur, qui ſanctum Spiritum ſpecialiter refutantes plenitudinem ſolidæ majeſtatis ſacrilega traditione contaminant ; non intuentes illum ut cauſæ noſtræ utilitas exegerit, aut in Patre aut in Filio, aut rurſum hiſdem in ſe manentibus demonſtrari : quia licet plena noſtræ credulitatis ſalus ſit, unum per omnia ſicut eſt Deum credere & confiteri, abeſſe tamen fidei non poteſt, Trinitatem non eſſe ſine tertio.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Contra Patripassianos, qui Patrem passum esse existimant.

APOLL. DIversus quidem à memoratis Sabellianorum error & causa est, sed ut credo perfidiæ exitus similis ac retributio præcedentibus comparanda, cùm sanctum Spiritum in Dei virtute ac substantia permanentem ab unitate propriæ Divinitatis excipiunt, & Trinitatem scripturis omnibus recensentes, fidem Trinitatis impugnant. Verùm his quoque in numero prophanorum relictis, residuorum perversitas confutetur, nè id quod retectum expositione non fuerit, subpressum potiùs æstiment quàm relictum, & in quemdam ignem favilla deficiens convalescat, si quando quæsituris mentio facta prætereat quod Scripturarum auctoritas fortasse non reticet.

ZACH. Præmonueram primæ interrogationis exordiis plenitudinem ineffabilis majestatis utcumque intelligi fide posse, verbis ut dignum est patere non posse; siquidem cùm ipsa nominum ac personarum distinctionem efficientia veritatis non status faciat substantiæ differentis, quoniam ad intuendam Divinitatem cùm etiam sensus impar sit, nulli dubium est imbecilliorem multò sermonis substantiam esse quàm mentis. Hanc itaque humanæ infirmitatis difficultatem auctores universorum amplectuntur errorum. E quibus Patripassianus eam sibi partem impietatis elegit, ut quia ex Patre primogenitus Filius, & ab ipso Spiritus sanctus procedens, idem Pater & Verbum sit, atque ab ipso & caro suscepta videatur & passio. Idem perinde & Spiritus sanctus. Nec autor in Trinitate, sed solus in divisionem Divinitatis ac dispendium prædicatur, nisi in communionem * Trinitas redacta credatur: de qua, ut creberrimè memini quod sensu percipi non potest, inenarrabile potiùs quàm nullum est æstimandum. Non solùm autem à Patre abesse injuriam passionis, verùm etiam à verbo multipliciter agnosci*. Nec enim incorporalis Divinitas sed corpus

Cod. Arn. * unionem.

f. * agnoscitur.

Digitized by Google

adfixum est, & quidquid infra honorem cæleſtis potentiæ Dei Filius pertulit, non Verbo, ſed homini reputatur aſſumpto. Cúmque peccatum in primo homine fuerit, quemadmodum denunciata à tot ſæculis humano generi redemptio proveniret, niſi illud ſanguis veri iterum hominis expiaſſet, cujus mortem licet jam teſtimonia plura docuerunt, nè tamen adverſus ſe prædicta hæreſis adſtruat nihil prolatum, de copioſa exemplorum multitudine pauca ſumemus.

David itaque ſub verbis Domini ipſius dicit: *Obediens factus ſum uſque ad mortem.* Et iterum: *Poſuerunt me in ſepulcris ſicut mortuos ſæculi*: Et tertiò: *Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter mortuos liber.* O inæſtimabilis Dei virtus, & inſcrutabilis Dei ſapientia! Unde hic paulò antè *ſicut mortuus ſæculi*, nunc *ſine adjutorio inter mortuos liber eſt?* niſi quia ut ipſe prædixerat: *Oportebat Filium hominis pati & crucifigi à Scribis & Principibus Sacerdotum, & debellata morte die tertia ab inferis remeare*, ut in effectum noſtræ ſalvationis vivorum ſimul ac mortuorum acciperet dominatum, & illud ſublimiſſimæ caritatis ſtatueretur exemplum; & noſmet pro eo paſſionis calicem biberemus, quem non reſpuerat ille pro cunctis. Manifeſta ergo in perſonis ac nominibus Trinitas, ſed Divinitas una eſt, nec Patripaſſiani recipimus unionem, ſed Catholicam in Deo amplectimur unitatem. Ab hac itaque memorati interpretatione diſſentiunt, & falſa imponere moliuntur occultis, dum quod ex Patre eſt, non niſi in eo tantùm eſſe confirmant quod ſpecialiter ex homine, injuriæ Divinitatis adſcribunt.

Vel memoriter id prolatus eſt auctor, vel alludit ad *Pſ. l. 21.* *Pſal. 142. 3.*

Luc. 24. 26.

CAPUT XVI.

Contra Arianos, qui Filium & ſanctum Spiritum eſſe minores Patre dicunt.

APOLL. QUàm metui nè quod validius aut abſtruſius malum intra occulta perfidiæ iſtius viſcera reſideret! Namque ad primam relationis tuæ frontem non tam perſpicua fidei noſtræ membra cernebam, & obſcuritatem noxiorum fraudibus involutam ignorantiæ

Digitized by Google

potiùs quàm malitiæ deputabam. Itaque probabilis doctrinæ tuæ ordo auctoris laceram rabiem perditioni miscuit & clientelæ. Quid nunc sibi Ariani contra veritatem nostræ credulitatis adsumant simili modo pande, ut si vel ejusdem vel tectioris * nequitiæ docebuntur, gregi adhæreant prædictorum, non immeritò execrabiles judicandi, si traditionibus subdolis derogant, quod professionis titulo non recusant.

Col. Arn. * tectioris.

ZACH. Dixi dudum Arianos arcem tenere perfidiæ, & hoc ruinæ majoris putandos, quo celsiora profitentes velut integram fidem præferunt, qui fidei integritatem recusant; non enim Creatorem sed Creaturam Dei Filium dicunt, & ceteris hoc tantùm modo esse potiorem, quod factus priùs ex Deo Patre non genitus sit. Tempori perinde obnoxium esse quia natus est: quam impietatem talis sententiæ calliditate confirmant: *Erat*, inquit, *quando non erat.* O sæva impiorum malignitas! Deúsne potuit aliquando non esse, aut quemadmodum genitus sit, & secundùm Divinitatem factus adstruitur; nam cùm Deo speciale soli sit semper fuisse, ex ipso atque intra ipsum nascens quid aliud potest esse quàm Pater est? Aut ille quemadmodum Pater si in verbo assumptio aliqua non nativitas vera est? Quòd si verus Pater, verus & Filius, & si in nullo dissimilis, tum demum certa imago genitoris. Atque illud consentiens in Propheta: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Et iterum *: *Ante luciferum genui te.* Sed his confestim illa substituunt quæ sub Domini ipsius verbis in persona adsumpti hominis proferuntur: *Pater*, inquit, *major me est.* Et, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.* Altioris denique sensus ex verbis Salomonis scripta corripiunt: *Prior*, inquit, *omnium creata est Sapientia.* Et, *Dominus in initio viarum suarum creavit me.* Quasi in præscientia, sicut dixi, de auctore Redemptionis nostræ prædicta non essent: & Salomonem in eodem Spiritu aliud putant sensisse quàm cæteros: Audiant æqualitatem substantiæ & Divinitatis unius, Patrémque ac Filium licet in personis ac nominibus non eumdem,

Psal. 44. 1. *Cod. Ar.* * *addit.* in nativitate. *Psal.* 109. 3. *Iohan.* 6. 38. *Prov.* 8, 22.

Digitized by Google

unum tamen in majeſtate cognoſcant: *Ego*, inquit, *& Pater meus unum ſumus.* Et iterum: *Philippe tanto tempore vobiſcum ſum, & nondum me noſtis. Qui me videt, videt & Patrem.* Et tertiò: *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt: & quæ vult Filius eadem vult & Pater: & ſicut operatur Pater, operatur & Filius.* Similiter clarificari perinde à Patre ſe poſtulat, ſed rurſum Patrem à ſe clarificatum coram hominibus proteſtatur. Quo autem pacto includi qualibet protenſione temporum poteſt, à quo tempora ſunt creata? Vel quod ei initium eſt adſcribendum, per quem omnium initia prodierunt? *Iohan.* 10. 30 *Ibid.* 14. 9. *Ibid.* 16. 15. *Ibid.* 5. 19.

Intuere Ariani cœcam perſuaſionem, & ſenſum totius impietatis terminos excedentem. Finge quod tranſgredi rerum initia opinione ſua poſſit, & ſolidæ majeſtati præjudicium comparare. Nonne apertæ inſaniæ eſt, Deo cui omnia debeas nomen ſubſtantiæ deterioris adſcribere, ac de immenſo quaſi poſſis exigua definire? Quid in te, ô nequam homo, tantum ille promeruit, immò quid non præ cæteris, cùm te poſt omnia formaret indulſit, ut bonis mala referas, ut zizania eſſe quàm triticum malis? Cunctis poſterior factus creaturis per eum potior factus es, quem à ſe factis prophanè permiſcere ſtudes. Tu de calcabili, ut ipſe non renuis, limo, ſenſu, ſpecie, ac poteſtate imago ac ſimilitudo Dei es: terræ inſuper præes de qua aſſumptus es; validioribus infirmior dominaris, profunda modicis trabibus vectus ingrederis, & ſubjecto ſerviunt elementa: non præſunt tibi anni, aut gratæ aut utiles vices mutantur, rerúmque varietas diſpoſitos univerſorum germinum educat fructus; tibi aëreæ aves decidunt, & aquis naſcentia aluntur ac vivunt. Taceo quòd generali exemptus ruinæ in ſpem quam amiſeras repararis, quod per te munere immortalitatis exutus per illum tamquam à principio dignus indueris; & velut exigua ſit iſta liberalitas, cælum inſuper ſi mereare conſcendes: ſitúque materiæ tuæ ulteriùs non gravandus, choris miſceberis Angelorum, ac tot ſæculis inviſibilem Deum perennis lætitiæ poſſeſſor aſpicies. Quid plura? Si adoptionis Catholicæ fidem ſerves,

Digitized by Google

heres Dei coheres autem Christi perpetuò permanebis.

Sed his ac talibus pulsi hærere nihilominus malignis intellectibus studeant, illud ex Evangelijs assumentes, quòd horam adventus sui diémque nescierit; ut illis hoc dimittatur, assumptum hominem ante nescisse quàm terrestrium & cælestium potestatem in Dei gloria receptus acciperet, numquid etiam Verbi Divinitas ignorabit, aut cùm sit Filius semper in Patre, atque in Filio Pater, sciet aliquid unus alio nesciente? Et quàmlibet ex voluntate Patris à se tamen faciunda penitùs ignorabit? Cùm in ipsa paternæ voluntatis ratione non subjectio sed consensus est: David in Spiritu sub verbis ipsius sic docente:

Psal.39.9. *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.* Non est ergo ita obtemperans, quasi subditus, sed voluntatem Patris in sua faciens voluntate: mitti autem dicitur, sed ut alter intelligatur. Novítque etiam secundùm hominem omnia; quæ futura sic prænotat, ut in aperto sit consummationis diem nobis potiùs congruum fuisse nescire, quàm illum penitus ignorasse. Denique hinc & vitæ propriæ fine cælamur, ut attentiores ad justitiam incerti exitus sollicitudo perficiat, & sub omni peccatorum occasione compositi mortem faciliùs evitemus, si mortis adventum quotidie timeamus; hoc enim generaliter providens Scriptura prænonuit dicens: *Stulte hac*

Luc. 12. 20. *nocte expostulabitur anima tua: ea quæ præparasti cujus erunt?* Similiter Apostoli prænonentur, Salvatore di-

Matth. 24. 42. cente: *Orate sine intermissione; quia nescitis quando Filius hominis venturus sit.* Idest, metus vobis & expectatio incerta consultior est, nè securos fiducia subruat, & futurorum scientia decipiat nil timentes; cùm magis spe diuturnitatis abjectâ audere salubriter timeas, quod corrigi in spatio posse non credas.

Universæ tamen hæreticorum perfidiæ de utrâque Christi nativitate duobus vel maximè testimoniis su-

Iohan. 1.1. bruuntur, Johannis Evangelio sic intonante: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* Et iterum:

Et

Digitized by Google

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Vides ergo nullum Arianis locum relictum, quo meritò à fidei nostræ integritate dissentiant: cùm idem Dei Filius ante sæcula unigenitus, & nunc primogenitus prædicetur terreni corporis obtinens veritatem, & cælestem potentiam non omittens, utrâque nativitate complexus est quod per solam Divinitatem antea possidebat. Ibid. 14.

CAPUT XVII.

Contra Novatianos, qui unitatem dissentiunt, & semel lapsum restaurari posse non credunt.

APOLL. OMnium quidem sectarum error & pravitas in prima statim expositione claruerat; sed ut promptiùs eluceret, necessariò firmitas doctrinæ sequentis accessit, & currens per singula modus competenter detexit quidquid traditio sceleratæ interpretationis obduxerat. Unde nunc ut nulla animo desit instructio, pande quæso quæ Novatianos à nobis causa disterminet, ut à credulitate Catholicâ discedentes, non solùm conventus extra Ecclesiam contrahant, sed, ut credo, etiam fidem illius impetant, à cujus pace unitatis odio recesserunt.

ZACH. Rectè intelligis fidei unitatem penes eos esse non posse, à quibus Ecclesiæ unitas sit relicta; quia non interest quemadmodum quis recedat, si ab ejus corpore sponte se dividit, Domino in Evangeliis hoc loquente: *Qui mecum non est, adversus me est: & qui mecum non colligit, spargit.* Fuerunt hi enim aliquando nobiscum, sed quodam Novato auctore disrupti sunt; non tamen hæreticis coæquandi, quia non à confessione Catholicâ, sed à Charitate dissentiunt, atque in solam pietatem rebelles Dei misericordiæ subtrahunt quos semel inimici laqueis irretitos restitui non admittunt. Mundos se atque, ut ipsorum verbo utar, catharos vocant; Divinæ admonitionis semper immemores, qua primùm in Job spiritus dicit: *Quis enim mundus à sordibus, nec si unius* Luc. 11. 23. Nota

Digitized by Google

diei sit ejus vita in terra? Unde & Psalmista similiter
Psal 50.7. sentiens, ait: *In peccatis peperit me mater mea.* Et Johannes in epistola sua: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus; & veritas in nobis non est.* Severioribus itaque judicijs plectenda non credunt, quæ numquam in confessionem deducta, velut latere perpetuò possint, callidissimè supprimuntur. • Profitentibus verò cum præsentium emendatione præterita non solùm veniam non negari, verùm etiam justitiæ privilegium tribui Deus ipse sic loquitur per Esaïam conversuris, ista
Isa. 43.26. denuntians: *Dic tu injustitias tuas priùs ut justificeris.* Intuere cum venia præmium, & cujusdam honoris in
* Cod. Am. supplici. simplici confessione mercedem: Deus illi justitiæ fructum promittit, in quem Novatianus dura pronuntiat, & absolvi posse cum gratia pollicetur, quem ille nè salvetur, expellit.

His tamen non legitimus sacerdotij principatus, summáque in Pontificio non fuit sedes, sed per obreptionem velut in quadam tyrannide discordia convalescens prædictum schismatis sectatur auctorem, & à consortio piæ communionis excluſos tradi satanæ perpetuò malunt, quàm Deo spiritalis gratiæ exhortatione revocari; recipere innumera scripturarum exempla nolentes, quibus haud dubia interpretatione cognoscitur & provocari lapsos debere, & suscipi revertentes, Psalmorum libro
Psal. 1 1. sic inchoante: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit.* Beatus ergo est qui non ita abiit ut redire contemneret, & profectum consilij melioris accipiens misceri impiis destitit, postquam corrigi potuisse intellexit. Beatus perinde est qui in viâ non steterit peccatorum, ille utique qui ingressus vitia non permansit in vitiis, ipso in consequentibus hoc docente, cùm obrepentium delictorum excusationem præmittens, conscius nostræ fragilitatis hæc posuit:
Psal. 18.13. *Delicta quis intelligit?* id est, admitti faciliùs posse, quàm noſci. Addit in precibus, ut & ab alienis & ab occultis propriis emundetur; immaculatum se fore confidenter affirmans, si ea sibi non dominentur, in quibus ante

Digitized by Google

peccaverat. Ecce jam à maximo delicto purus efficitur, qui in se crimina non reditura condemnat; & immaculati honore gloriatur, qui elegit hoc esse quod noluit, dum perfrui respuit quod dilexit. Similis per Ezechielem sententia Dei est, hæc dicentis: *Vt quid moriemini filiij hominum; convertimini ad me & convertar ad vos.* Id est inferni est via ista quam pergitis, & in veniæ desperatione mors vera: non sum ego crimina avarus abolere, qui tàm leniter nè jam admittantur admoneo, qui judicij mei inviolabilem formam his sermonibus pando: *Nolo mortem morientis; tantùm revertatur & vivat.* Et, *si iniquus convertat se ab iniquitatibus suis, quas fecit, & custodiat omnia mandata mea, & faciat justitiam & judicium, vità vivet & non morietur. Omnia delicta ejus quæcumque fecit, non commemorabuntur.* Ezech. 33. 11. 14. Ibid.

Sed tamen Dei munus & dignissimum piæ remissionis edictum non solùm in abolitione Novatianus reddi prohiber, sed pertinaciter ad veniam non sinit pertinere. Nè sanè ab his horúmque similibus penitus excedat, levissima quæque & pauca dimittens, in qualibet correctione exertæ indulgentiæ vim repellit: cùm Salvator in Evangeliis mundari per eleemosynam cuncta commemoret, ac, *sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Relicto denique toto admodum grege, unam ovem fidei pastor inquirit, & inventum humeris superponens plus gaudij in amissæ recuperatione constituit, quàm habebat in salvis. Apostolus autem formari in se rursum more partus Galatis ait, quos revalescentibus vitiis frustrà primùm in regeneratione mentis ediderat. Unde & opere caritatis effecto peccatorum multitudinem tegi, Petrus, & Jacobus Domini Frater adfirmant, Verbis similibus protestantes: *Charitas*, inquit, *tegit multitudinem peccatorum.* Ita, his evidenter inspectis, intelligis Novatianos atroci obstinatione cœcatos, malitiæ potiùs suæ quàm Dei satisfacere voluntati, dum in proximos & post compunctionem præteritorum, ipsis, qui judicant, fortasse meliores, & confessa condemnant, & expiata non solvunt; quæ & donari possunt, & occuli non oportet. Eccli. 3. 33. 1. Pet. 4. 8.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Quæ Novatianis respondenda sint.

APOLL. MAnifesta & evidens ratio est, non dicam Dei, penes quem misericordiæ summa est, verùm etiam justorum hominum judicio inremeabiles duci*, qui vitiorum pravitate calcatâ ad meliora se conferunt, & antea vel ætatis ignorantiâ negligentes, vel casuum diversorum erroribus occupati, iter fidei repetunt, atque abjectâ, quam priùs prætulerant, carnis inlecebra, supernæ conversationis actibus diluunt quidquid antè terrenorum amore polluerant; sed fortè ante infusionem baptismatis ista concessa sint, & aliqua Novatianis adsit auctoritas, qua post lavacrum spiritale pollutos purgari non posse contendant, & inviolabilis sancti Spiritus munus tradi per homines semel posse, amissum restitui non posse confirment. Adsertioni ipsorum illo forsitan extrinsecus suffragante, quòd à se locus pœnitentiæ non negetur, sed à Deo venia sit speranda; & satisfactio explenda pro factis, non reputanda promeritis. Quid ergo in hujusmodi intentione durantibus referri debeat vel probari, more consuetæ expositionis insinua: ut sermonis nostri occasione & pravis correctio, & venia suadeatur afflictis; dum inreligiosorum pertinacia panditur quidquid spei desperantium comprobatur.

f. * Non duci.

ZACH. Felicius quidem est intemerata spiritalis gratiæ dona servare, & incorruptum cælestis indulgentiæ munus* puro deferre judicio, David hoc perdocente: *Beati immaculati in via.* Apostolus similiter: *Vt possimus*, inquit, *Fratres, integram & animam & corpus & spiritum servare in diem IESV CHRISTI Domini nostri.* Sed alios incautæ ignorantia juventutis, alios terrenæ fervor illecebræ, ad proclivem delictorum viam ducit; sub verbis propriæ excusationis David in spiritu istud loquente: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* Justarum quippe allegatio precum est, annis infirmioribus perpetrata formâ remis-

Cod. Arn. * futuro.

Psal. 118. 1.

1. *Thess.* 5. 23

Psal. 24. 7.

Digitized by Google

sionis recenseri, & cum ætatis privilegio perperam gesta committi; quia in hoc eodem testimonio non otiosa per Prophetam refertur historia; sed ætatis ad casuum facilitas incautior intimatur. In quo annorum gradu ne vel specialem Novatiani locum teneant, audiant Salomonem sine exceptione temporum similia prædicantem: *Quis gloriabitur castum se habere cor, & mundum se esse à peccato?* Excluſa est ergo vanitas tantæ falsitatis quamlibet purus oculis videatur humanis; non tamen ideò reus non est, quòd soli conscientiæ Deóque pollutus est. Prov. 20. 9.

Hanc igitur nostræ fragilitatis infirmitatem trino indulgentiæ gradu purgari pietas Divina permisit, donans principio cuncta per baptismum; obrepentia postea pœnitentiâ tegens: reputari penitus nulla constituit, si ab omni corporis labe martyrij quempiam fervor absolvat. Psalmista dicente: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Remittuntur ergo in baptismate omnia, quoniam illa tantùm, quæ contracta post fuerint, adscribuntur: teguntur in pœnitentiâ, quæ si fuerint repetita reviviscunt. Imputari autem in Martyrio nulla possunt, quia & primùm pretiosâ sanguinis effusione delentur, & in præjudicium extincti feliciter corporis non recurrunt. Sed quamlibet adstipulante pœnitentiâ dimittere gravia suæ potestatis negabunt, cùm pariter officii ac professionis suæ esse cognoscant, aut ligare quæ dura sunt, aut expiata dissolvere; illa ad Petrum, in cujus personam potestas omnium convenit Sacerdotum, Salvatoris sententiâ perdocente: *Quæcumque ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis: & quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cœlis.* Donari itaque delicta sine exceptione permissum est, si tantùm in abolitionem missa non redeant; nec sicut scriptum est horrorem proprij vomitus canis repetat; atque ablutas piis laboribus sordes sus in volutabris mergenda desideret, plus post remedia passura discriminis, quàm inchoantibus malis lapsura pertulerat, Domino in Nota. Psal. 31. 1. Matt. 16. 19.

Digitized by Google

Evangeliis sic monente: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare; ne quid tibi deterius contingat.* Nolo dubites, præsentia semper non præterita Deus censet; hoc enim ait: *In qua via te invenero, in ea te judicabo, dicit Dominus.*

Iohan. 5. 14.

Ezech. 33. 20.

Quòd si post baptisma, id est, post sancti Spiritus susceptionem, redintegrandæ nobis gratiæ locus non est, quemadmodum Aaron, utique jam Sacerdos, gravi exemptus offensæ amissum Pontificij gradum recepit, & post lepræ infusionem mundari Maria cælitus meruit, quæ ne quaquam pollueret, fuerat segregata: nam in castris congregatio spiritalis signatur Ecclesiæ, leprâ verò delicti mortalis effigies demonstratur. Cur Patriarcha David geminis sanguinibus expiandus, innovari in se prioris gratiæ Spiritum petit, evidenti fiducia Deo pollicens, ut iniquorum conversio veniæ suæ provocetur exemplo: patere insuper sibi in Dei laudibus loquendi copiam deprecatus, auctoritatem prædicationis obtinuit, dicens: *Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Peccatori autem dixit Deus: *Quare tu enarras justitias meas, & sumis testamentum meum per os tuum?* Nisi fortè in Prophetis alium spiritum, quàm nunc accipimus, fuisse contendunt, aut penitus non fuisse; atque immitiorem sub gratiâ Evangeliorum Deum quàm in lege constituant; qui Petrum, idest, ipsum Ecclesiæ fundamentum, tametsi in crimine non mansisse, fuisse tamen in crimine fatebuntur; & admonitionis Dominicæ recordantem non perfidiæ, sed infirmitatis reatum amaritudine dilui intelligant lacrymarum. Talis perinde luxurioſi illius in Evangelio reditus absumptis opibus substantiæ spiritalis, atque à se in Cælum peccatum fatentis, non renuitur ut pollutus, nec refutatur ut prodigus, sed incumbentis in cervicem suam patris osculis, id est, Catholica pace, susciputur; qui utique nisi per adoptionem Baptismatis prius filius esse non potuit. Magni etiam convivij lætatus est apparatu, id est, communionis Divinæ honore donatus est; in annulo fidem recipiens, in stolâ gratiæ vestimentum: carne

Psal. 50. 17.

Ps. 144. 16.

Digitized by Google

inſuper paſcitur vituli, id eſt, æternæ hereditatis, ſacri corporis aſſumptione, fit particeps; plena Apoſtolicæ dignitatis ornamenta ſortitus.

Poſtremò etiam blaſphemiam, quæ cuncta ſupergreditur crimina, remitti poſſe Salvator inſinuat, abolerique in ſe commiſſa non renuit, ſi veræ converſionis labore mereamur ut ſub ejus præcepto cœlum conſentiat cum judicio Sacerdotum; quâ fiduciâ Salvatoris edicti eos, qui per fidem vitiis emundantur, non tantùm ad veniam ſed honorem, Gentium Doctor invitat dicens: *Qui autem ſe emundaverit ab iſtis, erit vas ſanctificatum in honore, utile Domino ad omne opus bonum paratum.* 2. Tim. 2. 21 Itaque ut in unitate Divinitatis eſt Trinitas, ita in uno baptiſmatis nomine trina purgatio: Domino ad Apoſtolos ſic loquente: *Adhuc*, inquit, *habeo baptizari baptiſmate quod vos neſcitis.* Luc. 12. 50. Cujus * tamen gradus omnibus relicturus exemplum agens in corpore ipſe luſtravit. In Jordane baptizatus eſt; pœnitentiæ ſpeciem pertulit in deſerto: quod autem ſummæ purificationis erat, in paſſione complevit. Cod. Ar. * quos.

Unde advertis Novatianos ſub omni peccatorum occaſione degentes adverſum ſe ſtultiſſimè recuſare, quòd Deum pro ſe intelligant præſtitiſſe, ſolámque Eccleſiam, ut fide, ita & pietate, Deo proximam, ſupra vilem concubinarum gregem, Reginam meritò nuncupari, quæ dextræ partis obtinens locum, ſiniſtræ filios celſa condemnat; ad ſe venientibus integram fidem tradens, revertendi ad ſe cupientibus aditum non præcludens; dum & manifeſtam Divinitatem fidelibus prædicat, & ſpe veniæ promptioris mavult revocare pereuntes, quàm corrigendos forſitan deſperatione confundere.

CAPUT XIX.

Quæ ſit myſteriorum Divinorum integra plenitudo.

APOLL. IN aperto eſt Novatianos ſtultè ignoſci nolle peccatis, & ſuæ fragilitatis immemores lapſorum magis damnatione, quàm converſorum emenda-

Digitized by Google

tione lætari, sed nisi expostulatio multiplex tædium gignit, unam hanc consummandi operis adiice firmitatem, ut totius credulitatis corpus amplectens, sacramentorum enumeres fastigia divinorum, & memoriæ mandanda constituas, quæ perennis spei intellectibus prodidisti, ut concluso paucis sensibus verbo recolere possit crebra confessio, quod in formam Catholicæ brevitatis insinuatio fidelis aptaverit.

ZACH. Sufficere quidem poterat decursa in causis singulis ratio, & omnium interpretationum textus elucens: sed ne aliquis ex varietate sensuum scrupulus, ne qua ex responsionum pluralitate ambiguitas excitetur, totius fidei sacrum ordinem tenens, semper hæc recolens: Unus est Deus Pater, qui semper hoc habuit speciale quòd Pater est, non recipiens ulla sed à se proferens omnia; inconvertibilis, invisibilis, inæstimabilis, æternus. Est igitur & Filius nomine atque persona, non substantia, à Patre distinctus, plenæ majestatis ut genitor, perfectus perinde & sempiternus, nec secundùm perfidorum opiniones à tempore credendus est quia natus est; sed cum Patre ante tempora manens: Nobis ex tempore adsumpti Salvatoris ostensus: unus nunc idémque mansurus & credendus est & confitendus; quoniam manifesta ejus Divinitas non admittit ut aliquando non fuerit; nec rursum veræ carnis adsumptio patitur, ut sancti Spiritus creatione cessante natus ex Virgine non credatur. Est & Spiritus Sanctus à Patre simul ac Filio, persona tantùm & nomine non majestate aut substantia alius æstimandus; non genitus ut Filius, sed à Patre procedens, virtutis, Divinitatis, honoris perinde ac voluntatis ejusdem, idem semper quod Pater ac Filius faciens atque idem præstans: informator sapientiæ, fidei dator, largitor munerum, sanctificationis indultor, remissor criminum, gratiarum divisor, Patrique semper ac Filio omni operum bonitate permixtus; nec creatus aliquandò sed creans semper: hunc perpetuò credi & confiteri, adorari, colíque ac metui convenit; summaque cordis puritate sic diligi; ut sicut idem in Patre semper ac Filio est. Ita

Nota.

in

in eo Patris ac Filij plenitudo credatur.

Habes quæſitorum intellectuum veram ac ſimplicem rationem, brevitatíſque reſponſi ſcientiæ congruentis affectum: ſupereſt, ut ſicut prædictum in principio meminiſti refertioribus Majorum voluminibus ſtrenuus lector invigiles, & in hoc vel ſola brevitate contentus, celſioris doctrinæ notitia glorieris: voluntati potiùs privatim tuæ quàm editioni publicæ reſpondiſſe nos credens. Et ſanè ulterius pergere cæleſtium ſecretorum arcet immenſitas, ac retuſos nos propria imbecillitate ſenſus inenarrabilis majeſtatis prohibet magnitudo: jámque horis in occaſum vergentibus vicina tenebris umbra diffunditur, atque attentos crebra interpretatione ſenſus & refoveri convenit, & reſolvi: tu autem hæc toto mentis & corporis labore cuſtodiens, numquam fide, numquam deſeras confeſſione; ne licitis excedas dum ſectaris illicita; & impoſſibilia cupiens, exuare ſalutaribus, Deo taliter præmonente: *Altiora à te ne quæſieris & fortiora à te ne ſcrutatus fueris.* Id eſt, quæ tibi prodita de cæleſtibus vel infernis lege ipſius non ſunt; noli penitus audire vel credere, quoniam quos decipere carnis vitiis diabolus non poteſt, tali ſtudio & vanitate ſupplantat; occultæ que ſcientiæ arbitros ſtatuens, lapidem ſub lapide cogit inquirere, ut inveniant ſerpentem. Ergo ſufficiat canonicis inhærere doctrinis & divinarum hiſtoriarum notitiam perquirenti, ea tantùm non ignorare quæ ſcripta ſunt, ſummáque diligentia conditum aſſiduè recordari Chriſtum Dominum Crucifixum, venturúmque in judicium reſurgentium corporum, & cum electis perpetuò regnaturum. Hæc fiducialiter credes, hæc futura profiteberis, ut ſanctorum cœtibus adgregatus æternæ vitæ honore blandiſſimo & donari poſſis & perfrui. Si inter obvias peccatorum procellas, atque æſtus ſæculi collabentis juſtitiæ regulam ſervans, fidei ſpecialiter integritate merearis quæ ſunt perpetuò manſura poſt ſæculum.

Nota.

Eccli.3.22.

Qui Diabolus decipere ſolet incautos ac curioſos ſtudiis operam dantes.

Quibus incumbere debent.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Oratio ad Deum.

APOLL. MAgna est quidem libelli prioris editio, ac perspicui intellectibus sensus rerum notitiam fidémque docuerunt, sed non minus præsentis utilitati quàm gratiæ adscribendum est præcedentis: quia licet à multis, ut ipse professus es, decursa lustraveris, intulit tamen brevitas commodum quod rarò mereantur eloquia prolixorum, fructúsque non parvus est, Trinæ primùm unitatis Divinitatem clara expositione cognoscere, tum Judæorum in perfidia sua casum, & in hæreticis universarum impietatum ruinam; tum denique in stultitia tua, Novatiane, convictus, quantum tibi ex Dei indulgentia derogaris, evidentibus Scripturarum testimoniis didicisti. Brevis insuper fidei adjecta conclusio est, cordique adeò cuncta sederunt, ut in his quæ secunda sunt degere votum sit, in his consummare desiderium: modò ut hæc rerum omnium Creator ingenitus per eum quem ex se atque intra se genuit Deum, & nunc florem sumpti corporis habitantem in utraque mansurum nativitate complectitur, per sanctum perinde Spiritum impleturus exaudiat, & alumnæ precationis effectus conferre non abnuat, quæ præstitit velle, reptantémque inter præcepta sua parvis gressibus famulum placidus tueatur & dirigat Trinitatem in personis ac nominibus Deum in Majestate ac substantia confitentem, utrumque, tamen suæ miserationis beneficiis relaturus, si & vivendo voluntatem ipsius impleam, & servatam Patrum traditionibus fidem, futuræ resurrectionis gaudiis repræsentem.

Patrum traditiones fidem servant.

Explicit Christiani Zachæi & Apollonij Consultationum liber secundus.

Digitized by Google

INCIPIT EORUMDEM LIBER TERTIUS.

Capitula Libri tertij.

I. *Quæ opportuna vivendi forma.*
II. *Quæ ſit ſublimioris vitæ regula conſervanda.*
III. *Quæ inſtituta Monachorum; vel quare à multis odio habeantur.*
IV. *Si fideles Monachi à Dei præcepto hæc gerant.*
V. *Ex quibus Scripturis continentia vel virginitas prædicentur, vel ſi præceptum eſt ut conjugia pro Dei amore ſeparentur.*
VI. *Quæ conſuetudo pſallendi orandique ſit, vel unde Monachis hæc præcepta venerunt.*
VII. *Si Antichriſtus veniet, aut quo mundus fine claudatur.*
VIII. *Quando veniet, vel quæ longinquitas Regni ejus.*
IX. *Quibus Scripturis ſit reſurrectio repromiſſa.*
X. *Oratio ad Deum.*

PRÆFATIO.

TErtium hunc jam inſtruentes libellum converſationis Catholicæ formam loquemur, qua inſtrui alios non qua ipſi velimus efferri: hæc diſpoſitis obſervantiæ gradibus quid effici ab homine poſſit aut ſoleat, Divinis ut exinde ſententiis demonſtrabit, exiguis ac mediocribus ſumma ſic temperans, ut nequaquam humilioribus deroget, quod ſit conlatura potioribus; ſed ut illud Apoſtoli: *Quiſque ſibi vindicans fidem penes ſe habeat, nec judicans quemquam in Domino glorietur.* Rom. 14. 22 Cautius utique ſervaturus in propriis, quod in alienis gravius æſtimarit. Huic igitur Operi pauliſper ſtudium commodantes ſolitas exercebimus ſub congrua

Digitized by Google

disputatione personas; atque institutum à cognito eruditore discipulum arduæ professionis honore provocabimus, morem districtioris adgredi disciplinæ, subjectísque actibus probabilium Monachorum mentionem futuræ consummationis inducere: cui hæc breviter perscrutanti quæ sit de Antichristo absolvetur obscuritas; ut his speciatim decursis ultima resurrectionis fides pateat, quæ licet dudum bene credita atque suscepta sit, verbis tamen simplicibus intimata Divinâ provisione firmabitur.

Primus itaque, ut in cæteris, Apollonius dilatæ conlationis spatia relaturus velut comperendinatam repetet subnixa auctoritate vel affabilitate doctrinam, ut prædicti ordinis membra perlustrans servire justitiæ arctiùs cupiat, ævíque residua Deo deputans mori quoque pro ejus nomine non recuset, cùm librato in singulis tenore cognoscat quid velle hominem, quid audire conveniat: quia & soli fiduciæ omnia credere parum firmum est & infirmitati in omnibus subjici nihil merentis.

CAPUT I.

Quæ opportuna vivendi forma.

APOLL. SI dignè comparatum est, ô Zachæe, ut id quod in mutis animalibus sæpe comperimus, etiam in quorumdam hominum sensibus cerneremus; profectò in me hoc specialiter veniens dicti veteris sententiam comprobavit: nam sicut cætera animalia ad ea semper loca ubi aliquando bene pasta sunt revertuntur, nec largioribus inlecta pabulis oblivisci possunt quod jejuna perceperint: sic nos post verbi, ut nunc intelligo, famem sitímque doctrinæ colloquia tua avidi petimus, expertísque tractatibus fiducialiter inhæremus; à quo scilicet cælestis scientiæ cibos & haustus intellectuum sumpsimus Divinorum. Ecce enim vix adhuc vastis Gentilitatis erroribus liberi modò infusæ regenerationis novitatem spirantes, integram fidei te tradente jam novimus, atque universa hæreticorum membra carpentes munus Catholicæ confessionis amplectimur, & Deo auctore fidentes extructæ super petram domûs tegmina

Digitized by Google

possidemus, si idem bonorum omnium largitor indulgeat terrenæ conversationis actum, & cæcas sæculi vanitates ab Evangelicæ turris specula visuri: sed quámlibet Creatorem proprium, ut est, nosse bonum primum sit, atque in fidei susceptione veræ salutis certa fundamina, alia tamen ordinatio credulitatis alia vita est *; & spiritalis ædificij solidam molem tametsi impacta nequitiarum torrentibus unda non subruit; justitiæ tamen metalla non pingunt, si nulla virtutum opera suffragentur. Unde quia ab hujusmodi studiis tempore pridem non mente cessavimus, recentes post quietem sensus dilatis, ut recolis, redde tractatibus; & quam nos potissimùm vivendi formam inire conveniat consultus exprome; ut dum spiritalem indulgentiam salubriter suadens hæc denique ex scripturis edicta constituas, quæ *cùm fidem teneant, virtutes operum & gratiam non omittant.

al. * aliæ vitæ est.

al. * quæcumque.

Zach. Memini dudum conlationem nostram diei *fine* suspensam, & subcrescentibus interrogationum causis tempus magis quàm studia defuisse; obquæ nunc ea conditione tibi cedimus, ut à nobis vivendi formam requirens, competentem scientiæ gradum, non quòd gloriemur ex nobis, sed quòd ex Deo prodesse aliis velimus, accipias: in quo tamen non absurda præmonitio est tutis primordiis munere proposito, & manentibus in observatione desideriis ascensum semper potiorum moliri. Ait enim in Evangelio Dominus: *Nemo*, inquit, *ædificaturus turrem, non priùs secum cogitavit & sumptum.* Nè interrupto opere incautiùs cœpta rideantur, & sint odij quæ fuerant priùs voti. Tales aggrediendorum hostium causas prænoscere pugnaturos proprias decet vires, perpensóque adversi agminis pondere vel fœdus inire vel prælium, nè sera infirmitatis querela dare insecuturo terga compellat, & post facti præcipitis pœnitentiam loco motis aut lugubris conditio subeatur aut turpis.

Luc. 14. 28.

Itaque prima ac sine discrimine via est, Deum firmiter credere, & cùm bene credideris, plus timere; toto insuper, ut sæpè jam diximus, formidatum corde dili-

Rectè ac Christianè vivendi monita.

Digitized by Google

gere: non quia idem bene ac malè facere potens est, sed quia magis præstare bona mavult & numquam pro noxa ut meremur ulcisci. Consequens bonum est vitæ simplicis puritas, & exosis facinoribus in proximos studium caritatis. Sic enim scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis visceribus tuis; & proximum tuum tamquam te.* Quo in loco non de propinquitate sola fit mentio, sed jure proximus dicitur, qui malis obrutus prosperis adjuvatur, & adoptiva miseratione confotus, quod cognatione generis non habet, gratiarum ad Deum reddit affectum. Unde illud Salomonis est: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum: *Qui pauperi miseretur, Deo fœneratur.* David similiter: *Junior fui & senui, & non vidi justum derelictum; nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur & commodat*, & semen ejus in benedictione erit.* Job perinde: *Conservavi,* inquit, *egenum de manu potentis; & pupillo cui non erat adjutor auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me semper, cùm essem oculus cæcorum, pes claudorum, & invalidorum pater.* Et Dominus in Evangelio se in personis humilium sublevari docuit, dicens: *Amen dico vobis, quod fecistis uni ex minimis istis, mihi & fecistis.* Apostolus quoque. *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictione, de benedictione & metet. Unusquisque autem secundùm quod proposuit in corde suo, non quasi ex tristitia & ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Totum autem misericordiæ opus per Esaïam Spiritus pandit dicens: *Solve omnem nodum injustitiæ; resolve * suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem consignationem injustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum vesti, & domesticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua citò orientur: & præibit ante te justitia tua, & claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, & ego exaudiam, dum adhuc loqueris dicam, ecce adsum.* Ergo substantia absque fraudibus parta, si ita possideatur,

Matth. 22. 37.

Eccli. 29. 15.

Prov. 19. 17

Psal. 36. 25.

al. * fœneratur

Job. 29 12. *ad Sept. ug.*

Matth. 25. 40.

2. *Cor.* 9. 6.

Isa. 58 6. *al.* *remitte

Digitized by Google

accepta eſt, ac non in facultate mediocri, ſed in cupidine divitiarum cauſa peccati eſt, Domino proteſtante; *Væ vobis divites qui habetis conſolationem veſtram.* Et iterum: *Difficilè qui pecunias habent intrabunt in regnum cælorum.* Luc. 6. 24. Ibid. 18. 24.

Conjugia autem Deo honeſta non diſplicent, & in procreationibus liberorum ſolemnis tori modeſta dilectio, Scriptura dicente: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una.* Et iterum: *Quod Deus junxit, homo non disjungat.* Inde habitus non luxui deditus, ſed nitori. Et ſecundùm Apoſtolum: *Omnium quæ in macello veniunt eſca ſine culpa eſt.* Quoniam ſicut idem Apoſtolus ait: *Non eſt Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax in Spiritu Sancto.* Pernicioſa tamen nimietas uſus utriuſque eſt, Domino ſic monente: *Videte ne graventur in vino & crapula corda veſtra.* Quod jam tamen per Salomonem antè prædixerat: *Cui væ, cui lividi oculi? nonne eorum qui commorantur in vino, & ſectantur ubi convivia fiunt?* Unde Apoſtolus ſumendi propter infirmitatem vini dat Timotheo præcepta, ſed modici. Hæc & alio loco dicens: *Nemo vos ſeducat; Ebrioſi Regnum Dei non poſſidebunt.* In hac igitur vitæ forma & converſationis ſobriæ diſciplina mens ad Deum prompta ſit, crebráque jejunia, & aſſiduæ in ſupplicationibus preces juſtitiam aut mereantur aut faciant, ut ſumpta ex Evangelijs ſententia ſic viventem comitetur ac protegat: *Gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Hæc mediocribus ſi ſublimium fervor aberit dicta ſufficient. His vitæ perennis promiſſa concedi, omnium ſcripturarum pandit auctoritas, ut ſi inter illa futuri Regni clariſſima ſydera ſplendor eximius non attollit exiguos, delicta non opprimant, manſionúmque, ut ipſe meminit, apud Patrem diverſitas conſoletur, illúdque in ſumma adhortantis Domini ſuccurrit edictum: *Omnes qui crediderint in me non confundentur.* Id eſt, ut eos à Chriſto vis nulla diſterminet, quos ſemel eidem fides pura nexuerit, & ſalutaris ſigni integritate ſalventur, qui ea quæ ob laborem difficilia ſunt aut* impoſſibilia reſpuunt, aut aggredi quia ſunt ardua & magna timuerunt.

Luc. 21. 34. Prov 23. 29 juxta Sept. 1 Cor. 3. 18. & 6. 10. Luc 2. 14. Rom. 9. 33. f. * aut ut.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quæ sit sublimioris vitæ regula conservanda.

APOLL. APerta est doctrinæ istius veritas, sanúmque consilium, ut Deum præ cunctis affectibus diligentes, etiam si summa non capimus, nequaquam tamen vel mediocribus excedamus*, & si honor sublimium splendórque non veniat, sententia miseros æterna non damnet: sed verè istud aut inertis aut diffidentis est animi, atque à Dei munificentia* præcipuum nil sperantis, torpere in exiguis hominem, cui summa proposita sint, & brevis vitæ tanti facere commoditatem, ut inæstimabilium sæculorum regna dissimulet, vel quadam vulgi conditione despectus serò se lugeat non quæsiisse, quod jam mereri exacta sæculi conversatione non possit. Quæ nobis ergo vivendi forma sublimiórque sit ratio propositi celsioris, sacris non pigeat docere sententiis, quia non ita labor aspernatur infirmos, ut nulla Divinæ provocationis fiducia cohortetur*, dum in his quæ, ut ipse dixisti, velut impossibilia prædicantur, & temporibus meritum non tenetur, & actu levius fortasse quàm creditur.

f. excidamus.

al. misericordia.

al. coarctetur.

ZACH. *Angusta* quidem *& ardua via est, quæ ducit ad vitam*, sed cùm sint possibilia cuncta credentibus, inquantum ratio nostræ fragilitatis admittit, fastigia munerum Divinorum sub Dei semper invocatione quærenda sunt, præcipuè cùm in nostro corpore Dominus agens nil penitùs quod homo efficere non possit injunxerit, Apostolis dicens: *Ecce reliqui vobis exemplum quod sequamini.* Id est excusatio impossibilitatis abscedat, ea facere posse vos doceo quæ ipse non renuit: quapropter *Si perfectus vis esse* (ut idem consulenti juveni Dominus ait) *vade vende omnia bona tua, & da pauperibus; & veni sequere me.* Id est oblitus respuénsque terrena, cælestia concupisce, & sicut ipse subjicit dicens: *Thesauri spiritalis opibus abundabis.* Talis enim apud Deum voluntariæ paupertatis est causa, ut temporariè inops factus, dives maneas in æternum, & caducam sæculi dignitatem

Matt. 7. 14.

Iohan. 13. 15

Matth. 19. 21.

Ibid. 22.

Digitized by Google

ratem vel voluptatem pro illius amore contemnens cæleſtes delicias poſſeſſurus obtineas. Inexſolubilia itaque mundi iſtius vincula rumpenda, & quædam facultatum & prædiorum abjicienda ſunt onera, ut ad Redemptorem noſtrum pervenire cupientes nullis delictorum neceſſitatibus urgeamur; quibus tametſi cum voluntate ipſa peccandi neceſſitas abeſt, timenda nihilominus ſemper occaſio eſt, ac nonnumquam ſub honeſtis actibus culpa ſubrepens; ipſo in Evangeliis ſic proteſtante: *Qui non vendiderit omnia quæ poſſidet, & tulerit crucem ſuam, & ſecutus fuerit me, non poteſt meus diſcipulus eſſe.* Luc. 14. 26. & 33. Ergo enitendum eſt, ut illius primùm diſcipuli, pòſt amici eſſe poſſimus. Ceſſat enim conditio ſervitutis, ſi meritum ſpiritale ſuccedat, ipſo dicente: *Si feceritis quod mando vobis: ecce jam non dico vos ſervos ſed amicos.* Iohan. 15. 15. Hic * labor ſic viventibus gratus eſt, & pro ſpe hujuſmodi cunctis deliciis præſtat injuria, blanda humilitas, patiénſque contemptus, victus exiguus, paupérque veſtitus; & in imperio ſpiritus carne depreſſa, obliqua vitijs ſtudia diſcenda ſunt, iram vincere, invidiæ nihil debere, colere manſuetudinem, arrogantiam deteſtari, reſpuere humanæ gloriæ vanitatem, & linguam ſæviſſimum malum ab obtrectatione cohibere; ut ſic exuviis veteris hominis abſumptis non fruſtrà illud Apoſtoli recenſeatur: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* 1. Cor. 15. 49. 1. Cor. 4. 16. Imitatoréſque illius ſimus, ſicut ille Chriſti, fiducialiter uſurpantes. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt:* Phil. 3. 20. Et, *Pars noſtra Dominus.* Thren. 3. 24. Cùm in hæc ſemper intenti nec viſu recipimus nec auditu, quo aut admitti delictum aut admittendum ſoleat cogitari.

CAPUT III.

Quæ inſtituta Monachorum, vel quare à multis odio habeantur.

APOLL. SUfficienter interrogationis iſtius vota ſupleta ſunt, & ita veræ perfectionis merita patuerunt, ut quidam animo experiendi fervor obrepſerit, & vitæ præſentis uſum à totis delictorum occaſioni-

Digitized by Google

Cod. Arn. * segregari. bus segregarit*. Quæ nunc igitur Monachorum congregatio vel secta sit, vel quam ob causam etiam nostrorum odiis digni habeantur exprome: qui utique si honesta sectantur, neque à fidei unitate dissentiunt, imitandi sunt potiùs quàm vitandi: quia, ut arbitror, ejusdem apud Deum criminis atque peccati est odiisse bonos, cujus & noxios non vitare; dum fieri nullo pacto potest, ut esse bonus malit qui diligit malos, vel rursum, malitiæ stimulis non agatur, qui quamlibet bonitatis speciem præferat, sic verè illud quod immeritò in aliis execretur.

ZACH. Justa æstimatione perpendis hujusmodi propositum, vitámque sectantes odio esse fidelibus non debere, nè sub incerto mentis arbitrio pro malis bonorum ineatur offensa, & sicut scriptum est: *Qui oderunt justos,* *Psal. 33. 22.* *delinquunt.* Et illud: *Væ his qui dicunt bonum malum, &* *Isa. 5. 20.* *malum bonum.* Multiplex enim observantiæ istius forma est, ac sub uno propositi nomine diversa genera Monachorum: sed talis omnium causa qualem in cunctis ordinibus fore nosti, ut propter morum varietatem sit etiam diversitas voluntatum, unde professio inreprehensibilis & sancta est: sed quidam sub hujus conversationis velamine odiis digna committunt, ac licet dissimili arguantur reatu, generaliter tamen à professione discedunt. Hi namque quorum inter deviantes perditior animus est, temporariè abstinentiam & continentiam simulant, & primùm studiis lubricæ familiaritatis inrepunt, captásque mulierculas vanis opinionibus inludentes in usum miseræ cupiditatis inliciunt; dum aut muneribus inhiant, & fœda avaritiæ lucra conquirunt, aut dolo subditas vincunt, & à proposito devotæ castitatis abducunt. Alij autem fideliter inchoant, ardentíque proposito justitiæ servire contendunt. Deinde inconsideratiùs arrepta non perferunt, atque à cœptis desistunt, vel certè invidentium aut aggredi detrectantium persuasionibus molliuntur, atque ab instituti rigore discedunt, tum remissionibus assuefacti in omnem inlecebram corporis redeunt, ac primam fidem irritam facientes communis vitæ ordi-

Digitized by Google

nem laudant, ut actum propoſiti durioris accuſent. Unde intelligis non ab his eorúmque ſimilibus integritatem perdurantis induſtriæ prædamnandam, aut in labore ſanctiſſimo ſublimiter conſummantium gloriam reverentiámque minuendam : cùm ſicut dictum eſt, perſona magis quàm ordo diſpliceat, nec jure deſpici propter aliquos poſſit, quod magnanimiter ſervatur à multis.

Hij autem verè modum profeſſionis iſtius exequuntur, qui ut jam dictum eſt, abſciſſis penitus ſæculi vinculis, in legis exercitatione verſantur, & promiſſa ad integrum præſtolantes, præcepta ad integrum implere nituntur : ſed in his quoque obſervantiarum non parva diſtantia eſt ; ac licet cunctis mereri cordi ſit gloriam futurorum ; alij tamen ſummis, alij mediocribus ſtudent.

Quidam etiam velut in poſtremo ſectæ iſtius gradu parva obſervatione contenti tantùm cælibes vivunt, vel numquam experti matrimonia reſpuentes, vel amiſſorum recordatione commoniti ſecunda ſi prima habuere devitant, dum alterum ferè non caventibus provenit ; ut aut quod in primis perdiderunt, non inveniant in ſecundis ; aut rurſum in conſequentibus patiantur quod caruerint in defunctis. Hi, inquam, rebus communis converſationis interſunt, & ſecreta non expetunt vitæ hujus conſuetudinem retinentes, ut etiam ſi à delicti vacui fore poſſunt, occaſioni tamen ſubjaceant delictorum, dum lege corporis in diverſum trahẽte difficiliùs magna perficiunt, qui poſſunt mala videre nolentès. Habitus his nec inhonorabilis nec abjectus eſt ; & aut idem qui omnibus cibus potúſque communis, aut rarò abſtinens & in paucis reciſus. Pſallendi perinde vigore non fervent, nullíſque vigiliis nocturnam rumpunt quietem ; non profuſum ſed tractabilem cenſum poſcentium inopiæ ſuggerentes, fides calida eſt, non tamen fervens, & mens religioſa non Religioni penitus addicta. Hujuſmodi autem conſuetudo potiorum eſt, locis primùm remotioribus habitant, etiamſi in urbibus degant, ipſúmque converſationis * ordinem non quidem jactanter oſtentant, ſed ab exhor-

* al.* converſionis.

Digitized by Google

tationibus aliorum velle supprimere peccati loco ducunt.

Cœnobitæ. His conveniendi unus omnibus locus est, sed dispar manendi; vestitus humilis, cibúsque non blandus, nec interest ex quo potissimùm sitis, vel quàm vili liquore satietur, dum potandi arceat voluptatem, & vim corpore necessitatis excludat. Psallendi verò intentis crebra sunt studia, certísque horarum vicibus laudandi Deum devotio distributa: jugis jejunii usque ad vesperum, labor & opus diurnum prout est scientia exercetur: à singulis proprium quod alicui suppetit non est, & est commune quod deficit. Ideo cunctis execrabilis torpor & victus nisi ex labore non congruens. Juncia perinde lectulis strata, parvísque velaminibus permissum somno corpus obtegitur: quin etiam supplicandi in nocte statuta sunt tempora, notæque vigiliæ. Numquam præterea diei falluntur adventu, sed strenuos semper fallentis auroræ tempus exsuscitat, atque offerendas Deo laudes devotio matutina compellit.

Eremitæ. Hi autem quibus primus observantiæ gradus est, soli eremum ac squalentia deserti loca habitant, verísque vocabulis nuncupati singularem transigunt vitam, aut cavatis in habitaculum saxis subterraneis specubus à sole & imbribus temperantes, pane veteri & sine ciborum adjectione vescuntur, sumentes purum è fontibus potum: vestitus talibus aut pellicius aut cilicinus est, & totius vitæ usus in agone mentis & corporis. Jam verò ad Deum incessabiles preces ac supplicatio in sacrificij vicem cedit, vel siquando ab oratione cessatur, psallendi gratiâ canitur laus Divina & alacritas mentis exercitio Religiosæ jucunditatis accenditur. Inest præterea multifaria dæmonum turba, & dolis immundorum spirituum victrix constantia sæpe congreditur. Continuatio assidua jejunandi noctésque pervigiles, & aut sine fulcris humo corpuscula decubant, aut saxo pauliſper projecta durantur, ut somnus non agi videatur injuriosa brevitate, sed pelli. Hæc Monachorum diversitas, & talis spiritaliter degentium cælestis in terris agitur disciplina. Pro Dei

Digitized by Google

autem nomine votiva mors omnibus, atque optabilis ſancti exitus pompa, dum nulla in ſæculo compenſatur injuria, quod & ſublimi honore* munerandum eſt, & ſine ulla temporum mutatione manſurum. *Cod. Ar.* * veneran-dum.

CAPUT IV.

Si fideles Monachi à Dei præcepto hæc gerant.

APOLL. MAgna eſt quidem talium prædicatio virtutum, & in Dei voluntate vel laudibus ſervitus glorioſa, quoniam hujuſmodi ſtudijs & pernicioſa vitæ iſtius blandimenta vitantur, & perennis beatitudinis præmia conquiruntur. Singula tamen quæ à fidelibus Monachis agi ſuperiùs meminiſti, ex Dei monentis manare præcepto, ordine cœptæ informationis oſtende. Nam procul dubio clarum eſt incerti eadem eſſe momenti, ſi non ejus auctoritate ſuſcepta ſunt, à quo & muneranda creduntur.

ZACH. Specialis primùm expetendorum ſecretorum Monachis cauſa eſt, ut peccati, ſicut jam dictum eſt, etiam occaſionem devitent, & quibus voluntas in propoſito recta eſt, actus alius eſſe non poſſit, ſimul denique ut bellum contra ſæculum ſuſcepturi, nulla mundi frangantur inlecebra; fervens enim in ſpiritu fides rebus illius inimica eſt, ſicut Johannes in epiſtola ſua prædicat, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum non eſt caritas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi eſt.* Jacobus ſimiliter: *Neſcitis, Fratres, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo; & quicumque voluerit amicus eſſe ſæculi, inimicus Dei conſtituetur.* Veſtitûs autem humilitatem, & jugem jejuniorum laborem Deo acceptabilem fore David ſpecialiter indicat, dicens: *Ego*, inquit, *cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: & in jejunio humiliabam animam meam*; Et iterum: *Poſui veſtimentum meum cilicium*: Et, *Panem meum cum cinere miſcebam, & potum meum cum fletu temperabam.* Dominus verò Johannis habitum prædicans ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus*

Nota. *1. Iohan. 2. 15.*

Nota. *Iac. 4. 4.*

Pſal. 44. 15. *Pſal. 68. 12.* *Pſ. 101. 10.* *Matth. 11. 8*

Digitized by Google

Luc. 7. 25. *vestimentis indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Ibi scilicet cultum fore indicans habitum, ubi & usum in voluptatibus abundantem: erat enim vestitus illius de pilis cameli, id est etiam lanarum mollitie habitus carens. Zona perinde pellicia cingebatur; & vinum ac siceram non bibens, edebat locustas & mel silvestre, elegantis paratiorisque convivij copias al.* quod. non requirens, eo tantùm utebatur, quo* electæ conversationi nec inferret luxuriam, nec gigneret sumptum.

Unde Heliæ magnum iter ex Dei jussione subituro aqua tantùm ab Angelo, & vilis ponitur panis. Daniel verò ut desideriorum obtineat effectum, desideriorum poculis cibóque non fruitur. Ipse denique Dominus in jejunio & humilitate diabolum vincit: sicut Apostolus ait: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, ut nos* Philip. 2. 7. *& paupertate illius divites fieremus, & ab injuria salva-* 2. Cor. 8. 9. *remur.* Qui tamen cùm in eodem susceptam ex Gentibus gubernare velit Ecclesiam, abstinentiam quoque verbis talibus prædicavit: *Bonum est non manducare car-* Rom. 4. 21. *nes, & non bibere vinum, in quo est luxuria.* Id est, ut Ephes. 5. 18. Deum mens humiliata plus cogitet, carnemque subjectam à luxu pariter sumptuque submoveat, quo utique & quærendo occupamur & sollicitamur expenso: cùm si in Dei Regnum intenti potiùs fuerimus, in exhibendis necessarijs sententia illa non desit, qua scriptum Luc. 12. 22. est: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid biba-* 29. *tis, aut quid vestiamini: quoniam hæc Gentes requirunt:* Illi scilicet: *Quorum venter Deus est, & spes omnis in faucibus.* Quibus edendi, bibendíque animalium more sola ac præcipua cura est. Prædictam autem rei fiduciam tali protinus confirmavit exemplo: *Aspicite volatilia cæli:* Matth. 6. 26. & seqq. *non arant, neque serunt, neque in horrea congerunt: & Pater vester pascit ea: sic & vos modicæ fidei: scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis: itaque quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adponentur vobis:* id est, nec opinantibus præbebuntur. Unde Apostolus, ut possideri omnia possint, nihil in sollicitudine possidendum declarat, dicens: *Vt nihil habentes, & omnia possi-* 2. Cor. 6. 10.

Digitized by Google

dentes. Itaque intelligis eos proprietati suæ cuncta subjicere qui cuncta contempserint, atque insipientium judicio pauperes credi, qui sunt in Dei promissione locupletes, & temporariè parva despiciunt, ut perpetuò magna mereantur: hisque in sæculo egere contenti sunt, quæ ab aliis cum discrimine honestatis & vitæ ad hoc per omne ævum contracta pariuntur, ut aut mox in sæculo hisdem viventibus pereant, aut quandoque de sæculo recessuris peritura cum sæculo relinquantur.

CAPUT V.

Ex quibus Scripturis continentia vel virginitas prædicentur: vel si præceptum est pro Dei amore conjugia separentur.

APOLL. CLarè patuit contemptum mundi cum humilitate vestitus, continentiæque proposito, sacræ informationis oraculis præfulgere; eósque in cælestibus plus mereri qui de terrenis parva præsumpserint, atque ad hoc Monachos duris observationibus erudiri, ut non solum vitia, sed materiam amputent vitiorum; unde nunc evidens continentiæ & virginitatis præceptum iisdem Scripturarum auctoritatibus pande; quare denique cælibes non solùm casibus facti, sed à justis * conventibus abstinentes, rectè quidem inlicita condemnant, sed nihilominus licita aut aspernantur aut respuunt, quæ si itaque ex præcepto Divinitatis ut prædicta venerunt, salubriter exiguntur; sin autem à cæleſti informatione sejuncta sunt; quam ob causam velut oporteat imperantur quæ & in observatione difficilia, & in labore sine fructu sunt. *al.* * justis.

ZACH. Adæ quidem à principio dictum est: *Non est bonum hominem esse solum.* Et mox procreationum sententia subsecuta: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Sed facta eidem atque ex eodem mulier priùs solatio quàm conjugio fuit; donec à paradiso inobedientia faceret extorres, quos intra paradisum obedientia tenuisset, ac post beatæ sedis excessum, mulierem suam pulsus agnosceret, libro Geneſis hoc docente: *Et cognovit Adam mulierem suam, & concepit & peperit filium.* *Genes.* 2.18. *Gen.* 1.28. *& Gen.* 9.1. *Genes.* 4.1.

Digitized by Google

Ergo addictum laborem nuptiæ præcesserunt, & tribulos spinásque passuri prævios adiecere conventus; secuta in procreationibus tædia, & parituram aliud præcessit
Genes. 3.16. edictum: *In dolore*, inquit, *& mœrore paries filios.* Quos utique sic creatos diversi, ut cernimus, casus luctúsque
1.Cor. 7.28. subriperent. Unde Apostolus prædicans ait: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Non tamen conjugiorum inhonorabiles thori, aut immaculatum cubile sine fructu est; nempe soboles inde Sanctorum; & quod laudatur in virginitate conjugij est; sed sublimius continentiæ præmium, celsiórque Virginitas; nec potest timere quod minor sit, nec debet insultare quia major est; sed Catholicâ interpretatione distincta honestis conjugiis præconia tribuat castitatis, continentiæ meritum abstinentibus reputet, integris præmium virginitatis adscribat. Hoc est non damnare quod bonum est, sed suadere quod melius; unde illud in scripturis evidens continentiæ documentum est: *Sciebat*, inquit, *Dominus quoniam minoratus est Israel, & non est jam derelictus præter continentes.* Quod Salomon in spiritu prævidens
Eccles. 3. 5. ait: *Tempus amplexandi & tempus longe fieri ab amplexu.* Quia præcepti veteris est, ut terra procreationibus impleatur; novi autem, ut continentia atque virginitas
Zach. 9.16. juxta Septuag. impleat cælum. Unde per Zachariam Dominus ait: *Sancti lapides volvuntur super terram in juvenibus triticum, vinum suave-olens in virginibus.* In Evangelio denique spadonum diversa genera memorantur, sed illis specialis Regni possessio deputatur, qui se ejus causa & amore castraverint, id est, non quos impossibilitatis necessitas cogit; sed quos voluntas efficit continentes. Sic enim scriptum
Matth. 19. 12. est, Domino disputante: *Sunt spadones qui ab hominibus fiunt, & sunt spadones qui ab utero matris suæ ita nati sunt; & sunt spadones qui se castravernnt propter Regnum*
Isa. 56.5. secund. Sept. *cælorum.* De quibus per Esaïam dicitur: *Dabo illis locum meliorem filiis & filiabus.*

Quàm tamen adeò ardui ac sublimioris præmij esse professus est; ut dicentibus quodam loco Apostolis;
Matth. 19. 10. *Si sic est homini causa cum muliere, ergo non expedit nubere.*

Ille

Digitized by Google

Ille reſponderit: *Qui poteſt capere, capiat.* Non ergo præceptum de continentibus, ſed ſuaſio eſt; nec injungitur virginitas, ut ſit neceſſitatis, ſed, ut voluntatis poſſit eſſe, laudatur, Apoſtolo proteſtante: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, ſed conſilium do, tamquam & ipſe ſcientiam Dei habens. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* Johannes verò in Apocalypſi eos tantùm agni veſtigijs inhærere præſcribit, qui contaminati mulierum conventibus non fuerunt, dicens: *Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque vadit; hi ſunt qui ſe cum mulieribus non coinquinaverunt; virgines enim permanſerunt.* Præferuntur itaque rationabiliter meliora, ſed tamen quæ humiliora ſunt, mala non ſunt; nec aliquod in nuptiis ſignatur delictum; ſed ut paulò ante cognôſti, propter inſtantis finis neceſſitatem, nè ſecundùm Evangelium, *Væ prægnantibus & nutrientibus* ſit, continentia perſuadetur; ſimul ut diſtrictæ ſatisfactioni aliquando ſint dediti, qui conjugiis vacaverunt; ac peccatorum onera recordantes reſtitui Deo arctiùs enitantur, dum rectè etiam à licitis abſtinent, qui inlicita commiſerunt.

1. Cor. 7. 25.

Apoc. 14. 4.

Luc. 21. 23

CAPUT VI.

Quæ conſuetudo pſallendi orandique ſit: vel unde Monachis hæc præcepta venerunt.

Apoll. ET ego ſciebam virginitatis, continentiæque propoſitum meriti eſſe ſublimis, præcipuè cùm Dei reverentiæ dedicati humanam conſecrent voluntatem: dum & veneratione communi digna ſuſcipiunt, & vitam Angelicæ dignitatis vel converſationis imitantur. Sed quia imperium in hac parte non conſilium credidi, auctoritatem ex Scripturis oportuit dari. Nunc autem quæ orandi pſallendíque conſuetudo tam crebra ſit, aut unde à Monachis * talium doctrinarum ſtudia defluxerint, breviter pande; quamvis enim grande ſit in aſſidua ſupplicatione momentum, cantandi tamen ſtudium videtur otioſum, cùm & attentior in ipſa ſuppli-

al.* ad Monachos.

Digitized by Google

catione sit raritas, & divinam Majestatem seriis potiùs laudibus quàm facetis deceat honorari.

ZACH. Intentos quidem orationi ac per omnia serios offerri nos Dei conspectibus fas est, & prosperum actuum regimen subjectis sensibus postulare; sed necesse est ut ocyùs impetret qui sæpiùs deprecatur, Domino in Evangeliis depromente: *Amen dico vobis, si non dabit propter amicitiam, dabit propter importunitatem*; id est, si parum potest obtinere per meritum, rogandi frequentia prævalebit. Unde iterum: *Orate sine intermissione, ut digni habeamini effugere mala quæ superventura sunt vobis.* Per Salomonem verò Spiritus dicit: *Nè impediaris orare semper:* Apostolus perinde: *Orantes incessabiliter gratias Deo agite: hæc enim est voluntas ejus.* In illo autem de canticis sancti carminis textu totum serium, totúmque venerabile est; adeóque sanctis cultibus dignum, ut eo semper aut laudetur divinitas, aut auretur. Hoc enim illic indulgentia Divina prospexit cùm infirmitati nostræ abusióque consuleret; ut tristibus mitia, severis blanda permiscens abire nos quoquomodo à sui recordatione non sineret, cùm ejus beneficia non solùm loqui, sed & canere delectaret. Moyse primùm post rubri maris transitum, sic docente: *Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est.* David perinde pro bonorum retributione quid Deo potissimùm offerret eligenti, cantandi, psallendíque amœnitas sedit, ait enim: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi.* Et, *Psallam nomini tuo, Altissime.* Et iterum: *Exaltare Domine in virtute tua; cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Per Hieremiam verò hujusmodi studis deditos multiplicandos in gloria Deus dicit: *Erunt*, inquit, *ex his cantantes vox laudantium; & multiplicabo eos, & non minorabuntur.*

Luc. 11. 8.
Luc. 21. 36.
1. *Thess.* 5. 18.
Exod. 15. 1.
Psal. 12. 16.
Psal. 9. 3.
Baruch. 2. 32. & 34.

Tres autem pueri in camino ignis intacti salvationis vicem in cantico laudis rependunt. Hymno cum Apostolis dicto Dominus pergit ad montem, ut sanctæ festivitatis libertas ad illa consummatæ auctoritatis haberet exemplum, qui nos in omnibus imbuisset. Quod tamen certis diei noctísque horis esse celebrandum David sub

Digitized by Google

relatione proprij actus instituit, dicens: *Ego*, inquit, *clamabo vespere, mane & meridie.* Et iterum: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et tertiò: *Clamabo per diem nec exaudies: Et nocte, & non ad insipientiam mihi.* Exultare ergo in Dei laudibus nec Regem puduit, nec Prophetam, adeóque in his Deo nos placere perdocuit, ut cùm sibi nocturnas spiritalium canticorum vigilias fore monstraret, officij ipsius & tempus edicat: *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, Domine.* Hisdem se horis fortasse se venturum in Evangelio Salvator adstruxit, tum primogenita Ægypti Angelo adfligente percussa sunt; & quod à Christo de hujus mundi potentibus in fine faciundum est, plagæ illius præfiguratione signatum est. Paulus denique cum Silla tali meditatione perfuncti, à vinctis cæteris audiebantur in carcere, eósque ab hac solemnitate nec pœna compescuit. Unde advertis psallendi orandíque frequentiam justis Sanctorum * officiis celebrari, finémque communem vel, si advenerit, proprium sub tali * actu expectare securos, dum in hac mentium oblectatione & fidei honor & alacritas crescit animorum; intérque sæculi ac professæ inquietudinis curas læta exigit gratia, quod obtinere non prævalet tristior disciplina.

Psal 54.18. Ps.118.164. Psal.21. Ps. 118.62. al. * cantorum. al. * substantiali.

CAPUT VII.

Si Antichristus veniet aut quo fine mundus claudatur.

APOLL. BEne in consummationis narratione sanctorum actuum adducta cognitio est, atque interminatum sæculi, ut perhibetur, finem quò liberiùs inquireremus oblatum est. Quali ergo præsentium exiturum, vel quem in modum memorata libellis præcedentibus tempora concludentur. Unde præterea tam confidentes Gentilium minæ ac prophanorum superba sunt jurgia. Erítne aliquis sacræ appellationis assumptor, aut quisquam mortalium mentiri se Dei Filium poterit audere? Mihi enim verisimile non videtur, ut diabolicæ fraudis reliquiæ vix admodum in pauciffimis residentes, in legem iterum Catholicam convalescant, & quamlibet

Digitized by Google

terminis careat Divina potentia in hoc usque antiqui serpentis injuria differatur, ut extincta tot sæculis bella perfidiæ funestus reducat, per quæ *omnia terrarum loca Ecclesiæ cultibus stratus impium rursus efferat caput, qui ita venerandæ Majestatis invocatione torquetur, ut jam adire etiam ipsorum criminosorum volutabra vix audeat, dum occultis ignium suorum cladibus tortus totum undique contremiscit quidquid ex nomine Catholicæ Religionis audierit.

al. * pérque.

al.* sævam.

ZACH. Sæva * in memoriam redigi cupis, & ineluctabilem humani generis obtritionem supremorum narratione proferri, quæ tam flebili exaggeratione dicenda sunt, ut sicut scriptum est: *Nec fuerint umquam nec futura sint talia.* Sed hæc fieri humanæ fidei defectio, & peccatorum immensitas maturabit: Nec sunt quasi ex aliqua necessitate decreta, sed ex præscientia sunt prædicta, Scriptura de Amorrhæis prodente: *Nondum*, inquit, *impleta sunt peccata Amorrhæorum.* Daniel perinde quia delictorum expletio sit futura, consummationem astruit secuturam; unde & Dominus in Evangelio de abusione humani generis conquerens ait: *Cùm venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram?* Apostolus etiam horum temporum iniquitatem increpans, ait: *Erunt*, inquit, *in novissimis diebus tempora periculosa; homines se ipsos amantes, blasphemi, superbi, parentibus non obedientes, insensati, incompositi, sine affectione, sine misericordia; qui cùm justitiam Dei*, id est, futurum judicium scirent, *non intellexerunt: quoniam qui talia agunt digni sunt morte.*

Dan. 12. 1.

Gen. 15. 16.

Luc. 18. 8.

Horum igitur meritò venturum Antichristum fides certa est, immo diabolum sub persona hominis sæviturum, sed gentilitatem detestabitur, & circumcisionem suadebit. Nec enim aliter Dei filius credi possit, nisi à se legis veteris reparationem exhibitam mentiretur, ac primùm Judæos idem totius perfidiæ caput ac fallaciæ sibi subdet. Christum enim & venturum sciunt, & sempiternum judicem confitentur; sed ut atrocitatem inlati à se facinoris excusent, in corpore, quod interfecerunt,

Digitized by Google

veniſſe non credunt. Hæreticis verò prædictus ſimulator Deum eſſe quidem, ſed minorem adſeret Patre, ut eorum denique impietatem perditionis ſuæ ſuſcepturus admiſceat, & in utriſque illa ex Evangeliis ſententia compleatur: *Credent*, inquit, *iniquitati qui veritati credere noluerunt.* Rom. 2. 8. Tum Gentiles velut ſenſu rationabili carentia pecora, phantaſiarum admiratione capturus eſt, ut inlaqueatis nationum pene omnium populis, etiam electi, ſi fieri poſſit, dolis talibus ſeducantur: & hujus mali auctoritatem efficiet multitudo: indeerrorem mali veteris ſubintroducet; & qui primùm idolorum veſtigia convulſurus eſt, in locis ſanctis poni ſibi ſtatuas imperabit, eáſque adorari atrociter cogens, quod ſe odiſſe ſimulaverat ſubtiliter reparare nitetur. Nam, ſicut dixi, ad hujuſmodi facinus ignaros ſignis, præmiis inconſtantes, Sanctos ſuppliciis coarctabit infauſtæ abominationis imagines vultúſque mortificos ſupplici adoratione venerari; nuſquam ſecura cedentibus fuga, nulláque ut cælet in abditis latebra, cùm & à proximis prodantur latentes & fugientes inedia conſumantur. Ait enim in Evangelio Dominus cùm de malis illius loqueretur: *Et tradet*, inquit, *homo proximum ſuum.* Matth. 24. 10. Inopiâ verò fideles necandos, Apocalypſis ſic declarat: *Faciet omnes puſillos & magnos, divites & pauperes, liberos & ſervos, ut dent ipſi ſibi caractheres in manu ſua dextera, vel in frontibus ſuis; ut nemo poſſit emere aut vendere, niſi qui habeat caractherem, vel nomen beſtiæ.* Apoc. 13. 16. Quam Daniel his ſermonibus futuram prædixit: *Exurget Rex improbus facie intelligens propoſitionem; & fortis virtus ejus; mirabilia corrumpet & diriget, & exterminabit fortes, & populum ſanctum: dolus in manu ejus, & in corde ſuo magnificabitur, & abundantia corrumpet multos, & ad interitum multorum ſtabit.* Et iterum: *Extolletur Rex adverſus omnem fortem, & magnificabitur ſuper omnem Deum: & loquetur ſuperba, & diriget quo aduſque perficiatur ira: in conſummatione enim fiet, & omnem Deum patrum ſuorum non intelliget: & in cupiditatem mulierum non ibit.* Dan. 11. 36.

Digitized by Google

Itaque intelligis execrandi temporis Regem præ omnibus æſtimandum, qui eos quos violentia ac fraude nequiverit corrumpere, nitetur inlecebra carpere, nec in Deos patrum ſuorum, id eſt Gentilium, intelligens feralem in corpore enervato quaſi purus præferret caſtitatem. Sanctum populum, id eſt Chriſtianum crudeli internecione vaſtabit. Sed hunc mundi luctum, tribulationémque juſtorum iræ cæleſtis ſtigmata ſubſequentur, & rerum omnium finem priuſquam Domini dies magnus adveniat, malorum ineffabilium dolor præcedet. Dum ante ultimam mundi ſolutionem humani generis reliquiis, aut in ſacrilegiis perpetuò pereundum ſit, aut ob ſacrilegia in ſæculo non vivendum.

CAPUT VIII.

Quando veniet, vel quæ longinquitas Regni ejus.

APOLL. FUturum verò Antichriſtum, atque in orbis excidium legémque Catholicam ſævituram nimis perſpicuè claréque docuiſti; ſed quando adventurus, quanto tempore ſit futurus expoſitio cœpta non contingit: ſedulâ itaque mente percurre quæ regnantem clauſura ſint tempora, quæ præcurrant indicia venientem; quoniam ſi in tanta ſignorum, Regníque virtute ſpiritalis nequitiæ exerit voluntatem; nullis contrà aut deſtruendus rebus, aut ſignatiùs divulgandus, dignoſcendæ, ut arbitror, falſitatis nec ipſis copia fidelibus erit, nulláque dubios remediorum genera ſalvabunt; ſi compulſio tranſgreſſionum atrocitate & phantaſiis plena, ſit obſcura notione. Unde hanc quoque ambiguorum partem Divinæ auctoritatis editione diſtingue; ut, evulſis radicitus fraudibus, & inſtruantur dubij, & confirmentur infirmi; dum & falſoris produntur inſidiæ, & brevitate temporis fortè conſtringitur inſania bacchatoris.

ZACH. Manifeſtè quidem Antichriſtus veniet, ſed confeſtim ſecuturus eſt Chriſtus; & licet diem vel horam adventus ſui, ut ipſe ait: *Nec Angeli ſciant;* quòd ſecreti

Digitized by Google

iſtius notionem in ſuam Pater redegerit poteſtatem; evidentia tamen * eodem mox docente ſigna præmiſſa ſunt, quibus perpenſâ præſentis temporis qualitate adeſſe confeſtim ſuprema dignoſcimus. Sic enim ait: *Cùm videritis ſigna in cælis, in prodigia in terris gentem ſuper gentem, Regnum ſuper Regnum, prælia & opiniones prœliorum, famem, & terræ motus per loca; tunc erunt initia dolorum, ſed nondum finis.* Percurre nunc ſingula, atque ex his, quæ geruntur, aut geſta ſunt, quid ſuperſit intellige: profectò id tantùm deeſſe perſpicies, quod noviſſimis aut jam adſcribi poſſit aut jungi. Quis enim natus quietem patriæ poſſidens vivit? Quis intra genitale ſolum populus labori exhibetur aſſueto, aut ab inferendo ſuſcipiendóque diſcrimine, vel propriæ ſalutis intuitu, vel domeſtico retinetur affectu? Ardet bellandi impius furor, atróxque inſania armis delectatur & rapto, hinc fauces hiantis avaritiæ cruor paſcit, & cùm pænè *iniectis mortibus* cuncta ſuccenderit *, reliquias tamen ſitiens aut ſternit aut ſpoliat. Non dilectio proximos, non juſtitia ſervat extraneos: gemens in terra pietas exulat, atque ab humanis mentibus pulſa veſtigia, quæ pridem reliquerat, auferre compellitur. Regnis inſuper regna confligunt, & inſuſpicabiles ſceptris juſtarum ſedium Auguſtos depellunt. Adde prodigiorum ineffabiles minas, & terræ creberrimos motus, pluráque cælo ſigna fulſiſſe. Quid inediæ funeſtos exitus loquar, & infandis humanorum corporum cibis expletas deficientium aviditates? Horret animus dicere parricidiis famem paſtam, & reliquias corporum dilectorum, ut ſæviùs, quàm vix erant, interirent, viſceribus ſuorum ſepultas.

al.* autem.

Matt. 24.7

Cod. Arn. * ſuccideret.

Æſtima, quæſo, utrum hoc ferre diu ſæculum poſſit, quod eloqui humanus ſermo vix audet? Utrúmne hæc diabolo otiante ſic ſæviant; quæ licet meritò noſtris ſint reputanda peccatis, illius tamen opere tecta* peraguntur; qui coram continuò congreſſurus, ita ſupremorum urgetur anguſtiis, ut quod implendum Evangelia prædixerunt, agere orbis deſertione jam cœperit: hæc enim

Cod. Arn. * cœpta.

Digitized by Google

Matth. 24. 15. his quæ nunc memorata sunt Dominus adjecit: *Cùm videritis abominationem desertionis stare in loco sancto: qui legit intelligat*: Id est, cùm fiet omnium solitudo terrarum, sacríque altaribus execrabilium imaginum abo-
Ibid. minatio præponetur. *Et prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto orbe, tunc erit finis.* Quæ nunc igitur portio, habitatióque terrarum est, quæ nomen nostræ
*In cod. Arn. deest, * nobis.* Religionis ignoret, immo quæ nobis * ex se credentium membra non miserit? Unde Evangelij prædicatio propemodum jam impleta intelligitur: in Heliæ tamen, qui nunc venturus est, sermone complebitur; tribus enim & semis annis primùm Antichristum, deinde Christum adesse prædicet, qui qualibet pari tempore regnaturus per Apocalypsin designetur. Breviandos tamen ejus dies in Evangelio Salvator insinuat, ne intolerabilibus malis per diuturnitatem caro victa succumbat: sic enim ait:
Ibid. 22. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro.* Non quòd dierum ac noctium fixa ab initio constitutio sit mutanda, aut currentium temporum horis spatia recidenda; sed sicut per Nathan denuntiata populi
f. * cæde. cædes * pro tribus diebus tres tantùm horas Divina miseratione promeruit; ita execrandi temporis Regnum non spatio credimus minuendum esse, sed numero; nec Divinæ ordinationi modum sed furentis imperiis imponendum; ut in Resurrectione post tanti certaminis pugnam, & devotio fidelium, & perfidia non lateat impiorum; dum & antiqui hostis brevis dominatio pellitur, & Dei advenientis reverentia Sanctorum confessionibus honoratur.

CAPUT IX.

Quibus Scripturis sit resurrectio repromissa.

APOLL. QUantum videtur, & patere sollicitorum mentibus credo, ambiguæ prædicationis obscuritas absoluta est, & tota in planum supremi temporis missa cognitio, præcipuè cùm adstipulantibus quæ aguntur dierum malis clara sit ratio, nec aliud superesse meritò credatur, quàm ut annuntiaturi Prophetæ præ-
sentia

Digitized by Google

ſentia demonſtretur. Nunc verò unum hoc conſummatis interrogationibus præſta, ut reſurrectionem ex Dei poſſibilitate jam creditam doceas & promiſſam; nè tantæ admirationis magnitudinem ſine auctoritate cæleſtium ſtatutorum adſertio nuda contigerit, ſed libellis prioribus intimata præſentis eruditione firmentur, gaudium allatura credentibus, diſputationem dubiis ablatura, dum & poſſibilem ex Dei potentia fatebuntur, & faciundam ex ejus promiſſione cognoſcent.

ZACH. Tam plena eſt Divinæ miſerationis erga homines liberalitas, ut ea quæ fragilitas terrena vix credit, probare voluerit antequam facere, ac priùs veris confirmare credentes, quàm probare dubiis crediturus: nam cùm hanc muneris ſui partem totis admodùm ſcripturarum voluminibus indiderit, ſpeciali per Ezechielem monſtravit effectu, faciliùs homines ſuſcitari à ſe poſſe quàm facti ſunt, fruſtráque quaſi perditos hîc lugeri, quos non ſit * impoſſibilitas ulla reſtitui. Ait enim: *Et tulit me ſpiritus Domini, & ecce facies campi, & hæc erat oſſibus plena, & circumduxit me in gyrum eorum; & ecce arida nimis; & ait ad me: Fili hominis ſi vivent oſſa iſta? Et dixi, tu ſcis, Domine. Et ait ad me: prophetiza ſuper ea, & dic; oſſa arida, audite verbum Domini: hæc dicit Dominus; Ecce ego adduco ſuper vos nervos & viſcera, & obtegam vos cute, & dabo ſpiritum vobis, & vivetis: & ecce os ad os conveniebat, & ſuper ea nervi & viſcera naſcebantur, & cutis deſuper aſcendit; & jacuerunt ſine ſpiritu. Et ait ad me, prophetiza fili hominis ſpiritui, & dic: Hoc dicit Dominus ſpiritui: à quatuor angulis cæli veni ſpiritus, & inſuffla oſſibus iſtis & vivent: & factum eſt, & ſteterunt pedibus ſuis congregatio nimis multa. Et ait ad me: Fili hominis oſſa hæc domus Iſrael eſt: Qui dicunt vana eſt ſpes noſtra nimis, interivimus; & ſcient quod ego ſum Dominus, cùm educam eos de ſepulcris, & vivificabo populum meum & ponam illos in terra ipſorum, & faciam hæc dicit Dominus.* * al. finit. Ezech. 37. 1.

Unde Salvator Saducæis reſurrectionem non creden-

Digitized by Google

Luc. 20.38. tibus ait: *Quomodò legistis Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob? Non est utique Deus mortuorum sed vivorum.* Apostolus autem sub elementorum comparatione,
1.Cor.15.41. meritorum quoque distantiam prædicavit, dicens: *Alia claritas solis, & alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum; stella enim à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum.* Johannes verò etiam eos quos mare fluctibus tegit, adstruit reformandos, dicens: *Et mare reddet mortuos suos.* Tunc illud David canentis im-
Psal 49.3. plebitur. *Deus manifestè veniet, & non silebit: ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas validæ.*
Nota. 2.Pet. 3.10. Unde in epistola sua Petrus: *Quales nos*, inquit, *oportet esse, fratres, in die illa, cùm cæli magno impetu transcurrent, & elementa ardore solventur.* Tunc illud sancti Apo-
1.Cor.15.55. stoli vocibus deprometur: *Ubi est mors aculeus tuus, absorpta est mors in victoria tua.* Et qui nunc lacrymosis seminibus justitiæ vias implent pretiosæ mortis manipulos referentes, sublimium coronarum honore fulgebunt. De quibus scriptum est: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et iterum: *Exultabunt ut*
Psal 149.5. Malach. 4. 2. *vituli ex vinculis dissoluti.* Et, *sicut scintillæ inter arundines discurrent.*
Sap. 3.7. Hi statuta cælestis throni sede Domini
Matth. 25. 34. invitabuntur adfatibus: *Venite benedicti Patris mei, accipite Regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi.* Illâ impios sententiâ persequente: *Tacui; numquid semper tacebo?* Id est, jam non subditus ut crucifigi à negantibus possim, sed paterna quam cernitis Majestate subnixus, qui ex infirmitate carnis mortuus fueram, vivo ex virtute Dei, solióque æterni judicis præsidens, non alia quàm in Evangeliis prædixeram inimicos meos defi-
Ibid. 41. nitione condemno: *Ite maledicti in ignem æternum, quem*
Matth. 8.12 al. *Zabulo. *præparavit Pater meus diabolo* & Angelis ejus: ubi est fletus & stridor dentium.*

Hæc sunt quæ moneri nostra voce te liceat: hæc mentis & corporis labore fugienda sunt, & illa quæ electis parantur adeunda, quorum magnitudinem formámque
1.Cor.2.9. non quæras: erit enim: *Quod nec oculus vidit, nec auris*

Digitized by Google

audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed si inæstimabiles quarumdam regionum amœnitates, odoréque vix creditos aut audimus, aut cernimus: si quibusdam Gentibus auro turbidi fluunt amnes, & gemma pro lapide est; si passim cinnamum & ammonum nascitur vulgo; si denique mollia redolentibus thura, & pretiosa balzamis ligna rorantur; si nobis etiam sub corruptibili aëre lilia picta sic candent, nec sui imitationem quolibet habitu aut odore permittunt; quid æternarum divitiarum habituræ sint gratiæ? Quid splendor cælestium dignitatum eloqui sermo sensúsque non prævalet? Hoc tantùm indubitanter accipias, nil illic necessarium, nil defuturum, sed omnium omnibus Deus * lætitiarum inæstimabilium novitate generabit quod dignum præsentiæ suæ possessione judicetur. *Cod. Ar.* * Omnia in omnibus Deus.

Nunc, inquam, mea qua potui instructione munitum indesinenter admoneo, nè aratrum culturæ Dei ponens omissa respicias, aut ad propositum contendens bravium, cursum propositi ferventis retardes. Nisi peractus agon sit, palma non sequitur: nec nisi certamine consummato insignis gloriæ præstatur triumphus. Unde in Salomone: *Laus in exitu canitur.* Et in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ergo fide tua felix ac semper informatoris tui ad Deum memento, nec minis sæculi aut malorum imminentium terrore movearis; adjutor in omnibus Deus est, illóque virtutem spiritus ministrante inundatio tempestatum in leves defluet spumas; modò ut prima præstantis constantiæ arma non desint; ac si necessitas denuntiatæ tribulationis advenerit, hostem confessio firma sustineat, dabit credenti in mœrore patientiam, qui se præbiturum & verba promisit, opemque Martyrij benignus impertiet, qui ut honorem nominis sui etiam morte tueremur admonuit dicens: *Qui perdiderit animam suam propter me; in vitam æternam salvam faciet eam:* Et iterum: *Qui reliquerit uxorem, filios, parentes, & omnia quæ habet propter nomen meum in sæculo, centuplum accipiet, in futuro autem* *Matth.10. 22.* *Luc.9.24.* *Matth.19. 29.* Nota.

Digitized by Google

centuplum insuper & vitam æternam. Ad hoc tamen tentari paulisper cognitos sinens, ut eodem perfuncti examinis labore sibi placeant, & illic justitia sic muneretur adflictos *, cùm judicare cœperit persequentes.

Cod. Arn. * expertos.

CAPUT X.

Oratio ad Deum.

APOLL. COnsummatus in interrogationibus ordo est, & vota in responsionibus plena devotioris, fidei ignem decursis Scripturarum testimoniis excitarunt: habes promptum institutionis tuæ fructum, & nisi infirmitas carnis efficiat paratam spiritus voluntatem; ille tantùm efficiendi substantiam præstet, qui magna cupere se donanti promisit. Quid enim quandoque in pulverem redigendo præcipua corpori cura? Quid molles sine exercitio meritorum proderunt somni? Quid quæsitus magno labore sæculi honor, & ciborum blanditiæ peritura post fauces? Nulla est illic exceptio personarum, nec sequentur extinctos onera facultatum, nudi introivimus in hunc mundum, nudi necesse est exeamus: Ac sicut David ait: *Dormient viri divitiarum, & nil invenient in manibus suis.* Et secundùm Salomonem à multis talia sunt dicenda: *Quid nobis profuit superbia; aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Devinctam tu potiùs cultibus tuis mentem creaturarum omnium formator institue, & qui solus renum scrutator & cordis es, perfice quod in votis est, ut cùm elevaveris confringere terram, cùm sicut liber præbebitur cælum; terribilique incendio cuncta solventur, sit primùm fidei integritas supplicanti, nè conscientiam desperatio ulla confundat: tum sub conspectu Majestatis tuæ adsistentium Angelorum innumeram multitudinem post magnos Patriarcharum honores, & cætus splendentium Prophetarum, post sublimes Apostolorum thronos, & beatorum Martyrum exercitus coronatos, felices perinde Confessorum ca-

Psal. 75. 6.

Sap. 5. 8.

Digitized by Google

tervas, atque impollutorum agmina Sacerdotum ſubſequens famulum turba ſuſcipiat, vitæque iſtius ſi quæ ſunt maculæ labor veræ perfectionis emundet: ſi verò indulgere pauperi perennium munerum largitor adnueris, ut probatio Catholicæ confeſſionis & morte proveniat, vel quod lubricæ converſationis actus infirmior * fortaſſe non prævalet, devotio pura ſanctificet: erit ut in æternum munere tuo gaudens verè me in laudibus tuis cantaſſe reminiſcar: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Cod. Arn. * Ut quod colucre converſatio infirmior &c. *Pſal.* 115.13.

* *Explicit Zachæi & Apollonij Altercatio.*

Cod. Arn. * *Nam in duobus alijs MS. deſunt finis, & hæc verba:* Calicem, &c. *quòd in altero ultimũ folium eſſet laceratum, in altero verò obliteratum.*

Digitized by Google

INCIPIT MARTYROLOGIUM, quod BEDA heroïco carmine composuit. Hos quicumque versus legerit lector, nec minus & Martyrologium, quod & videtur sequens adesse, præcipuas anni totius festivitates absque ullo titubationis errore scire valebit.

BISSENA mensûm vertigine volvitur annus;
Septimanis decies quinis simul atque duabus,
Ter centenis bisque trigenis quinque diebus.
Qui ternis gaudet divisis stare columnis;
Scilicet Idibus & Nonis simul atque Kalendis.
Nam quadris constat Nonis concurrere menses
Omnes, excepto Marte & Maïo, sequitur quos
Iulius; Octimber senis soli hi moderantur.
Sexdenas patet hos pariter flagitare Kalendas.
At contrà currunt bis Nonæ ritè quaternis.
Iulius, Aprilis, September & ipse November
Sedenis Februas citò solus ab omnibus errat.
Bissenis sic namque rotatur mensibus annus,
Per Nonas, Idus decurrens atque Kalendas,
Festáque quæ passim Sanctorum inscripta leguntur,
Sub certis quæ sunt anni celebranda diebus.

JANUARIUS.

PRima dies Jani est qua circumciditur AGNUS,
Octavas Idus colitur THEOPHANIA Christi.
Deserti quartas primus capit accola PAULUS.
Sedecimas ANTONIUS obtinet atque Kalendas.

Digitized by Google

Tredecimáſque SEBASTIANUS tenuiſſe refertur.
Biſſenas meritis mundo fulgentibus AGNES.
Martyrio undecimas & ANASTASIUS memorantur.
Octavas meritò gaudet CONVERSIO PAULI

FEBRUARIUS.

PRima dies Februi eſt jam qua patitur POLYCARPUS.
Et quartas Nonas CHRISTUS Templo offerebatur.
Nonarúmque diem feſtum celebramus AGATHÆ,
Atque VALENTINI ſedenis ſorte Kalendis.
Sic JULIANA & biſſeptenis ornat honore.
Et CEPHAS meritò Octavis tenuiſſe Cathedram,
Ac ſenas meriti MATHIAS virtute dicabat.

MARTIUS.

HInc Idus Martis quartas GREGORIUS ornat,
Doctor Apoſtolicus, Sanctorum lumen, & aſtrum.
*PATRICIUS Domini ſervus conſcendit ad aulam. * *Hic deeſt dies.*
CUTHBERTUS denas tenuit ternáſque Kalendas.
Biſſenas Sanctus poſt quem .... BENEDICTUS.
Octavas meritò gaudet CONCEPTIO Chriſti.

APRILIS.

ATque GEORGIUS hinc evectus ad aſtra volavit,
Carnifices nonis Maïo vincente Kalendis.
EGBERTUS digna virtutum laude coruſcus
Aſtriferum Octavis veneranter ſcandit Olympum.
Quoque die Præſul penetravit WLFRIDUS alma,
Angelico vectus cœtu trans culmina cæli:
Septenis major mundo LETANIA claret.
Eccleſiæ quintis DEDICATIO alma colenda,
Sanctis & Chriſto ciet æquum in ſæcula laudem.
Wlfridus ternis ſuperam penetravit in aulam,
Tempore poſterior, non morum flore ſecundus.

MAIUS.

JACOBUS Frater Domini pius atque PHILIPPUS
Mirifico Maïas venerantur honore Kalendas.

Digitized by Google

Sanctus & Antiſtes Nonas volat alma JOHANNES.
Bis binis ſequitur PANCRATIS Idibus inſons.
Ter quinis MARCUS meruit pulſare Kalendis.

JUNIUS.

JUnius in mundo Nonis miratur adeptum
Et ſummi LANTBERTI animam trans ſydera verti,
In quoſvis quadris BARNABAM Idibus æquat.
GERVASIUS denis patitur terniſque Kalendis,
PROTASIUS ſimul in Regnum perenne vocati:
Et JOHANNES bis quadris Baptiſta Kalendis
Natalis pulchrè feſti plaudente corona.
Martyrio & PAULUS lenis ovat atque JOHANNES.
Doctores PETRUS ſimul & PAULUS ternis ſervantur,
Maxima quos palma clarat ſibi lumina mundus.

JULIUS.

MARTINI in quartas Nonas Dedicatio fulget.
Julius in quadris bis gaudet ferre Kalendis
JACOBUM fratrem Johannis more colendum.
SAMSONEM quintas celebramus ab orbe Kalendas.
Sanctificant ABDO & SENNES ternas venerando.

AUGUSTUS.

MACHABEI Auguſti coronantur menſis in ortu:
Sanctúmque & XYSTUM octavis tenet Idibus al-
Bis binis victor ſuperat LAURENTIUS hoſtes. [mum.
Sancta Dei GENITRIX ſenas ter conſtat adire
Angelicos vecta inter cœtus virgo Kalendas.
Inde TIMOTHEUS undecimas tenet ordine digno.
Atque ſimul Martyr ſortitur SYMPHORIANUS,
Octonas Sanctus ſortitur BARTHOLOMÆUS.
Bis binis paſſus colitur Baptiſta JOHANNES.

SEPTEMBER.

IDus Septembris ſenas dedicabat honore
Qua meruit naſci felix jam Virgo MARIA.
Octavas decimas CORNELIUS inde Kalendas
Conſecrat,

Digitized by Google

Conſecrat, & CYPRIANUS ſimul ordine digno.
EUPHEMIA at ſenas decimas tenet intemerata.
Undecimas capit at MATTHÆUS Doctor amœnus.
MAURITIUS decimas Martyr cum millibus unà.
Quintas ſortitur COSMAS ſibi cum DAMIANO.
MICHAELIS ternas Templi dedicatio ſacrat:
Atque bonus pridie micat interpres HIERONYMUS.

OCTOBER.

SExtas Octobris Nonis BOSA optat habere
Solemnes terris, ſummo qui gaudet Olympo.
Et gemini quinis EWALDI ſorte coluntur.
PAULINUS ſenas tenet Idus jure magiſter,
Doctor ter quinis LUCAS ſuccurre Kalendis.
SIMONIS quinis & JUDÆ vota feramus.

NOVEMBER.

MUltiplice rutilet gemma ceu in fronte Novẽber,
Cunctorum fulget SANCTORUM laude decoris.
MARTINUS ternis ſcandit ſuper Idibus aſtra.
Quindenis vitam finivit THECLA Kalendis,
CECILIA meriti decimis cum laude migravit.
CLEMENTIS læti veneramur feſta novenis.
Octavi CHRYSOGONUS ovat vitalibus arvis:
ANDREAS pridies juſtè veneratur ab orbe.

DECEMBER.

TErdecimas Daciani IGNATIUS æquè Kalendas,
Biſſenis cælum cœpit conſcendere THOMAS.
Octavis natus DOMINUS de Virgine caſta.
Martyrio STEPHANUS ſeptenis alma petivit.
Bis ternis Evangelicus Scriptor penetravit
Angelico vectus tutamine Virgo JOHANNES.
Martyrio tenera proſtrantur MILLIA quinis,
SILVESTRUM pridias celebramus ab orbe Kalendas.

Digitized by Google

INCIPIT ORDO SOLARIS anni cum litteris, à S. Hieronymo superpositis, ad explorandam septimanæ diem, & Lunæ ætatem investigandam in uno quoque die per XIX. annos.

JANURIUS.

*Octava.	A.	A.	KAl. Jan. Octabas* Domini.
	B.	B. iv.	Non. Dedicatio Ecclesiæ Beatæ MARIÆ in Atrabatis.
	C.	C. iij.	Non. Parisius Natalis sanctæ Genovefæ.
	D.	D. ij.	Non.
*Missa.	E.	E.	Non. Jejunium & Missas* horâ nonâ, & Natalis Sancti Simeonis qui in columna stetit.
	F.	F. viij.	Id. Colitur Theophania Christi.
	G.	G. vij.	Id. In Nicomedia S. Luciani Presbyteri.
	A.	H. vj.	Id. Belvagus civitate natalis sancti Luciani Episcopi & Martyris.
	B.	I. v.	Id.
	C.	K. iv.	Id. Natalis Pauli primi Heremitæ.
	D.	L. iij.	Id. Passio sancti Juliani Martyris.
	E.	M. ij.	Id.
*Octava.	F.	N.	Idus Octabas* Epiphaniæ, & depositio sancti Clarij Episcopi, Remis depositio S. Remigij Episcopi.
	G.	O. xix.	Kal. Feb. Natalis S. Felicis Martyris.
	A.	P. xviij.	K.
	B.	Q. xvij.	K. Natalis sancti Marcelli Papæ, & sancti Furcæi Episcopi.
	C.	R. xvj.	K. Depositio Antonij Monachi.
	D.	S. xv.	K. Natalis Sanctæ Priscæ.
	E.	T. xiv.	K. Natal. Mariæ & Marthæ.
	F.	V. xiij.	K. Natal. Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani.

Digitized by Google

G. A. xij. K. Natal. Sanctæ Agnetis Virginis.
A. B. xj. K. Natal. Sancti Vincentij Martyris.
B. C. x. K.
C. D. ix. K. Conversio sancti Pauli.
D. E. viij. K. Natal. Sancti Præjecti Martyris.
E. F. vij. K. Natal. Sancti Marcelli Confess.
F. G. vj. K.
G. K. v. K. Octabas sanctæ Agnetis.
A. I. iv. K. Natal. Sanctæ Sabinæ Virginis.
B. K. iij. K. Depositio sanctæ Aldegundis Virginis.
C. L. ij. K. Nox horas xvj. dies horas viij.

FEBRUARIUS.

D. M. KAl. Febr. Depositio sanctæ Brigidæ Virg. & S. Ursi Episcopi & Conf.
E. N. iv. Non. Purificatio Sanctæ MARIÆ Virg.* Christi. *Genitricis
F. O. iij. Non.
G. P. ij. Non.
A. Q. Non. Natalis sanctæ Agathæ Virginis.
B. R. viij. Id. Depositio sancti Vedasti Episcopi & Confess. & Depositio S. Amandi Epis.
C. S. vij. Id.
D. T. vj. Id.
E. V. v. Id.
F. A. iv. Id. Natalis Sanctorum Zotici, Erenei, & Jacincti.
G. B. iij. Id.
A. C. ij. Id. Natal. Sancti Basilij Monachi.
B. D. Id.
C. E. xvj. K. Martij. Natalis sancti Valentini Martyris, Vitalis & Feliculæ.
D. F. xv. K.
E. G. xiv. K. Natalis sanctæ Julianæ Martyris.
F. H. xiij. K.
G. I. xij. K.
A. K. xj. K.
B. L. x. K.

Digitized by Google

C. M. ix. K.
D. N. viij. K. Cathedræ ſancti Petri.
E. O. vij. K.
F. P. vj. K. Natalis ſancti Matthæi Apoſtoli : & locus biſſextilis.
G. Q. v. K.
A. R. iv. K.
B. S. iij. K.
C. T. ij. K. Nox horas xiv. dies x.

MARTIUS.

D. A. KAl. Martij. Denunciatio jejunij, & depoſitio ſancti Albini Epiſcopi.
E. B. vj. Nonas.
F. C. v. Non.
G. D. iv. Non.
A. E. iij. Non.
B. F. ij. Non.
C. G. Non. Natalis ſanctæ Perpetuæ & Felicitatis Martyrum.
D. H. viij. Id. Prima Incenſio lunæ Paſchalis.
E. I. vij. Id.
F. K. vj. Id.
G. L. v. Id.
A. M. iv. Id.
B. N. iij. Id.
C. O. ij. Id.
D. P. Id. Natalis ſancti Jacobi Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ.
E. Q. xvij. K. Aprilis.
F. R. xvj. K. Depoſitio ſancti Patricij Epiſcopi.
G. S. xv. K. Dies primus ſæculi.
A. T. xiv. K.
B. V. xiij. K.
C. A. xij. K. Natalis S. Benedicti. Æquinoctium.
D. B. xj. K. Locus Epactarum.
E. C. x. K.
F. D. ix. K. Concurrentium locus.

Digitized by Google

G. E. viij. K. Conceptio Christi, & Passio Domini.
A. F. vij. K.
B. G. vj. K. Resurrectio Domini.
C. H. v. K.
D. I. iv. K.
E. K. iij. K.
F. L. ij. K. Nox horas xij. dies xij.

APRILIS.

G. M. KAl. April. Natalis S. Walarici Conf.
A. N. iv. Nonas.
B. O. iij. Non.
C. P. ij. Non. Depositio S. Ambrosij Episcopi.
D. Q. Non.
E. R. viij. Id.
F. S. vij. Id.
G. T. vj. Id.
A. V. v. Id.
B. A. iv. Id.
C. B. iij. Id. Natalis sancti Leonis Papæ.
D. C. ij. Id.
E. D. Id. Natalis sanctæ Euphemiæ Virginis.
F. E. xviij. Kal. Maij. Natalis sanctorum Tiburtij & Valeriani & Maximi.
G. F. xvij. K.
A. G. xvj. K.
B. H. xv. K.
C. I. xiv. K.
D. K. xiij. K.
E. L. xij. K.
F. M. xj. K. Passio sancti Cæsarij Diaconi.
G. N. x. K.
A. O. ix. K. Nat. Sancti Georgij Martyris.
B. P. viij. K.
C. Q. vij. K. Natalis sancti Marci Evangelistæ.
D. R. vj. K. Natalis sancti Gregorij Papæ, & depositio sancti Richarij.
E. S. v. K. Advent. Callisti Papæ, & S. Valeriani.

Digitized by Google

F. T. iv. K. Natalis ſancti Vitalis.
G. A. iij. K.
A. B. ij. K. Nox horas x. dies xiv.

MAIUS.

B. C. KAl. Maij. Nat. S. Philippi & Jacobi.
C. D. vj. Non.
D. E. v. Non. Nat. Sanctorum Juvenalij, Alexandri, Eventi *, & Theodoli, & Inventio S. Crucis.

*Juvenalis, Eventij.

E. F. iv. Non.
F. G. iij. Non.
G. H. ij. Non.
A. I. Non.
B. K. viij. Idus. Inventio ſancti Michaelis Archangeli in Monte Gargano.
C. L. vij. Id.
D. M. vj. Id. Natalis S. Gurdiani, Cyrilli & Petri.
E. N. v. Id.
F. O. iv. Id. Natalis Sanctorum Nerei & Achilei, & S. Pancrati Martyrum.
G. P. iij. Id. Dedicatio Baſilicæ ſanctæ MARIÆ, & Natalis ſancti Martini Preſbyteri.
A. Q. ij. Id.
B. R Id.
C. S. xvij. Kal. Julij.
D. T. xvj. K.
E. V. xv. K.
F. A. xiv. K. Natalis ſanctæ Potentianæ * Martyris.

al. * Pudentianæ.

G. B. xiij. K.
A. C. xij. K.
B. D. xj. K.
C. E. x. K.
D. F. ix. K.
E. G. viij. K. Natalis ſancti Urbani Epiſcopi.
F. H. vij. K.
G. I. vj. K.
A. K. v. K. Pariſius Depoſitio S. Germani Epiſ. & Confeſſoris.

Digitized by Google

B. L. iv. K.
C. M. iij. K. Cœnobio Centulæ SS. Conf. Cardoci, Adriani, Madelgiſti.
D. N. ij. K. Natalis ſanctæ Petronillæ Virginis. Nox horas viij. dies xvj.

JUNIUS.

E. O. KAl. Jun. Denunciatio Jejunij, & Dedicatio S. Nicomedis Martyris.
F. P. iv. Non. Nat. ſanctorũ Mercellini & Petri.
G. Q. iij. Non.
A. R. ij. Non.
B. S. Non. Natal. ſanctæ Feliculæ Virginis.
C. T. viij. Id.
D. V. vij. Id.
E. A. vj. Id. Natalis ſancti Medardi Epiſcopi.
F. B. v. Id. Natal. ſanctorum Primi & Feliciani.
G. C. iv. Id.
A. D. iij. Id. Depoſitio Barnabæ Apoſtoli.
B. E. ij. Id. Natalis Sanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarij.
C. F. Id.
D. G. xviij. Kal. Iul. Tranſlatio ſancti Aniani Epiſcopi, Rufini & Valerij.
E. H. xvij. K.
F. I. xvj. K.
G. K. xv. K. Nat. SS. Aviti & Marcelliani Mart.
A. L. xiv. K. Nat. SS. Marci & Marcelliani.
B. M. xiij. K. Nat. Sanctorum Gervaſi & Protaſij.
C. N. xij. K.
D. O. ij. K. Natalis ſancti Euſebij Epiſcopi.
E. P. x. K.
F. Q. ix. K. Vigilia ſancti Johannis Baptiſtæ.
G. R. viij. K. Natalis ſancti Johannis.
A. S. vij. K.
B. T. vj. K. Natalis Sanctorum Johannis & Pauli.
C. A. v. K.
D. B. iv. K. Vigilia Sanctorum Petri & Pauli.

Digitized by Google

E. C. iij. K. Natalis ſancti Petri.
F. D. ij. K. Natalis ſancti Pauli.
Nox horas vj. dies xviij.

JULIUS.

G. E. KAl. Julij. Natalis Sanctorum Proceſſi
A. F. vj. & Martiniani.
B. G. v. Non. Apud Edeſſam S. Thomæ Apoſtoli.
C. H. iv. Non. Tranſlatio ſancti Martini.
D. I. iij. Non.
*Octava. E. K. ij. Non. Octabas * Petri & Pauli.
F. L. Non.
G. M. viij. Id.
A. N. vij. Id.
B. O. vj. Id. Natalis Sanctorum vij. Fratrum.
C. P. v. Id. Natalis S. Benedicti Abbatis.
D. Q. iv. Id.
E. R. iij. Id.
F. S. ij. Id.
G. T. Id. Exceptio reliquiarum ſancti Dionyſij cum ſociis ſuis.
A. V. xvij. Kal. Auguſti, Adventus Beati Caſſiani Epiſcopi.
B. A. xvj. K.
C. B. xv. K.
D. C. iv. K.
E. D. xiij. K. Natalis ſancti Wulmari Confeſſoris.
F. E. xij. K. Natalis ſanctæ Praxedis.
G. F. xj. K.
A. G. x. K. Natalis ſancti Apollonaris.
B. H. ix. K.
C. I. viij. K. Jacobi Zebedei Apoſtoli fratris Johannis & ſancti Chriſtophori, & ſancti Firmini Epiſcopi.
D. K. vij. K.
E. L. vj. K.
F. M. v. K.
G. N. iv. K. Natalis Sanctorum Simplicij, Fauſtini, &

Digitized by Google

& Viatricis.

A. O. iij. K. Nat. Sanctorum Abdonis & Senes.
B. P. ij. K. Nat. S. Germani Episcopi & Confess.
Nox horas viij. dies xvj.

AUGUSTUS.

C. Q. KAl. Augusti, Passio SS. Machabæorum vij. fratrum cum matre sua.
D. R. iv. Nonas Natalis sancti Stephani.
E. S. iij. Non. Hierosolymis Inventio beati Protomartyris Stephani, Gamalielis, Nicodemi atque Abidæ.
F. T. ij. Non.
G. V. Non. Depositio S. Cassiani Epis. & Conf.
A. A. viij. Id. Natalis sancti Xisti & sancti Felicissimi & Agapiti.
B. B. vij. Id. Natalis sancti Donati.
C. C. vj. Id. Natalis sancti Cyriaci.
D. D. v. Id. Vigilia sancti Laurentij.
E. E. iv. Id. Natalis sancti Laurentij.
F. F. iij. Id. Nat. sancti Tyburtij, & S. Gaugerici.
G. G. ij. Id.
A. H. Idus. Natalis sancti Hippolyti.
B. I. xix. Kal. Natalis S. Eusebij Episcopi.
C. K. xviij. K. Assumptio sanctæ MARIÆ Matris Domini.
D. L. xvij. K.
E. M. xvj. K. Octabas sancti Laurentij.
F. N. xv. K. Natalis sancti Agapiti, & sancti Martini Papæ.
G. O. xiv. K.
A. P. xiij. K Natalis sancti Fileberti.
B. Q. xij. K.
C. R. xj. K. Nat. Sancti Timothei, & sancti Symphoriani.
D. S. x. K.
E. T. ix. K. Natalis sancti Bartholomæi Apostoli, & depositio Audoeni Episcopi.

Digitized by Google

F. A. viij. K. Natalis ſanctæ Hunegundis.
G. B. vij. K.
A. C. vj. K. Natalis ſancti Rufi.
B. D. v. K. Natalis ſancti Hermetis.
C. E. iv. K. Natalis ſanctæ Sabinæ, & ſancti Johannis Baptiſtæ.
D. F. iij. K. Nat. ſanctorum Feliciſſimi & Audacti.
E. G. ij. K. Natalis ſancti Paulini Epiſcopi.
K. Nox horas x. & dies xiv.

SEPTEMBER.

F. H. KAl. Sept. Natalis ſancti Priſci, & Tranſlatio ſancti Nazari.
G. I. iv. Non.
A. K. iij. Non.
B. L. ij. Non.
C. M. Non.
D. N. viij. Idus.
E. O. vij. Id.
F. P. vj. Id. Natalis ſancti Adriani, & Nativitas ſanctæ MARIÆ.
G. Q. v. Id. Natalis ſancti Gorgoni, & depoſitio ſancti Audomari Epiſcopi.
A. R. iv. Id.
B. S. iij. Id. Natalis Sanctorum Proti & Hyacinti.
C. T. ij. Id.
D. V. Id.
E. A. xviij. Kal. Octobris Exaltatio S. Crucis, & Natalis ſanctorum Cornelij & Cypriani.
F. B. xvij. K. Natalis ſancti Nicomedis.
G. C. xvj. K. Natalis ſanctæ Euphemiæ, & S. Lucij & Geminiani.
A. D. xv. K. Natalis ſancti Lantberti Epiſcopi.
B. E. xiv. K.
C. F. xiij. K.
D. G. xij. K. Vigilia ſancti Matthei. Equinoctium.
E. H. xj. K. Natalis ſancti Matthei.
F. I. x. K. Natalis S. Mauricij cum ſociis ſuis.

Digitized by Google

G. K. ix. K. Natalis ſancti Lini Papæ & Natalis ſancti Marci Evangeliſtæ.
A. L. viij. K.
B. M. vij. K. Natalis ſancti Firmini Epiſcopi.
C. N. vj. K. Depoſitio ſancti Euſebij Epiſcopi.
D. O. v. K. Natalis SS. Coſmæ & Damiani.
E. P. iv. K.
F. Q. iij. K. Dedicatio Baſilicæ ſancti Michaelis Archangeli.
G. R. ij. Nox horas xij. dies xij.

OCTOBER.

A. S. KAl. Octobris Natalis ſancti Remigij Epiſcopi, & Tranſlatio S. Vedaſti Epiſcopi, & Natalis S. Piatoris, & S. Germani Epiſcopi.
B. T. vj. Non.
C. V. v. Non. Paſſio ſancti Leodegarij Martyris.
D. A. iv. Non.
E. B. iij. Non. Natalis ſanctæ Chriſtæ.
F. C. ij. Non.
G. D. Non. Natal. ſancti Marci, & Marcelli.
A. E. viij. Idus.
B. F. vij. Id. Paſſio ſancti Dionyſij Epiſc. Ruſtici Preſbyteri & Eleutherij, Diaconi; & Tranſlatio ſancti Richarij.
C. G. vj. Id.
D. H. v. Id.
E. I. iv. Id.
F. K. iij. Id.
G. L. ij. Id Natalis ſancti Caleſti Epiſcopi.
A. M. Id.
B. N. xvij. Kal. Novemb. Natalis ſancti Lucij.
C. O. xvj. K.
D. P. xv. K. Natalis Sancti Lucæ Evangeliſtæ.
E. Q. xiv. K.
F. R. xiij. K.
G. S. xij. K.

Digitized by Google

A. T. xj. K.
B. A. x. K.
C. B. ix. K.
D. C. viij. K. Nat. ſancti Criſpini & Criſpiniani.
E. D. vij. K. Tranſlatio ſancti Amandi.
* Vigilia. F. E. vj. K. Natalis * Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ.
G. F. v. K. Natalis Apoſtolorum Simonis Cananæi, & Simonis Zelotis *.
* & Zelotis & Judæ. A. G. iv. K.
B. H. iij. K. Depoſitio ſancti Leonis Papæ.
C. I. ij. K. Natalis ſancti Quintini Martyris. Nox horas xiv. dies x.

NOVEMBER.

D. K. KAl. Novem. Natalis ſancti Cæſaris, & ſancti Audomari Epiſcopi, ſive Omnium Sanctorum.
E. L. iv. Non.
F. M. iij. Non. Tranſlatio S. Hucberti Epiſcopi.
G. N. ij. Non.
A. O. Non.
B. P. viij. Idus.
C. Q. vij. Id.
D. R. vj. Id. Natalis SS. Quatuor Coronatorum.
E. S. v. Id. Natalis ſancti Theodori.
F. T. iv. Id.
G. V. iij. Id. Natalis S. Menæ, & depoſitio ſancti Martini Epiſcopi.
A. A. ij. Id.
B. B. Id. Depoſitio ſancti Bricij Epiſcopi.
C C. xviij. Kal. Decembris.
D. D. xvij. K.
E. E. xvj. K.
F. F. xv. K. Depoſitio ſancti Aniani Epiſcopi.
G. G. xiv. K. Natalis Sanctæ Euzebiæ Virginis.
A. H. xiij. K.
B. I. xij. K.

Digitized by Google

C. K. xj. K.
D. L. x. K. Natalis Sanctæ Ceciliæ Virginis.
E. M. ix. K. Natalis ſancti Clementis, & Felicitatis, & ſancti Columbani.
F. N. viij. K. Natalis ſancti Chryſogoni Martyris.
G. O. vij. K.
A. P. vj. K.
B. Q. v. K.
C. R. iv. K.
D. S. iij. K. Vigilia S. Andreæ, & Natalis ſancti Saturnini, & S. Chryſanti.
E. T. ij. K. Natalis ſancti Andreæ.
K. Nox horas xvj. dies viij.

DECEMBER.

F. V. KAl. Decemb. Denunciatio Jejunij, & Natalis ſancti Eligij Epiſcopi.
G. A. iv. Nonas. DCCCXXVI.
A. B. iij. Non. DCCCXXVII.
B. C. ij. Non. DCCCXXVIII.
C. D. Non. Natalis ſanctæ Criſpinæ Martyris. DCCCXXIX.
D. E. viij. Idus. DCCCXXX.
E. F. vij. Id. Octabas S. Andreæ. DCCCXXXI.
F. G. vj. Id. Natalis Sancti Sabini. DCCCXXXII.
G. H. v. Id. DCCCXXXIII.
A. I. iv. Id. Nat. S. Eulaliæ Virg. DCCCXXXIV.
B. K. iij. Id. Nat. Sancti Damaſi. DCCCXXXV.
C. L. ij. Id. Natal. Sancti Walarici. DCCCXXXVI.
D. M. Id. Natal. S. Luciæ Virg. DCCCXXXVII.
E. N. xiv. Kal. Natal. S. Viatoris. DCCCXXXVIII.
F. O. xviij. K. Nat. S. Maximi Epiſc. DCCCXXXIX.
G. P. xvij. K. Nat. ſancti Valentini. DCCCXL.
A. Q. xvj. K. DCCCXLI.
B. R. xv. K. DCCCXLII.
C. S. xiv. K. Nat. S. Gregorij Mart. DCCCXLIII.
E. T. xiij. K. Nat. S. Anaſtaſij Mart. DCCCXLIV.

Digitized by Google

E.	A. xij.	K. In India Tranſlatio ſancti Thomæ Apoſtoli.	DCCCXLV.
F.	B. xj.	K.	DCCCXLVI.
G.	C. x.	K. Nat. S. Eugeniæ Virg.	DCCCXLVII.
A.	D. ix.	K. Nat. S. Luciani.	DCCCXLVIII.
B.	E. viij.	K. Nativitas Domini Noſtri JESU CHRISTI.	DCCCXLIX.
C.	F. vij.	K. Nat. S. Stephani Diac.	DCCCL.
D.	G. vj.	K. Nat. S. Johannis Evang.	DCCCLI.
E.	H. v.	K. Innocentium.	DCCCLII.
F.	I. iv.	K.	DCCCCLIII.
G.	K. iij.	K.	DCCCLIV.
A.	L. ij.	K. Natalis ſancti Sylveſtri.	
		K. Nox horas xviij. dies vj.	

Digitized by Google

MISCELLANEA EPISTOLARVM, VARIARUMQUE CHARTARUM.

Epistola DUNGALI *Recluſi ad* CAROLUM *Magnum de duplici Solis Eclipſi anni* DCCCX.

IN nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Domino glorioſiſſimo KAROLO Sereniſſimo Auguſto, omnium antecedentium Romanorum Principum cunctis nobilibus honeſtiſque regalium virtutum donis & exercitiis ſtudioſiſſimo, vita longæva, fida ſalus, continua benivolentia, pax, corona in marceſcibilis, gloria ſine fine. Audivi ergo, Domine dilectiſſime, ego DUNGALUS veſter fidelis famulus & Orator, non immemor quòd vos WALDONI Abbati direxiſtis epiſtolam, ut per illam me ipſe ex veſtris verbis interrogaret de ratione defectus Solis, quem anno præterito ab Incarnatione Domini DCCCX. bis eveniſſe plurium relatu vobis fuiſſe compertum dixiſtis, & quem ſicut vos legiſſe memoraſtis non ſolùm antiqui gentilium Philoſophi, ſed & quidam Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quaſi naturalem concurſionis elementorum effectum uſitatæ & certæ explorationis peritiâ cognitum priùs dixere, quàm fieret. AN. CHR. 810.

Inde veſtræ beatiſſimæ & clariſſimæ Serenitati viſum eſt mandare, ut de dicta cauſa ego quaſi ſectator & amator Sapientiæ interrogarer quid ſentirem, & quid ſcirē, &

Digitized by Google

quid sentirem proferendo & respondendo faterer, exceptum scriberetur, scriptúmque vobis deferretur. Non differam igitur neque dissimulabo vestro secundùm vires sanctissimo & utilissimo parêre præcepto: & utinam tam efficax quàm voluntarius existerem, ut non solùm velle, sed & compote voto adsequi cupita valerem, licet apud summum Rectorem pronus & alacris affectus pro re effecta & adimpleta reputatur.

Quia ergo, Domine mi, hujus rationis investigatio & peritia ad Philosophos, hoc est Physicos propriè & specialiter pertinet sicut vestri continent apices, quorum libri compositiores & diligentiores quamvis mihi non suppetant, quibus de his rebus & de talibus exercitatiori sermone & enucleatiori expressione tractaverunt; & per quos vobis pleniùs & eruditiùs de inquisitis respondere me posse crediderim. Secundùm simplices tamen & leves compendiosósque libellos, qui inter manus sunt, in quantum de ipsis torpor obtunsi cordis & tardus sensus vix lento conamine pigróque nisu reptans & movens, prælibare quiverit, ne vulgari proverbio lupus in fabula, pavido stupidóque silentio reprimi videar, utcumque respondebo; sciens indubitatissimè vestram sereniss imæ & piissimæ longanimitatis indulgibilem clementiam, siquid minùs aut aliter dixero, facilem mihi veniam donaturam, & paterna correctione me veluti præter industriam studiúmve per fragilitatem infirmitatemque delinquentem modestè castigaturam.

Hujus autem quæstionis origo repetenda est, ut ab initio sicut in ceteris solet disputationibus per ordinem ratio explicanda procedens, congrua reddatur de interrogatis responsio. Macrobius igitur Ambrosius in expositione Ciceronis inter cetera commemorat de novem circulis, qui aplanen illam ambiunt, hoc est maximam sphæram in qua duodecim signa videntur infixa, & cui subjectæ septem aliæ sphæræ per quas duo lumina sol & luna & vaga quinque discurrunt. Orbium autem, hoc est circulorum prædictorum, primus est galactias, quod latinè lacteus interpretatur, qui solus subjacet oculis ceteris

Digitized by Google

teris circulis magis cogitatione quàm viſu comprehendendis. Secundus Zodiacus circulus, hoc eſt ſignifer, ſigna, id eſt ſtellas & ſidera ferendo & continendo dictus. Quinque alij circuli parelleli vocantur, dicti hoc nomine, quòd neque in omnibus æquales ſunt, neque inæquales; de quibus Virgilius memorat in Georgicis.

Præter hos alij duo ſunt Coluri quibus nomen dedit imperfecta converſio: duo, qui numero prædicto ſuperadduntur, Meridianus & Horizon non ſcribuntur in ſphæra, quia certum locum habere non poſſunt, ſed pro diverſitate circumſpicientis habitantíſve variantur: quæ omnia tranſitivè nominata & numerata in hoc loco non eſt opus exponere. Duo ergo prædicta lumina, hoc eſt ſol & luna, & quinque ſtellæ, quæ appellantur vagæ, ſeptem memoratas ſphæras maximæ ſphæræ duodecim ſigna continenti, quæ aplanes vocatur, ſubjectas diſpertiverunt, & occupatis regionibus quaſi proprias & ſpeciales hereditates ſingulæ ſingulas obtinuerunt.

In prima autem ſphæra de ſeptem illa eſt ſtella quæ dicitur Saturni, in ſecunda Jovis, in tertia Martis, in quarta hoc eſt media ſol, in quinta ſtella Veneris, in ſexta Mercurij, ſeptimam quæ eſt omnium extima & infima luna tenet. Ita Cicero deſcribit, cui Archimedes & Chaldæorum ratio conſentit. Plato verò à luna ſurſum ſecundum, hoc eſt inter ſeptem à ſummo locum ſextum ſolem tenere confirmat, ſequutus Ægyptios omnium Philoſophiæ diſciplinarum parentes, qui ita ſolem inter lunam & Mercurium locatum volunt. Quamvis autem iſta perſuaſio Tullij & auctorum ejus quibuſdam edictis & credibilibus rationibus fulta convaluit, & ab omnibus penè in uſum recepta eſt, perſpicacior tamē Platonis obſervatio veriorem ordinem deprehendiſſe videtur, quam præter indaginem viſus hæc quoque ratio commendat, quòd lunam quæ luce propria caret, & de ſole mutuatur, neceſſe eſt fonti luminis ſui eſſe ſubjectam; hæc enim ratio lunam facit non habere lumen proprium, ceteras omnes ſtellas lucere ſuo quòd illæ ſupra ſolem locatæ in ipſo puriſſimo æthere ſunt, in quo

Digitized by Google

omne quidquid est, ut verbis Philosophi loquar, lux naturalis & sua est, quæ tota cum igne suo ita sphæræ solis incumbit, ut cæli zonæ quæ procul à sole sunt perpetuo frigore oppressæ sint; luna verò quia ipsa sola sub sole est, & caducorum jam regioni luce sua carenti proxima lucere non potuit. Denique quia totius mundi ima pars terra est, ætheris autem ima pars luna est, lunam autem terram sed ætheream vocaverunt, immobilis autem ut terra esse non potuit, quia in sphæra quæ volvitur nihil manet immobile præter centrum; mundanæ autem sphæræ terra centrum est, ideò sola immobilis perseverat: rursus terra accepto solis lumine claresci tantummodò, non lucet, luna speculi instar lumen quo inlustratur emittit, quæ quamvis densius corpus sit quàm cetera cæleſtia, ut multum tamen terreno purius sit acceptæ luci penetrabile, adeò ut eam de se rursus emittat, nullum tamen ad nos præferentem sensum caloris, quia lucis radius cùm ad nos de origine sua, id est de sole pervenit, naturam secum ignis de quo nascitur deuehit; cùm verò in lunæ corpus infunditur, & inde resplendet, solam refundit claritudinem non calorem: nam & speculum cum splendorem de se vi oposiți eminus ignis inmittit, solam ignis similitudinem carentem sensu caloris ostendit.

His illud adjiciendum est, præter solem & lunam, & stellas quinque quæ appellantur vagæ, reliquas omnes alias infixas cælo, nec nisi cum cælo moveri. Alij quorum adsertio vero propior est, has quoque dixerunt suo motu præter quod cùm cæli conversione feruntur accedere, sed propter inmensitate extimi globi excedentia credibilem numerum sæcula multa una cursus sui ambitione consumere, & ideo nullum earum motum ab homine sentiri, cùm non sufficiat humanæ vitæ spatium ad breve saltem punctum tam tardę accessionis deprehendendum; Solem autem ac lunam & stellas quinque, quibus ab errore nomen, præter quod secum trahit ab ortu in occasum cæli diurna conversio, ipsa suo motu in Orientem ab Occidente procedere, argumentis ad verum ducen-

Digitized by Google

tibus comprobatur: moveri enim cælóque non eſſe infixas & viſus & ratio adfirmat, dum modò in hac, modò in illa cæli regione viſuntur, & ſæpe cùm in unum duæ pluréſve convenerint, & à loco in quo ſimul viſæ ſunt, & à ſe poſtea ſeparantur, quod infixæ ſtellæ non faciunt, ſed in iiſdem locis ſemper videntur, nec à ſui umquam ſe copulatione diſpergunt, ab ortu verò ad occaſum in contrarium motu propiore volvi non ſolùm manifeſtiſſima ratione, ſed oculis quoque adprobantibus demonſtratur.

Conſiderato enim ſignorum ordine, quibus Zodiacum diviſum vel diſtinctum videmus, ab uno ſigno quolibet ordinis ejus ſumam exordium: cùm Aries exoritur, poſt ipſum Taurus emergit, hunc Gemini ſequuntur, hos Cancer, & per ordinem reliqua. Si iſtæ ergo in Occidentem ab Oriente procederent, non ab Ariete in Taurum, qui retro locatus eſt, nec à Tauro in Geminos ſignum poſterius volverentur: ſed à Geminis in Taurum, & à Tauro in Arietem rectæ & mundanæ volubilitatis conſona acceſſione procederent. Cùm verò à primo ſigno in ſecundum, à ſecundo ad tertium, & inde ad reliqua quæ poſteriora ſunt revolvuntur, ſigna autem infixa cælo feruntur, ſine dubio conſtat has ſtellas non cum cælo ſed contra cælum moveri. Hoc ut plenè luceat adſtruam de lunæ curſu, quæ & claritate ſua & velocitate notabilior eſt, ſecundo ferè die circa occaſum videtur, & quaſi vicina ſoli, quem nuper reliquit, poſtquam ille demerſus eſt, ipſa cæli marginem tenet antecedenti ſuper occidens, tertio die tardiùs occidit quàm ſecundo, & ita cotidie longiùs ab occaſu recedit, ut ſeptimo die circa ſolis occaſum in medio cælo ipſa videatur: poſt alios verò ſeptem cùm ille mergit hæc oritur, adeò media parte menſis dimidium cælum, ideſt unum hemiſphærium ab occaſu in Orientem recedendo metitur: rurſus poſt ſeptem alios circa ſolis occaſum latentis hemiſphærij verticem tenet, cujus rei indicium eſt, quòd medio noctis exoritur: poſtremò totidem diebus exactis, additis inſuper plus minúſve alijs duobus, ſolem denuò

Digitized by Google

comprehendit,& vicinus videtur ortus amborum, quamdiu soli succedens rursus moveatur, & rursus recedens paulatim semper in Orientem regrediendo relinquat occasum. Sol quoque ipse non aliter quàm ab occasu in Orientem movetur, & rursus recedens paulatim semper in Orientem regrediendo relinquit occasum; sol quoque ipse naturaliter quam* ab occasu in Orientem movetur. Et licet tardiùs recessum suum quàm luna conficiat, quippe quòd tanto tempore signum unum emetiatur, quanto totum Zodiacum luna discurrit,manifesta tamen & subjecta oculis motus sui præstat indicia: hunc enim in Ariete esse ponam, quod quia æquinoctiale signum est, pares horas somni & diei facit. In hoc signo cùm occidit; libram, ideſt, Scorpij chelas mox oriri videmus,& apparet Taurus vicinus occasui:nam Vergilias & Hyadas partes Tauri clariores non multo post solem mergentes videmus. Sequenti mense sol in signum posterius id est in Taurum recedit, & ita fit ut neque Vergiliæ neque alia pars Tauri illo mense videatur: Signum enim quod & cum sole oritur, & cùm sole occidit, semper occulitur adeò ut & vicina astra solis propinquitate celentur: nam & canis tunc quia vicinus Tauro est non videtur, tectus lucis propinquitate. Et hoc est quod Virgilius ait:

Candidus auralis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & adverso cedens Canis occidit astro.

Non enim vult intelligi Tauro Oriente cum sole mox in occasu fieri Canem, qui proximus Tauro est, sed occidere eum dixit Tauro gestante solem, quia tunc incipit non videri sole vicino. Tunc tamen Occidente sole libra adeò superior invenitur, ut totus Scorpius ortus appareat; Gemini verò vicini tunc videntur occasui: rursus post Tauri mensem Gemini non videntur, quod in eos solem migrasse significat. Post Geminos redit in Cancrum & tam cùm occidit mox libra in medio cælo videtur: adeò constat solem tribus signis peractis, id est, Arieta & Tauro & Geminis ad medietatem Hemisphærij recessisse.

* *f.* quasi.

Digitized by Google

Denique poſt tres menſes ſequentes tribus ſignis quæ ſequuntur incenſis, Cancrum dico, Leonem & Virginem invenitur in libra; quæ rurſus æquat noctem diei, & dum in ipſo ſigno occidit, mox oritur Aries, in quo ſol ante ſex menſes occidere ſolebat. Ideò autem occaſum ejus quam ortum elegimus præponendum, quia ſigna poſteriora poſt occaſum videntur, & dum ad hæc quo ſole mergente videri ſolent, ſolem redire monſtramus, ſine dubio eum contrario motu recedere quàm cælum movetur oſtendimus. Hæc autem quæ de ſole ac luna diximus, etiam quinque ſtellarum receſſum adſignare ſufficient: pari enim ratione in poſteriora ſigna migrando ſemper mundanæ volubilitati contraria receſſione verſantur, quarum curſus recurſúſque ipſo ſole moderari perhibetur; nam certa ſpatij definitio eſt, ad quam cùm unaquæque erratica ſtella recedens ad ſolem pervenerit, tamquam ultra prohibeatur accedere, agi retro videtur: & rurſus cùm certam partem recedendo contigerit, ad directi curſus conſueta revocatur, ita ſolis vis & poteſtas motus reliquorum luminum conſtituta demenſione moderatur.

Circus ergo ſive circulus intelligitur uniuſcujuſque ſtellæ, una integra & peracta converſio, id eſt, ab eodem loco poſt emenſum ſphæræ per quam movetur ambitum in eumdem locum regreſſus. Eſt autem hîc linea ambiens ſphæram ac veluti ſemitam faciens, per quam ſol & luna diſcurrit, & intra quam vagantium ſtellarum error legitimus coercetur, quas ideò veteres errare dixerunt, quia & curſu ſuo feruntur & contra ſphæræ maximæ, id eſt, ipſius cæli impetum contrario motu ad Orientem ab Occidente volvuntur, & omnium quidem par celeritas, motus ſimilis, idem eſt modus meandi, ſed non omnes eodem temporis ſpatio circos ſuos orbéſque conficiunt. Cauſam verò ſub eadem celeritate diverſi ſpatij inæqualitas ſphærarum efficit, quas ſingulæ ſtellæ perluſtrant: à Saturni enim ſphæra, quæ eſt prima de ſeptem, uſque ad ſphæram Jovis à ſummo ſecundam interjecti ſpatij tanta diſtantia eſt, ut Zodiaci ambitum

Digitized by Google

superior triginta annis, duodecim verò subjecta * conficiat, rursus tantùm à Jove sphæra Martis recedit, ut eumdem cursum biennio peragat. Venus autem tanto est à regione Martis inferior, ut ei annus satis sit ad Zodiacum peragrandum.

* *In interlin.* id est Jovis.

Jamverò ita Veneri proxima est stella Mercurij, & Mercurio sol propinquus, ut hi tres cælum suum pari temporis spatio, id est, anno plus minúsve circumeant, ideò & Cicero hos duos cursus comites solis vocavit, quia in spatio pari longè à se numquam recedunt: luna autem tantum ab his deorsum recessit, ut quod illi anno XXVIII. diebus conficiat. Sed Cicero cùm quartum de septem solem velit, quartus autem inter septem non ferè medius, sed omnimodo medius & sit & habeatur, non abruptè medium solem sed ferè medium dixit his verbis: » Deinde de septem mediam ferè regionem sol obtinet. Sed non vacat adjectio, qua hæc pronuntiatio temperatur; nam sol quartum locum obtinens, mediam regionem tenet numero, sed non spatio; Saturni enim stella, quæ summa est, Zodiacum XXX. annis peragrat: sol medius anno uno; luna ultima uno mense non integro. Tantum ergo interest inter solem & Saturnum, quantum inter unum & XXX. tantum inter lunam Solémque quantum inter XII. & unum; unde apparet totius à summo in imum spatij certam ex media parte divisionem solis regione non fieri. Sed quantum ad numerum pertinet veluti inter septem quartus medius dicitur, quamvis propter inæqualitatem spatiorum adjectione ferè particulæ temperatur. Zodiacus ergo circulus est unus ex XI. supradictis, qui solus potuit latitudinem hoc modo quem referimus adipisci. Natura cælestium circulorum incorporalis est lineæque * ita mente concipitur, ut sola longitudine censeatur, latum habere non possit, in Zodiaco longitudinem signorum capacitas exigebat. Quantum igitur spatij lata dimensio porrectis sideribus occupat, duabus lineis limitatum est, & tertia ducta per medium ecliptica vocatur, quia cùm cursum suum in eadem linea pariter sol & luna conficiunt, alterius eorum

f. lineæque rita.

Digitized by Google

neceſſe eſt evenire defectum; ſolis, ſi ei tunc luna ſuccedat; lunæ, ſi tunc adverſa ſit ſoli, ideò nec ſol umquam deficit: niſi cùm triceſimus lunæ dies eſt, & niſi quinto decimo curſus ſui die neſcit luna defectum: ſic enim evenit, ut aut lunæ contra ſolem poſitæ, ad mutuandum ab eo ſolidum lumen, ſub eadem linea inventus terræ conus obſiſtat, aut ſoli ipſa ſuccedens objectu ſuo ab humano aſpectu lumen ejus repellat. In defectu autem ſol ipſe nihil patitur, ſed noſter fraudatur adſpectus, luna verò circa proprium defectum laborat, non accipiendo ſolis lumen, cujus beneficio noctem colorat; quod ſciens Virgilius diſciplinarum omnium peritiſſimus ait:

Defectus ſolis varios lunæque labores.

Quamvis igitur trium linearum ductus Zodiacum & claudat & dividat, unum tamen circum auctor vocabulorum dici voluit antiquitas, ſecundùm verò quoſdam Philoſophos latitudo Zodiaci XII. lineis menſuratur, ex quibus juxta paris numeri naturam duas haberi medias neceſſe eſt, quas tantummodò à ſole luſtrari confirmantes, lunam per omnes diſcurrere dicunt. Quapropter ultro citróque vagata eclipſim fieri ſingulis menſibus non ſinit. Omnibus tamen annis utriuſque ſideris defectus ſtatutis diebus horiſque evenire comprobant, quamvis non ſemper appareant, ideò quia aliquando fiunt ſubtus terram in parte latentis Hemiſphærij, aliquando ſupra; ſed propter nubila & propter globoſitatem & convexitatẽ terræ neque ubique neque eiſdem horis ab omnibus cerni poſſunt; unde certiſſimum eſt ſæpiùs iſta fieri quàm videri, nec æqualiter cunctis apparere cùm videntur, unde veſpertinos ſolis ac lunæ defectus Orientales non ſentiunt, neque matutinos Occidentales obſtante cono terræ atque viſum arcente. Lunæ autem defectum aliquando quinto menſe à priori, ſolis verò ſeptimo ejuſdem bis in triginta diebus ſuper terras occultari, necnon ab aliis viſum eſſe, quondam in duodecim * diebus utrumque ſidus deficere probabili ratione & traditione cognovimus.

* ex Plinij loco corrupto l. 2. c. 13. ubi legendum quatuordecim.

Reſpondi ergo ut mihi videtur, Beatiſſime Auguſte,

Digitized by Google

ſecundùm veſtrarum exactionem litterarum, & dixi ex eorumdem auctoritate quemadmodum antiqui Philoſophi & ſcierunt & præſcierunt, quomodò fieret defectus ſolis, & quando fieret: illi enim omnium diſciplinarum peritiſſimi, & nullius ſectæ inſcij veteribus adprobatæ, ſagaciſſima elimatæ & defæcatæ mentis intentione, & perſpicaciſſima purgatiſſimáque interni ſenſus acie præfixa, omnium rerum naturas, rationes, cauſas & origines ſubtiliſſimè & inſtantiſſimè naturali inveſtigatione quæſiverunt, accuratiſſimè & efficaciſſimè illo *à quo omne datum optimum eſt & omne donum perfectum* offerente quæſita invenerunt, inventa & deprehenſa diligentiſſimè & intentiſſimè obſervaverunt; inde phyſici Aſtronomiæ ſpecialiter ſtudentes, eadem diutiſſima meditatiſſimáque diligentia ortus & obitus ſtellarum intuentes & intuendo experientes, ſolis & lunæ & reliquarum quinque vagantium curſus & recurſus, acceſſus & receſſus pleniſſimè exploraverunt, in tantum ut explorando indubitatiſſimè ſcirent quantas lineas Zodiaci circuli unaquæque ſtella erratica luſtraret, & per quam propriè & ſpecialiter de ipſis lineis in præſenti curſum dirigeret, & in quo ſigno, & in qua parte ipſius ſigni eſſet. Qui ergo ita de ſubtilioribus licet veris & naturalibus aliarum ſtellarum motibus certiſſimè & ſtudioſiſſimè cognoverunt, cur ſolis & lunæ curſus, qui verè notabiliores & faciliores ſunt ad cognoſcendum, ignorarent, ut eos lateret quomodò vel quando per eamdem Zodiaci circuli eclipticam lineam currerent, & illam unam eamdémque luſtrantes, in unum ſignum & in unam partem coïrent, & in eamdem partem coeuntes, lunáque in ipſa ſoli ſuccedente eclipſis fieret ſolis.

Non ſolùm ergo prædicti Philoſophi eclipſim hoc eſt defectum ſolis præſciebant, & præſcientes prædicebant quando poſt unum menſem futurus eſſet; ſed quando per annum, aut xx. aut c. aut M. annos ſequeretur, per ſupradictam ſagacem explorationem & diligentem obſervationem longè antè experti præſignabant; Sed ut plus miremini uſque ad quindecim millia annorum talibus argumentis

Digitized by Google

argumentis protenderunt. Inde Cicero viſionem Africani referens ita dicit: Homines populariter annum tan. «
tummodò ſolis unius aſtri reditum metiuntur; re autem «
recta cùm ad idem unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra «
redierunt, eamdémque totius cæli deſcriptionem longis «
intervallis retulerunt: tunc ille verè vertens annus appel- «
lari poteſt, in quo vix dicere audeo quàm multa homi- «
num ſæcula teneantur. Namque ut olim deficere Sol «
hominibus exſtinguíque viſus eſt, cùm Romuli animus «
hæc ipſa in templa penetravit, quandoque ab eadem «
parte Sol eodémque tempore iterum defecerit, tum ſi- «
gnis omnibus ad idem principium ſtelliſque revocatis «
expletum annum habeto; cujus quidem anni nondum «
viceſimam partem ſcito eſſe converſam. «

Quæ verba Tullij Ambroſiana expreſſio aperit hoc modo atque pandit: Annus non is ſolus eſt quem nunc communis omnium uſus appellat, ſed ſingulorum ſeu luminum, hoc eſt Solis & Lunæ ſive ſtellarum, emenſo omni cæli circuitu, à certo loco in eumdem locum reditus annus ſuus eſt; ſic menſis Lunæ annus eſt intra quem cæli ambitum luſtrat: nam & à Luna menſis dicitur qui à Græco nomine luna mene vocatur.

Virgilius denique ad diſcretionem lunaris anni, qui brevis eſt annum, qui curſu ſolis efficitur, ſignificare volens ait:

Interea magnum Sol circumvolvitur annum.

Annum magnum vocans Solis comparatione lunaris; nam curſus quidem Veneris atque Mercurij penè par Solis; Martis verò annus ferè biennium tenet: tanto enim tempore cælum circuit. Jovis autem ſtella duodecim, & Saturni triginta annos in eadem circumitione conſumit.

Hæc de Sole & Luna, ac vagis, ut ante retulimus, jam nota ſunt: annus verò, qui mundanus vocatur, qui verè vertens eſt, quia converſione plenæ univerſitatis efficitur, largiſſimis ſæculis explicatur, cujus ratio talis eſt. Stellæ omnes & ſidera, quæ infixa cælo videntur, quorum proprium motum numquam viſus humanus ſentire

Digitized by Google

vel deprehendere potest, moventur tamen, & præter cæli volubilitatem qua semper trahuntur, suo quoque accessu tam sero promovent, ut nullius hominum vita tam longa sit, quæ observatione continua factam de loco permutationem, in quo . . . . primum viderat, deprehendat. Mundani ergo anni finis est, cùm stellæ omnes omniáque sidera, quæ aplanes habet, à certo loco ad eumdem locum ita remeaverint, ut ne una quidem cæli stella in alio loco sit quàm in quo fuit, cùm omnes aliæ ex eo loco motæ sunt ad quem reversæ anno suo finem dederunt, ita ut Sol & Luna cum erraticis quinque in iisdem locis & partibus sint, in quibus incipiente mundano anno fuerunt; hoc autem, ut Physici volunt, post annorum quindecim millia peracta contingit.

Ergo sicut annus Lunæ mensis est, & annus Solis duodecim menses, & aliarum stellarum hi sunt anni quos supra retulimus; ita mundanum annum quindecim millia annorum, quales nunc computamus, efficiunt. Ille ergo verè annus vertens vocandus est, quem non Solis, id est unius astri, reditus metitur, sed quem stellarum omnium, quæ in quocumque cælo sunt, ad eumdem locum reditus sub eadem cæli totius descriptione concludit; unde mundanus dicitur, quia mundus propriè cælum vocatur. Igitur sicut annum solis non solùm à Kalendis Januariis usque ad easdem vocamus, sed & à sequente post Kalendas die usque ad eumdem diem, & à quocumque cujuslibet mensis die usque in diem eumdem reditus, annus vocatur, ita hujus mundani anni initium sibi quisque facit quodcumque decreverit, ut ecce nunc Cicero à defectu Solis, qui sub Romuli fine contigit, mundani anni principium sibi ipse constituit, & licet etiam sæpissimè postea defectus Solis evenerit, non dicitur tamen mundanum annum repetita defectio Solis impleſſe, sed tunc implebitur cùm Sol deficiens in hisdem locis & partibus & ipse erit, & omnes cæli stellas omniáque sidera rursus inveniet, in quibus fuerant sub Romulo, cùm post annorum quindecim millia sicut adserunt Philosophi, sol denuo ita deficiet, ut in eodem signo eadémque

Digitized by Google

parte ſit, ad idem principium, in quo ſub Romulo fuerant, ſtellis quoque omnibus ſignísque revocatis.

Anno ergo præterito DCCCX. ab Incarnatione Domini « 810.
non eſt mirum eclipſin Solis eveniſſe, ſicut veſtræ indi- «
cant litteræ, *ſeptimo Idus Iunias*, prima tunc initiante «
luna, & rurſus in eodem anno *pridie Kalendas Decembris* «*VIII. Idus*
XXX. incipiente luna, & à priore defectu ſeptimo menſe, «*Iunias* ex
hoc eſt Decembre inchoante; quia ſic defectus ſolis de- «quibuſdã
finitur noviſſimâ primáve lunâ fieri, & ſeptimo menſe à «veteribus
priore defectu, quamvis aliquando penitus non appa- «Annalib',
reat, cum certè ſit factus, aut ſi apparuerit non ſemper «& vitis
ubique cernatur, aut ſi ubique conſpiciatur non eiſdem «Karoli
horis omnes æqualiter videant eveniſſe propter ſupra- «Magni.
dictas cauſas. «*VIII. Idus*
«*Iulij.* ex
«Eginhar-
di Annal.
«ſed malè.

Si quis ergo etiam in hoc tempore tanto ſenſus acumine præditus, tanta inſtantiæ diuturnitate niſus, tanta explorationis & obſervationis diligentia intẽtus, eadem otioſitate & curioſitate ſicut priori ætate geniti, ſollicitus tantum ſtudium erga aſtronomiæ aut cujuſcumque diſciplinæ adſectationem adhibuerit, nonne idem facilè credendus eſt ad eamdem antiquorum ſcientiam & præſcientiam poſſe pervenire? Voluntas enim diſpar non natura, quæ una & æqualis eſt, homines tantum à ſe diſtare facit, quamquam in primis hominibus propter mundi adoleſcentiam & vim corporum, & ſenſuum vigorem magis valuiſſe comperimus.

Hic ergo nunc de eclipſi Solis ſit finis dicendi, non quòd dixiſſe forſitan ſufficienter arbitrer, ſed quia ad præſens proprij ingenioli exiguitas ampliùs memorare non quiverit: Plinius enim ſecundus & alij libri, per quos æſtimem hæc me poſſe ſupplere, non habentur nobiſcum in his partibus, cùm de talibus per me ipſum nihil audeam excogitare neque præſumam. Vos autem, domine piiſſime Auguſte, quibus præ omnibus affluentiam ſapientiæ, ſicut & ceterarum ſanctarum virtutum Deus diſtribuit, rogo ſuppliciter, ut in quo vobis de hac cauſa ignorare videar, aut aliter æſtimare quàm rectum eſt, inſtruere & dirigere dignemini: *Stulta enim mundi*

Digitized by Google

elegit Deus: Et, *Non est apud eum personarum acceptio,* ut non solùm vestræ purissimæ & clarissimæ sapientiæ lux his qui propè sunt luceat, sed & his qui longè; & non solùm per aperta camporum discurrentes illustret, verùm etiam Recluſos licèt per rimas & juncturas vestri sereniſſimi splendoris radius exerens perfundat. Omnibus ergo valdè necesse est attentis & assiduis precibus rogare & postulare, ut Dominus & Salvator noster JESUS CHRISTUS suo populo donet & tribuat multis annis de tali & tanto Principe & Magistro gaudere, qui omnibus æqualiter omnium bonorum operum & virtutum & honestarum disciplinarum doctor præcipuus, & perfectum habetur exemplar rectoribus ad suos subjectos bene regendos, militibus ad suam exercendam legitimè militiam, Clericis ad universalis Christianæ Religionis ritum rectè obsérvandum, philosophis & Scholasticis ad honestè de humanis Philosophandum & sapiendum, reverentérque atque orthodoxè de Divinis sentiendum & credendum. Quid plura de nostri domini Augusti KAROLI summis virtutibus & excellentibus dicere nitor, cùm licet multum elaborare velim totas referre non potero? Hoc tantùm veraciter dicimus, quòd omnes uno ore conclamant, quia in ista terra, inqua nunc Deo donante Franci dominantur, ab initio mundi talis Rex & talis Princeps numquam visus est, qui sic esset fortis, sapiens, & religiosus sicut noster dominus Augustus KAROLUS. De cetero autem per sua sancta & sublimia merita forsitan de suo semine talis oriatur. Hoc solùm superest, ut nos omnes Christiani altissimis vocibus & devotissimis cordibus unanimiter clamemus ad Dominum & rogemus, ut nostri optimi domini Augusti Karoli triumphos multiplicet, imperium dilatet, sacram conservet progeniem, sanitatem confirmet, vitam in multos extendat annorum curriculos, Exaudi, Exaudi, Exaudi Christe.

Sicut ergo, domine *Reverentissime* atque dulcissime, Dei & vestro fideli famulo WALDONI Abbati mandastis, ut me de talibus ex vestris verbis commonendo

Digitized by Google

interrogaret, & exigendo commoneret, qui sicut vobis fidelis ita mihi de hac re gravis & importunus exactor quamvis moderatè extitit, ita per illum vobis remitto, ut inde ei gratias referatis, si quid in his bene dixerim, quæ per ejus urgentem exactionem volens nolens solvi: si autem aliquid malè propter meum proprium neglectum, mihi pœnitentiam quam velitis clementer imponatis. Opto vos bene semper valere in Deo optime Domine, & non tantùm optime Domine, sed & piissime atque amantissime Pater.

FVNDATIO MONASTERII sancti Cornelij Compendiensis.

Ex membranis D. D'Heronval & alijs.

II. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: CAROLUS ejusdem Dei Omnipotentis misericordia Imperator Augustus. Quidquid voto aut gratiarum actione Deo omnipotenti offerimus, cui omnia quæ habemus, quæque de manu ejus accipimus, sed etiam nosmetipsos debemus, qui nos & prædecessores nostros Imperatores & Reges nullo nostro merito, sed sua benignissimâ gratiâ regium in stemma evehere dignatus est, hoc nobis ad præsentem vitam feliciùs transigendam, & ad futuram uberiùs capessendam consequentiùs fore nullo modo dubitamus: proinde quia Divinæ recordationis Imperator avus scilicet noster CAROLUS, cui Divinâ providentiâ Monarchiam totius hujus Imperij conferre dignata est, in Palatio Aquensi Capellam in honore Beatæ Dei Genitricis & Virginis MARIÆ constructisse, ac Clericos inibi Domino ob suæ animæ remedium atque peccaminum absolutionem, paritérque ob dignitatem apicis Imperialis deservire constituisse, ac congerie quamplurima Reliquiarum eumdem locum sacrasse, multiplicibúsque ornamentis excoluisse dignoscitur. AN. CHR. 876.

Nos quoque morem illius imitari ceterorúmque Regum & Imperatorum prædecessorum scilicet nostrorum cupientes: cùm pars illa Regni nobis sorte divisio-

Digitized by Google

nis nondum contigerit, infra tamen potestatis nostræ ditionem in Palatio videlicet Compendii in honore Gloriosæ Dei Genitricis ac perpetuæ semper Virginis MARIÆ Monasterium, cui Regium vocabulum dedimus, fundotenus extruximus & donariis quamplurimis Domino juvante ditavimus, atque Clericos inibi numero centum pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ, pro genitoribus ac progenitoribus nostris, pro nobis, conjuge & prole, próque totius Regni stabilitate jugiter Domini misericordiam implorare decrevimus. In cujus Basilicæ usus atque in præfatorum Fratrum necessaria stipendia, villas has perpetuò habendas delegavimus, id est in pago Tardanensi villam Rumigniacum cum Capella & omni integritate sua; & in pago Belvacensi villam Longolium *, Saciacum * & Mariscum cum omnibus ad se pertinentibus; & in pago Ambianensi Mesvilare * & Herchias; in pago Bolonienſi villam Attinium, & cellam sanctæ Marthæ, in pago Tardanensi cum omnibus appendiciis suis, & in Suessionico villam Bruarias; & in pago Laudunensi Stradonis villam, & Bairiacum post Primordij discessum; & in pago Vermandensi villam Capiacum: culturam etiam quam eisdem Fratribus ad suos exteriores usus extra Monasterium cum piscatura concessimus: Capellam in Venitta, Capellam in Vermeria, Capellam in Nantoilo, Capellam in Maniacis post discessum Bertonis: In pago Noviomensi villulam quæ dicitur Bonas mansiones: decimas etiam fiscorum, quas eis per Præceptum concessimus, hoc est decimam Grassini, Vermeriæ, Coonariorum, Ridi, atque Maniacis, & duas partes decimæ de Andriaco villa Dorlindo, Ferrariis, Cincumiaco, Arminiaco, Vienna, Roseto, Salmonciaco, Antiniaco, Erchiriaco, Siviniaco, Attiniaco, Bermiatasiaco, Bidrico, Pontione, Mellao atque Busseto, & reliquas omnes quas per Præceptum nostrum habent; & Quassellas * in Burgundia, & Pontem super fluvium Vitulam pertinentem de finibus, & omne teloneum annualis mercati, cum prato ubi contra Venittam congregari solet.

al.* Longogilum.
* Sassiacū.
al.* Melvilare.
al.* Cassellas.

Digitized by Google

Similiter etiam totius silentij & quietudinis Canonicæ ibi morem observandum, & ut à nullo exteriori hospite violetur confirmamus, sicut in eorum Præcepto dicitur, & de mansionibus, eíque liberam Canonicæ licentiam tribuimus, sicut in eodem continetur Præcepto.

Præterea memorato sancto Monasterio, & Fratribus inibi assiduè Domino famulantibus, in die qua dedicationem ipsius sanctæ Basilicæ celebravimus, hoc est tertio Nonas Maij, per idem nostræ autoritatis Præceptum concedimus in pago Tardanensi villam Sarciacum cum manso indominicato, & Capellam & quidquid ibi aspicit, vel quidquid ex eadem Otherus olim Comes habuit; & in pago Belvacensi, in Betonicurte quidquid ibi de Madriniaco aspicit.

Prædicta itaque omnia, villas & res quas ante dedicationem præfatæ Basilicæ & has quas in ejusdem dedicatione concessimus, cum Capellis & omnibus appendiciis suis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarúmve decursibus, molendinis, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad easdem justè legalitérque pertinentibus, exitibus & regressibus, & universis legitimis terminationibus, sæpè dicto sancto loco Congregationíque inibi Domino deservienti æternaliter habendas, & Canonicè disponendas pro eorum opportunitatibus destinamus, & de nostro jure in jus & potestatem ejusdem Monasterij transponimus, ita ut quidquid ab hodierna die, sicut in aliis Præceptis nostris ordinabimus, per nos pérque successores nostros, vel quorumlibet dono Divina pietas sæpè fato loco & fratribus conferre voluerit, habeant, teneant atque possideant, liberamque ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi atque canonicè disponendi, eo scilicet ordine, ut officinæ & ministeria ejusdem loci, scilicet luminarium hospitum, ac receptionis pauperum, atque stipendiorum Fratrum, secundùm quod nos aut Missi nostri seu Prælati ejusdem Monasterij congruè disposuerint, ordinata consistant.

Sancimus denique etiam ut præfatæ res omnes sub

Digitized by Google

immunitate & tuitionis nostræ defensione ea consistant, qua cæterarum Ecclesiarum res, quæ hoc à nobis vel à prædecessoribus nostris obtinere promeruerunt, consistere noscuntur; ita ut nemo fidelium nostrorum, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex reliquis tam præsentibus quàm futuris, in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati Monasterij, quas in quibuslibet pagis vel territoriis justè & legaliter possidet, vel ea quæ deinceps in jure ipsius sancti loci Divina pietas augeri voluerit, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut mansionaticos, vel paratas faciendas, seu fidejussores tollendos, sive homines tam ingenuos quámque & servos super terram ipsius commanentes, distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, & quidquid de rebus memoratæ Ecclesiæ fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto sancto loco concessisse perpateat, ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum, & stipendia Canonicorum ibidem Domino famulantium, in augmentum proficiat; quatenus ipsis servis Dei eorúmque successoribus pro nobis Domini misericordiam uberiùs exorare delectet.

Et quia præfatas res omnes ex fiscis nostris fuisse constat, volumus, paritérque jubemus, ut sub ea lege quæ res fisci nostri jugiter maneant, atque sub eo munideburde & defensione tueantur ac defendantur; & sub ea tuitione Imperiali consistant, quâ Cœnobia, Prumia scilicet, & quod *Atavus* noster PIPPINUS construxit*, & Monasterium Sanctimonialium Laudunense in honore sanctæ MARIÆ constitutum consistere noscuntur.

* id est, Fulda.

Enimverò quæ in auro, argento & gemmis, vestibus, rebus, vel in quibuslibet speciebus eidem loco concessimus, quia ob amorem divini cultus paritérque animæ nostræ, genitorum ac progenitorum nostrorum remedium Domino consecranda obtulimus, rogamus atque testificatione Divini nominis interdicimus, ut nullus

Regum

Digitized by Google

Regum aut Imperatorum ſucceſſorum noſtrorum, nec quiſquam cujuſlibet ordinis qualibet dignitate præditus, ex iis quæ ſupra memorata ſunt quidquam in ſuos uſus accipiat, aut in Capellæ ſuæ cultus amoveat, nec ſicut aliquando factum eſſe conſtat ad aliam Eccleſiam quaſi ſub obtentu eleemoſynæ conferat, ſed ſicut ea Domino ac præfato loco ſancto dedimus integerrimè ac perpetualiter habenda conſervet.

Iis verò omnibus ſupradictis rebus, quas ſæpe memorato ſancto loco in opportunitate Baſilicæ & Fratrum præfatorum numero centum ſuffragia conſtituimus, nihil minuere quiſquam præſumat, ſed hæc noſtræ pietatis conceſſio, & Imperialis altitudinis ſanctio, ita perpetuò conſervetur ſicut in privilegio Domni & ſanctiſſimi Patris noſtri JOHANNIS Apoſtolici & univerſalis Papæ, ac aliorum Epiſcoporum Privilegiis continetur adſtipulatum: augere verò ſi quiſpiam voluerit augmentatis & multiplicatis eorum uſibus rebus accumulentur divini cultores ſervitij. Memoratum denique Domni & ſanctiſſimi Papæ Johannis privilegium per hoc noſtræ Imperialis Excellentiæ dictum confirmamus, atque ſicuti ſua decrevit ſanctio, ita perpetuò manſurum noſtra decrevit roboratio.

Et ut hæc noſtræ donationis auctoritas, ac edicti conſtitutio, atque immunitatis roboratio per omnia tempora inviolabiliter in Dei nomine conſervetur, veriúſque credatur, manu propria ſubterfirmavimus, & bullarum noſtrarum impreſſionibus inſigniri juſſimus. Nos verò in hujus inſpectionis teſtimonium tranſcripto prædictæ chartæ ſigillum noſtrum duximus apponendum.

Signum CAROLI glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.

Signum HLUDOVICI glorioſi Regis.

AUDACHER Notarius ad vicem Gauzlini recognovit & ſubſcripſit.

Datum tertio Nonas Maij, Indictione decima, anno triceſimo ſeptimo Regni Domini Caroli Imperatoris in Francia, & in ſucceſſione Lotharij ſeptimo, & Imperij ſecundo. Actum Cõpendio palatio in Dei nomine. Amẽ.

Digitized by Google

Concessit D. d'Heronval.

GUILLELMI *Comitis Tolosani & Guillelmi Barcinonensis concordia pro castro de Laurago.*

AN. CHR. 1090.

III. IN nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus, quòd facta est concordia inter WILLELMUM Tolosanum Comitem, & RAIMUNDUM Comitem Barchinonensem & Carchassonensem, & Raimundum filium ejus, de discordia quam habuerunt de ipso Castello de Laurago, in quo jam dictus Tolosanus Comes quærebat adfidamentum per sacramentum, & non potuit habere ullum hominem videntem nec audientem, qui vidisset, audisset facere adfidamentum per sacramentum de prædicto castro ad avum nec ad patrem de prædicto Tolosano Comite. Et propter hoc facta est talis concordia inter prædictos Comites. Quòd jam dictus GUILLELMUS Tolosanus Comes donavit hoc totum quod adquisivit de RAIMUNDO Guillelmi, & de BERNARDO fratre ejus, & quantum ipse jam dictus Tolosanus Comes habebat & habere debebat in prædicto Castello Laurago, & in omnibus suis terminis atque pertinentiis ad jam dictum RAIMUNDUM Comitem Barchinonensem & Carkassonensem, & ad filium ejus Raimundum, & eorum posteritati, qui habuerit Comitatum Carkassonensem qualicumque modo, tali tenore, ut prædictus Raimundus Comes & prædicta ejus posteritas, habeat hoc totum ad fevum per prædictum Tolosanum Comitem, & per posteritatem ejus quæ habuerit Tololosanum Comitatum, quantum prædictus Tolosanus Comes habebat & habere debebat qualicumque modo in Castro Laurago, & in ejus terminis atque omnibus adjacentiis & pertinentiis. Et propter hoc dedit jamdictus Barchinonensis Comes atque Carkassonensis ad prædictum Tolosanum Comitem . . . . milia mancusos monetæ . . . Barchinonæ, excepto hoc quod dedit uxori ejus Tolosanæ Comitissæ.

Facta est hæc concordia atque donum, sive evacuatio,

Digitized by Google

VII. Idus Septembris, anno MXC. ab Incarnatione Domini Regnante PHILIPPO Rege, in præsentia RAIMUNDI Comitis Rutenensis, & Episcopi Catturicensis*. . . . . & RODGERII Comitis de Fuxo, domni Abbatis FROTARDI S. Pontij Tomeriensis, & PETRI Vicecomitis Minerbensis, & BERNARDI Rotgerij de Partes, & UGONIS Eschafredis, & filiorum PETRI, & HUGONIS, & GUILLELMI Raimundi de Castello-novo, & ARNALDI fratris ejus, & *Guillelmi* Præpositi Tolosani, Et BERNARDI Pontij de Auriago, & *Guilaberti* & fratris ejus *Petri* de Laurago, & *Isarni*, & *Iordanis* fratris ejus, & Pontij Fortonis, & Guillelmi fratris ejus, & *Vgonis* de Sexago, & *Raimundi* fratris ejus, & *Vmberti* Electi Barchinonensis, & *Gairaldi* Alamandi, & *Gariberti* Guitardi, & *Raimundi* Guillelmi Vicecomitis, & *Guillelmi* Raimundi Seneschalchi & & fratrum ejus, & *Vnberti* Gaucberti, & *Gaufredi* Bastonis, & RAINARDI Amati, & *Segarij* Salomonis, & *Guitardi* Lupi de Biterris, & *Autgerij* Gaucfredi, & Ugonis filij Pontij Comitis de Ympuris, & *Mironi* Fogetri, & GUILLELMI Pontij de Carkassona & fratris ejus *Deusdedit*, & *Raimundi* Amelij de Avezola, & Raimundi Odalrici de Punciano.

*Caturcensis.

*Donatio facta Monasterio * sancti Pontij Tomeriarum à* BERNARDO *de Minerba in gratiam filij qui Monasticum ordinem suscipiebat inibi.*

*Ex membranis. D. d'Heronval.

* *nunc Episcopatus.*

IV. MUndi terminum propinquante, ruina illius crebrescente, oportet unicuique ut dum in hoc mortali corpore degens festinet, ut in futuro propitium Deum possit habere, Domino præcipiente: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Quia eleemosyna à morte liberat, & non sinit ire intenebras.* Et, *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Igitur ego in Dei nomine BERNARDUS gratiâ Dei Vicecomes de Minerba considerans ultimi diei finem, in

AN. CHR. 1110.

Luc. 41. 11. *Tob.* 12. 9. *Eccli.* 3. 33.

Digitized by Google

quo Judex verus venturus est reddere singulis secundùm opera sua, & terribilem vocem quam impij pro peccatis
Matt.25.41 sui audituri erunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus:* desiderans bonitatem Dei & clementiam ipsius, ut copulari merear sanctorum Collegio, & cum justis audire: *Venite*
Matt 25.34 *benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quapropter ego BERNARDUS jam dictus Vicecomes pro remedio & salute animæ meæ & parentum meorum, dono, laudo, & concedo Omnipotenti Deo & sanctæ MARIÆ Virgini & sancto Pontio Tomeriensi Monasterio, & Domino Abbati PETRO & Monachis ejusdem Monasterij, tam præsentibus quàm futuris ibidem Deo servientibus in perpetuum; videlicet totum alodium de villa & de omni Parochia de Saisserras cum ipsa Ecclesia sancti Martialis, cum omni suo Ecclesiastico, cum decimis & primitiis & oblationibus, & cimiteriis, & cum omnibus rebus ad prædictam Ecclesiam pertinentibus; & in ipsa Parochia de Saisserra damus totum alodium de omni territorio de Arguzac; & in alio loco dono similiter totum alodium de omni territorio Deroerra: dono similiter in alio loco totum alodium de villa de Casellas cum omnibus suis pertinentiis: Et in alio loco dono similiter totum alodium de omni territorio de Monte Auruz. Prædictus honor de Monte Auruz à fronte ab oriente usque ad Fontavillas, & ab occidente usque in Salisceira, ab Aquilone usque in rivo Molier, ex meridie usque in prædictum honorem de Casellas. Omnis honor prædictus est in Episcopatu Narbonensi in suburbio Minerbensi.

Hæc omnia prædicta ego BERNARDUS Vicecomes jam dictus dono, laudo & concedo Omnipotenti Deo, & sanctæ MARIÆ, & sancto Pontio Tomeriarum Monasterio, & Abbati & Monachis ejusdem Monasterij tam præsentibus quàm futuris in perpetuum, scilicet totum alodium & dominium de omni honore prædicto & cum omnibus suis pertinẽtiis, cum terris cultis & incultis, cum vineis & hortibus, cum pratis & cum arboribus fructiferis; & infructiferis & aquarum cursus & recursus cum mo-

Digitized by Google

lendinis & furnis, cum herbis, cum pascuis & pasturalibus, cum rivis; & fontes, montes, colles & valles cum maneriis, cum nemoribus, cum silvis & forestiis, & cum omnibus fevalibus* & vicariis, & serventagiis; & venationes, cum hominibus & feminabus inde naturalibus; & gistas, & tallias, & omnes actiones, & omnes usaticos, & omnes actus, & quidquid in jam dicto honore, & in omnibus suis pertinentijs habeo, totum illud dono Deo & Monasterio prædicto in perpetuum absque omni retētu.

* *id est*, feodalibus.

Hoc Donum facio pro amore Dei & remissione peccatorum meorum & parentum meorum, & pro hereditate filij mei Raimundi, quem in eodem Monasterio trado & offero Deo & Sanctis prædictis, ad Monasticum ordinem suscipiendum. Si quis verò contra hanc chartam donationis venerit ad irrumpendum, nisi pœnam dignæ satisfactionis egerit, in iram Dei Omnipotentis incurrat, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ extraneus fiat, & excommunicatus fiat, cum Dathan & Abiron, & cum Juda traditore Domini in inferno semper ardeat. Facta est charta hujus donationis sub die feria VI. anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo, Regnante PHILIPPO Rege, duodecimo Kalendas Septembris. Sigillum BERNARDI Vicecomitis, qui hanc chartã donationis manibus suis firmavit, & testes firmare rogavit: Sigil. PETRI filij ejus qui hoc donum concessit: Sigil. ENGILBERTI de Olargio, Sigil. PODII fratris ejus, Sigil. BERNARDI de Durbanno, Sigil. AIRICI de Minerba, Sigil. *Guillelmi* qui hanc chartam scripsit.

MEMORIALE LVDOVICI VII. Regis Francorum.

Ex membranis D. d'Herouval.

Libertates confert Episcopo & Ecclesiæ Laudunensi.

V. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex, Magistro GALTERO Laudunensi Episcopo, ejúsque successoribus in perpetuum. Sollicitudinem quam viventes gerimus pro Ecclesijs Regni post vitæ præsentis AN. CHR. 1158.

Digitized by Google

decursum apparere volumus posteris. In Laudunensi Ecclesiæ Præsul erat GALTERUS, qui longo tempore Decanus ibidem extiterat, & Episcopis sui temporis quàm plurima viderat defecisse, exemplo decessorum territus, & sibi præcavens, Pontificalem insidens Cathedram dedit operam agriculturæ & vinearum plantationi, ut semper abundaret annona & vino, & curtes diversas constituit: formidinem iterum suscipiens, ex eo ipso quòd decedente Episcopo in manum Regiam ex consuetudine res Episcopatus deveniunt, & sic curtes & omne instauramentum suum videbatur periturum, adiit Serenitatem nostram & expostulavit humiliter, ut Ecclesiæ suæ & successoribus suis instauramentum suum conservaremus.

Notum itaque facimus universis præsentibus atque futuris, quòd per consilium fidelium nostrorum nobis assidentium pro humili & reverenda prece jamdicti Episcopi Laudunensis Magistri GALTERI de Mauritania, grangias & curtes, carrucas, greges & armenta de quibuscumque animalibus, vineas de Campo-Britonis, de Clauso juxta Brolium & ipsum Brolium, vineas de Poliaco, alias etiam vineas quascumque plantaverit sive acquisierit, & omnino omne instauramentum suum libertate donavimus in perpetuum.

Ipsius etiam petitione omnes ejusdem successores in ea necessitate posuimus, ut tempore vindemiarum ad reficiendum vineas de fructu earum tantum conservetur, & cultoribus tradatur quod earum culturæ sufficiat.

Libertate quoque donavimus domos Episcopi de Lauduno, & quascumque extra Laudunum habet, & quidquid in eisdem domibus subsistit de ligno & filo, de ferro & vitro, & ære, & de quacumque alia materia.

In hoc autem Memoriali Regio & pro evidentia rerum in posterum, & pro conservando hujus libertatis statu inserere dignum ducimus, quòd decedens Episcopus sicut testatus fuerit, ratum erit, & si decesserit intestatus, quod absit, Regij juris erit aurum ejus & argentum totum, annona tota, exceptâ illâ quam custodes gran-

Digitized by Google

giarum, & magiſtri carrucarum retinebunt ad ſeminandos agros, & ad ſufficienter ſuſtentandum ſe & ſervientes neceſſarios ſibi & animalia ſua. Similiter vinum ab inteſtato Epiſcopo remanens totum Regij juris erit, excepto vino illo, quod de vineis acquiſitis vel plantatis à præfato Epiſcopo fuerit; quod ſanè vinum noſtrum non erit, ſed inde præoccupati Epiſcopi ſolventur debita, & ſi nulla ſunt, reſervabitur vinum ſucceſſori.

Porro per deceſſum Epiſcopi, Epiſcopatu veniente in manum Regiam, ſervientes de Ponte Regis venientes non ſtabunt in domibus Lauduni, neque in alijs domibus ubi munitiones non erunt, ſed aliis in locis ubi munitiones ſunt, ipſi miniſteriales Regij in munitionibus manebunt ad cuſtodiam earum, & in diſtrahendis rebus Epiſcopi prædictis quas libertate donavimus, vel ordinandis, vel in uſus ſuos aſſumendis poteſtate carebunt. Sed illi potiùs ſervientes, qui in vita Epiſcopi eam ſortiti ſunt, adminiſtrationem retinebunt eandem, & ſeorſum in domibus & grangiis Epiſcopalibus manebunt dum in manu Regia Epiſcopatus fuerit, Brolium nec vendere, nec donare, nec aliquo modo diminuere poterimus. Et ſi vacaverit ſedes meſſionum tempore, cuſtodes grangiarum retinebunt quod ſufficiat ſeminandis agris, paſcendis & conducendis bubulcis, paſtoribus, miniſtris, & animalibus, ceterum Regii juris erit. Et ſi vacaverit ſedes in vindemiis vinum de taxone, de talliis, & vinagium quod per pagum colligitur, ceterique omnes redditus, præter ea quæ libertate donavimus, ſimiliter Regij juris erunt.

Ut autem hoc donum noſtrum in poſterum ratum ſit, & omnis deinceps amoveatur inquietatio, præſenti pagina commendari & ſigilli noſtri auctoritate roborari, & nominis noſtri charactere conſignari præcepimus. Actum publicè Pariſius Anno Incarnationis Domini MCLVIII. Regni verò noſtri XXII. Aſtantibus in palatio noſtro quorum ſubtitulata ſunt nomina & ſigna. Signum Comitis THEOBALDI Dapiferi noſtri: Signum GUIDONIS Buticularij: S. MATTHÆI Camerarij. Signum MATTHÆI Conſtabularij.

Digitized by Google

Ex membranis D. d'Hereval.

PACTVM INITVM INTER *Ildefonsum Regem Aragon. & Hugonem Comitem Ruthen. pro Vicecomitatu de Carlades, &c.*

AN. CHR. 1167. VI. IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI, anno Incarnationis ejusdem millesimo centesimo sexagesimo septimo, tam præsentibus quàm futuris pateat hominibus, quòd ego ILDEFONSUS Dei gratia Rex Aragonensis, Comes Barchinonensis, Dux Provinciæ, pro cognitione HUGONIS Rutenensis Episcopi & GUILLELMI Montispessulani, de controversia quæ erat inter me & Hugonem Comitem Rutenensem, talem amicabilem compositionem feci consilio & voluntate HUGONIS Tarragonensis Archiepiscopi, RAIMUNDI Arelatensis Archiepiscopi, & Episcoporum GUILLELMI Barchinonens. PETRI Avinionens. & PETRI Cæsaraugustani, & Militum GUILLELMI Raimundi Dapiferi, GUILLELMI de Montecatano, BERALDI de Jorba, PEREGRINI de Castellazol. RIMINI Dartojella, RIMINI Romeu, PETRI de Castellazol. GUIDONIS de Seucirac, BERENGARII Bertrandi, HUGONIS de Baucio, & BERTRANDI fratris ejus, atque PORCELLI, GUILLELMI, RAIMUNDI, GENTELINI & multorum aliorum Procerum meorum.

In primis ego Hugo Rutenensis Comes consilio virorum meorum, ALDEBERTI videlicet de Stagno, GRIMALDI de Salas, BERNARDI Raimundi de Crescel HUGONIS de Panaz, GUILLELMI Hectoris, & ceterorum virorum meorum, dono tibi Ildefonso prædicto Regi & successoribus tuis medietatem totius Carlades, quæ medietas contigit avo meo Ricardo in partem, & me devestio & te investio, & tibi & successoribus tuis eam perpetuò trado & concedo.

Ego ILDEFONSUS Rex Aragonensis prædictus, consilio & voluntate suprædictorum Procerum meorum hanc partem tuam de Carlades in dominium meum recipio, & eamdem

Digitized by Google

eamdem partem & aliam medietatem de Carlades, & castrum de Carlat sicut totum avus patris mei GUILBERTUS videlicet Comes habuit & tenuit, & in partem ei advenit, tibi & successoribus tuis in feudum honorabiliter trado & concedo,* deinceps propter hunc feudum mihi & meis fidelis permaneas, & hominium & sacramentum fidelitatis mihi & successoribus meis tu & successores tui faciant.

**Deest dū modò aut quid simile.*

Et ego prædictus HUGO Comes Rutenensis Carlat & totum Carlades à te prædicto Ildefonso Rege Arragonensi in feudum recipio, & propter hoc feudum hominium tibi facio & fidelitatem juro, videlicet vitam & membra, quòd te non capiam, nec occidam, nec de membris tuis te decipiam, vel aliquis homo vel femina meo consilio vel ingenio, & quòd terram tuam neque tuorum hominum tibi non auferam, neque auferri faciam: & si aliquis homo esset vel femina qui tibi auferre vellet terram quam habes in Episcopatu Rutenensi, & in Episcopatu Mimatensi, te specialiter juvarem, & in omni alia terra tua quam habes & possides; vel aliquis homo vel femina per te vel inantea meo consilio tu vel tui acquisieritis, contra omnem hominem vel feminam qui eam tibi auferre vellet, proposse meo tibi fidelis adjutor existam, & bona fide tibi sicut domino meo serviam, & per me & per meos heredes tibi & tuis heredibus ita facere & adimplere sacramento convenio.

Et ego ILDEFONSUS Rex prædictus te Hugonem prædictum Rutenensem Comitem in bona fide suscipio, & terræ tuæ videlicet de Rozenegue & de Carlades quam modò habes & tenes, vel inantea meo consilio tu vel tui acquisieritis, contra omnem hominem vel feminam qui ea tibi auferre vellet, per me vel per meos homines tibi defensionem promitto.

Hoc totum quod supra scriptum est convenio ego prædictus HUGO Rutenensis Comes tibi prædicto ILDEFONSO Regi Arragonens. complere & attendere semper atque tenere per bonam & rectam fidem sine inganno. Sic me Deus adjuvet & hæc sacro-sancta Evangelia.

Digitized by Google

Facta est hæc charta & hæc amicabilis compositio in civitate Arelatensi. Signum Ildefonsi Regis Arragonum Comitis Barsilon. Ducis Provinciæ: signum Hugonis Comitis Rutenensis, signum Hugonis Rutenen. Episcopi. Et sunt ibi alia signa *cujuslibet tunc* qui sequuntur, Guillelmi Montispessulani, Hugonis sanctæ Tarragonensis Ecclesiæ Episcopi, *Petri* Ausonen. Episcopi, Petri Dei gratia Cæsaraugustani Episcopi, W. Barchinonen. Episcopi, Will. Raimundi Dapiferi, Hugonis de Baucio, Bertrandi de Baucio, Geraldi de Jorla, Guido de Seucirac, Berengarius Gerardi, Will. de Monte Catano.

Confirmatio pacti præfati.

Sequitur littera pactionis & recognitionis habitæ inter dominum Jacobum olim Regem Arragonum & Majoricarum, patrem domini Infantis Petri & Infantis Jacobi ab una parte, & dominum Hugonem olim Comitem Rutenensem patrem istius domini Henrici Comitis ex altera.

Pateat universis quòd nos Jacobus Dei gratiâ Rex Arragonensis & Regni Majoricarum, Comes Barchinonensis & Urgelli, & dominus Montispessulani, promittimus vobis dilecto nostro Hugoni eadem gratiâ Comiti Rutenen. quòd non desexiemus nos umquam de dominio quod in vobis habemus, & super vos ratione terræ sive Vicecomitatus de Carlades, quam per nos in feudum tenetis, sed semper retinebimus vos & dictum feudum & vestros ad nostram proprietatem & dominium & nostrorum. Et ego Hugo prædictus Comes Ruten. pro dicta terra & Vicecomitatu, quem per vos & vestros recognosco tenere, facio vobis homagium & fidelitatem, & ero inde vobis & vestris legalis & fidelis, & salvabo membra vestra & jura secundùm posse meum ad bonam fidem. Datum apud Montempessulanum xv. Kal. Febr. anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto.

1236. Hujus rei testes sunt Hugo Comes Empuriarum, Assailhicus de Gual, Exominus de Foribus. Scripta per manum Guillelmi Scribæ, loco, die & anno prædictis.

Digitized by Google

JVSIVRANDVM GVILLELMI *Mont Spessulani præstitum* JOHANNI *Episcopo Magalonensi.*

Ex membranis D. d'Herouval.

VII. AUdi tu JOHANNES Magalonensis Episcope. Ego GUILLELMUS dominus Montispessulani, filius Mathildis, ab ista hora inantea personam tuam non capiam, vitam & membra tua tibi non tollam, nec homo, nec femina meo consilio vel meo ingenio. Etsi in illo honore quem tu hodie habes & possides, & Canonici Magalonenses habent & possident, in Communia vel in antea tu acquisieris meo consilio, & Canonici meo consilio acquserint, ego Guillelmus tollerem, vel forisfactum ibi facerem, cum tu me *commonras* *, per sacramentum, vel si præsens non fueris, aut Ecclesia Magalonensis tum fortè Episcopum non habuerit, Prior Magalonensis consilio Capituli Magalonensis me *commonra** per sacramentum infra quadraginta dies *cabalmenoendrai od œmendarai*, vel ad tuam *mercedem mencontanrai*, & ad mercedem Canonicorum similiter. Et si homo vel femina in illo honore quem tu habes & possides, & Canonici habent & possident, vel inantea tu meo consilio acquisieris, & Canonici similiter meo consilio adquisierint, tibi vel Canonicis aliquid tolleret, vel forisfactum faceret, si per me illud *redercere* nollet, vel directum tibi & Canonicis facere nollet, tùm tu me *commonrias* per sacramentum, aut si præsens non fueris, vel Ecclesia Magalonensis tum fortè Episcopum non habuerit, Prior Magalonensis cum consilio Capituli Magalonensis me *commonra* * per sacramentum, tibi & Canonicis Magalonensibus adjutor ero sine enganno. Sicut in hac charta continetur, & Clericus legere & intelligere potest, ita tenebo & adimplebo sine omni enganno me sciente tibi Johanni Magalonensi Episcopo & Catholicis successoribus tuis, & Canonicis Magalonensibus præsentibus & futuris: Sic Deus me adjuvet & istæ sanctæ Reliquiæ. AN. CHR. 1184.

* Commonueris, aut conveneris.

* Commonuerit.

* Commonueris.

* Commonueris.

Digitized by Google

Hoc fuit factum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octuagesimo quarto, mense Aprilis, apud Magalonam super altare sancti Nicolai, in præsentia P. Præpositi, *Guillelmi* Maurini Archidiaconi, *Guillelmi* Raimundi Archidiac. Magistri *Richardi*, *Guillelmi* Petri, *Pontij* Gaucelini, P. de Brodet, P. de Cocone, *Hugonis* de Ulmis, R. Guinet, P. de Piniano P. de Lunello, P. de Castronovo, *Pontij* Almeraz, *Pontij* Garnerij, *Guillelmi* de Monte Arnaldo, P. Raimundi, R. de Sanrederi, *Pontij* de Cornone, J. de Monte Lauro, *Bermundi* Fulconis, *Pontij* de Cell. *Bertrandi* Sacristæ, Olrici Guillelmi de Flexio, R. Darboraz, *Guillelmi* de Lechas, *Petri* de Albalanicis, R. de Vico, J. de Rocafolio, R. Petri de Agantico, P. Blanchet, *Bernardi* Bisdocij, *Bernardi* Petri, *Bertrandi* Vidiani, *Berengarii* Balbi, Guidonis de Ventador, *Guillelmi* Rotberti, *Guillelmi* Ademari, R. de sancto Bricio, *Duranti* de Lodeva, Aimerici Guillelmi, *Adalgueri*; Bernardi *Bermundi* Bertrandi de sancto Gervasio, P. *Richardi* Guillelmi de Brodet, Pontij Comi Archipresbyteri Canonicis, P. de sancto Hippolyto, *Guillelmi* de Mesoa, Stephani Berdocti, J. Bertoldi, *Guillelmi* Olrici, Giraldi Atbrandi, R. de Centrairanicis, *Guillelmi* de Terico, R. Guillelmi de Piniano, *Guillelmi* de Fabricis, *Bernardi* Lamberti, R. Lamberti, Guillelmi Hugonis, Bernardi Austrini, Magistri *Guidonis* Francees, *Martini* de Gradu, R. Bernardi, *Guillelmi* Petri de Monte Ferrario, Guillelmi Agullonis, & alij quamplures.

Ex chartis D. d'Herouval.

SACRAMENTVM FIDELITATIS à GUILLELMO *Montispessulani domino, factum* RAYMUNDO *Comiti Tolosani.*

AN. CHR. 1194.

VIII. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, anno Dominicæ Incarnationis ejusdem millesimo centesimo nonagesimo quarto, & quarto Kal. Junij; Ego GUILLELMUS Montispessulani dominus, filius quondam

Digitized by Google

MATHILDIS Duciſſæ, bona fide & ſine dolo & fraude, & aliquo malo ingenio, juro tibi Domino noſtro R. Comiti Toloſano & Melgori Faiditæ Comitiſſæ filio, ſuper ſancta quatuor Evangelia, vitam tuam, membra tua, terram tuam, homines tuos, ut de cetero inantea non te occidam, nec occidere faciam, vel permittam, vel machinem; non te capiam, non te decipiam, non te defraudem, nec capere, nec decipere, nec defraudare ullo modo faciam, permittam, vel machinem. Juro tibi fidem, fidelitatem bonam, incorruptam, inviolatam tibi ſervare. Juro tibi quòd aliquis tuorum inimicorum de cetero inantea, auxilium, opem, refugium, manutenentiam quicumque ſit inimicus ille, ſive homo, ſive femina, à me, vel à terra mea, ſeu ab hominibus meis, ad damna ſeu injurias contra te, Reverende Domine mi prædicte Comes, inferenda, vel contra homines tuos, vel contra terram tuam, aliquo modo non habebit. Juro tibi quòd de cetero inantea uſaticum, pedaticum, gardaticum non capiam, nec capere faciam vel permittam in toto ſuſtancione, exceptis uſaticis antiquis, ſicut in chartis continetur de pedaticis compoſitis. Et juro tibi quòd ſi aliquis homo vel femina aliquid ibi caperet præter uſatica vetera, ero tibi domino Comiti inde fidelis adjutor & amicus, donec ille deſiſtat, & guerra quæ inde orta eſſet componeretur. Hæc omnia juro tibi & ſacramento promitto integrè me ſervaturum, & contra ſacramentum iſtud me non venturum.

Et ego R. Comes prædictus hæc omnia ſuperiùs ſcripta ſub eadem forma, ſub eadem lege, ſub eodem pacto & in eodem loco tibi juro ſuper quatuor Evangelia, & me in integrum ſervaturum promitto tibi Montiſpeſſulani domino.

Facta ſunt præſente domino R. Lodevenſi Epiſcopo, G. R. Magalonenſi Epiſcopo, R. Agatenſi Epiſcopo, Singon. Magalonenſi Præpoſito, B. de Anduſia, S. de Sabrano, R. Raſcatio, R. de Barth. R. de Bonciro, B. de Mlins.... P. de Agangis, R. de Arſaz, Draconeto de Boçairano, R. de Sambrano, P. Fulcodia Cauſidico,

Digitized by Google

B. Radulfo & Bernardo Luspio; Et ego *Petrus* Severnerius Domini Comitis Notarius, qui præsens utriusque partis mandato scripsi & signavi chartam istam.

Communicavit D. d'Herouval.

PACTUM INITUM INTER ILDEFONSUM *Regem Aragoniæ, &* BERNARDUM *Atonis Vicecomitem Nemausensem.*

AN CHR. 1199.

IX. HÆc est convenientia facta inter dominum ILDEFOSSUM illustrem per Dei gratiam Aragoniæ, Comitem Barchinoniæ, Marchionem Provinciæ, & Venerabilem virum B. Atonis Vicecomitem Nemausensem. Donat namque & commendat jam dictus Ildefossus Rex prædicto B. Atonis homini suo civitatem de Nemauso, cum turribus & fortitudinibus omnibus ejusdem civitatis, cum muris & antemuralibus, & cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, & terminis suis. Item donat ei castrum & fortitudinem de Arenis quæ propè eamdem civitatem constituta est. Castrum etiam quod nuncupatur Turris-magna. Castrum quoque suum de Margaritis, similiter & Castrum de Caisanicis. Item & Castrum de Berniz, Castrúmque de Bellovicino, & Castrum de Candiaco, Castrum similiter de Poscherijs, quantum ibi habet, vel habere debet: Et eodem modo Castrum de Castlaris: Similiter & Castrum de Armazanicis; Castrum etiam de Albais; Castrum etiam de Hueriis, & Castrum de Calvitione, & Castrum de Clarenciaco.

Tali modo commendat & donat prædictus dominus Rex jam dicto Bernardo Atonis homini suo prædictam civitatem de Nemauso, cum ceteris prænominatis pertinentiis & terminis, & omnia quoque supradicta castra cum pertinentiis suis & terminis etiam, & cum omnibus illorum fortitudinibus quæ de cetero vel infra civitatem prædictam, vel infra jam dicta castra, vel infra terminos eorum fient, & cum omni honore ejusdem civita-

Digitized by Google

tis, vel eorumdem caſtrorum, quòd ipſe B. Ato & ſui per eum habeant omni tempore per dominum Ildefoſſum ſæpedictum Regem Arragonenſem, per ſuos ſucceſſores, eos videlicet qui domini fuerint, & ſeniores Barchinoniæ ad ſevum, & quòd donabunt *irati & pacati* poteſtatem Domino Regi prædicto & ſucceſſoribus ejus, dominis videlicet Barchinoniæ, tam de ſupradicta civitate cum omnibus fortitudinibus ejuſdem civitatis, quàm etiam de ſupradictis caſtris, quæ nunc prædicta ſunt, quàm etiam de caſtris & fortitudinibus quæ infra terminos veſtros de cetero fient; quotieſcumque per ſe, vel per nuntios ſuos, vel per nuntium ſuum requiſierint aut demandaverint: & quòd prædictus B. Ato ſit inde & ſucceſſores ſui ſolidus ſuus homo domini Regis, & dominorum Barchinoniæ ſucceſſorum Regis, ſicut homo debet eſſe de ſuo meliori domino, & quòd adjuvet cum ſupradictis caſtris & civitate dominum Regem & ſucceſſores ejus dominos Barchinoniæ contra omnes homines & feminas ſine enganno. Prædictum autem hominium & fidelitatem & ſacramentum faciet B. Ato & ſui ſucceſſores perpetuò R. Berengarij Comiti, & ſucceſſoribus ejus, qui per Comitem Barchinoniæ fuerint domini & ſeniores conſtituti in Comitatu Provinciæ, ſalva, inquam, in omnibus & per omnia fidelitate domini Barchinoniæ ſicut melius dici & intelligi poteſt ſine enganno ejuſdem domini Barchinoniæ.

Quòd ſi ſupradictus B. Ato Vicecomes fal... domino Regi de jam dictis convenientijs, vel fecerit ei malum quod non poſſet aut nollet ei emendare, deveniant omni occaſione & dilatione ceſſante prædicta civitas de Nemauſo, & cetera omnia caſtra ſupradicta cum eorum pertinentiis, in poteſtate Domini Regis, donec jam dictus B. Ato haberet emendatum & directum totum, ad laudamentum Curiæ Regis.

Et ut hæc firmiùs ſinceriúſque teneantur, & fiat Domino Regi & ſucceſſoribus ejus Barchinoniæ ab eodem B. Atone Vicecomite & ſucceſſoribus ejus in æternum, faciet jurare idem B. Ato fidelitatem omnes habitantes in

Digitized by Google

Nemauso & in Arenis, & in aliis omnibus supradictis castris, de quibus Rex voluerit & mandaverit, ut juxta quod prædictum est domino Regi & successoribus ejus attendatur & compleatur sine illorum enganno: & quòd omnes dicti habitantes in civitate & villa de Nemauso, & in ceteris castris supradictis fideles semper existant.

Hæc autem convenientia, sicut superius annotata est, per ordinem ibit in perpetuum inter B. Atonem & successores ejus, & futuros omnes habitantes in Nemauso & omnibus alijs castris prænominatis, & inter præsentes juxta modum prædictum, & Dominum Ildefossum Regem, & successores ejus dominos Barchinoniæ, & Comitem Provinciæ & ejus successores, salva omnino fidelitate ejusdem Domini Barchinoniæ.

Si quis, quod absit, hæc prædicta in aliquo frangeret, in duplo componeret, & præsens carta firma & stabilis *prædicta* permaneret. Actum est hoc apud Biterras præsentibus domino Berengario venerabili Terraconensi Archiepiscopo, Arhaldo & Raimundo de Villamulorum, Mirone Judice de Palatio, Amaldo de Ril. Berengario de Ceritania, Arnaldo de Palatio, Pontio de Mataplana, R. de Olivis, Guidone de Severaco, Guitt. Gros de Marsilia, Guitt. de Castro Azol, Assalito, & quamplurib⁹ Baronibus Curiæ. Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo nono, mense Octobris. Fortunij de Bergoa Arnaldi Morlana, Guillelmus de Bassia scripsit.

Notum fit scire volentibus, quòd ego B. Ato Vicecomes Nemausiensis dono, & in præsentiarum trado tibi Domino Ildefonso illustri per Dei gratiam Regi Arragoniæ, Comiti Barchinoniæ, & Marchioni Provinciæ, meam civitatem de Nemauso cum suis turribus & fortitudinibus, muris & antemuralibus, & cum omnibus suis pertinentijs & terminis sicut melius habeo & habere debeo. Dono etiam tibi castrum meum de Arenis satis propè supradictam civitatem. Dono etiam tibi castrum meum, turrem magnam & castrum de Margaritis, de Caisanicis, de Berniz, de Bebuzim, de Candiaco, de Poscherijs, de Castlano, de Armazanicis, de Albasio

Digitized by Google

ſio, de Hueriis, de Calvitione, de Clarenciaco. Supradictam igitur civitatem de Nemauſo cum turribus & omnibus fortitudinibus ſuis, cum muris & antemuralibus, & cum omnibus pertinentijs & terminis ſuis, & prædicta caſtra omnia cum pertinentiis & terminis ſuis, cum omnibus denique fortitudinibus & fortiis, quæ in prædictis locis vel infra terminos caſtrorum ipſorum de cetero fient, dono & concedo, & trado tibi ſupradicto Ildefonſo Regi gratuita voluntate & animo, ut tu & progenies & poſteritas tua habeas per proprium alodium & francum per ſæcula cuncta, ſicut ego melius habeo & habere debeo, ulla ratione vel modo; tali modo quòd ipſe nec tui non poſſis dare extraneæ perſonæ vel poteſtati, niſi illi qui terram Provinciæ per te tenuerit vel per Comitem Barchinoniæ. Nam & tibi inde & fratri tuo R. Berengario illuſtri Comiti Provinciæ per te facio hominium & ſacramentum corporaliter præſtitum cum fidelitate, quod etiam ego & ſucceſſores mei tenemur facere tibi & ſucceſſoribus tuis, illi videlicet qui Barchinoniam & Provinciam ab indiviſo unus poſt alium habuerint. Quòd ſi ſenioratus Provinciæ ad aliam perſonam quàm ad Dominum Barchinoniæ aliquando convolaverit, ex tunc domino tantùm & ſeniori Barchinoniæ ego & mei tenebimur, & prædictum hominium cum ſacramento & fidelitate ei faciemus & ſucceſſoribus ſuis dominis Barchinoniæ.

Nec eſt prætereundum quòd ſi ſemel aut ſecundò vel eo ampliùs prædictus Comitatus Provinciæ ad Dominũ Barchinoniæ iteratò transferretur, tam Domino Barchinoniæ quàm Domino Provinciæ ſub poteſtate ejus ibi conſtituto tenebimur de hominio ſupradicto cum ſacramento & fidelitate; ſalva ſiquidem omnino fidelitate ejuſdem Domini Barchinoniæ in omnibus & per omnia ſine ſuo inganno. Si quis hæc prædicta tentaret frangere in aliquo, in duplo componeret, & poſtea hæc præſens carta firma & ſtabilis permaneret. Actum eſt hoc apud Biterras in præſentia ſcriptorum virorum & plurium aliorum curiæ Regis Aragonenſis.

Digitized by Google

Ex membranis D. d'Herouval.

PETRUS *REX ARAGONVM donat* GUILLELMO *de Montepessulano Montempessulanum & alia castra, de quibus Guillelmus præstat sacramentum.*

X. IN Christi nomine, sit notum cunctis quòd nos PETRUS Dei gratiâ Rex Aragonum & Comes Barchinonensis, bono animo & spontanea voluntate donamus & concedimus per nos omnes & successores nostros tibi GUILLELMO de Montepessulano, & posteritati & consanguinitati tuæ in perpetuum ad feudum, villam de Montepessulano, & castrum & villam de Latis, & castrum de Paollano quod tibi in præsenti tradimus, & castrum & villam de Omelacio, cum omnibus juribus, & terminis & tenimentis, ac pertinentiis, & appendiciis suis, & cum omnibus dominiis & dominationibus, & jurisdictionibus suis, & cum omnibus castris & villis, & munitionibus sive fortiis, quæ ad prædicta castra & villas, & ad jurisdictionem & dominationem earum & eorum spectant & pertinent, vel spectare & pertinere debent quoquo modo, ubicumque, & qualiacumque, & quantacumque sint, exceptis illis quæ tenere debes per Comitem Tolosanum: Alia autem omnia prædicta cum feudis & feudalibus & retrofeudalibus, cum militibus & hominibus & feminis ibi habitantibus & habitaturis, cum dominicaturis omnibus, cum montibus & planis, cum cultis & incultis, cum nemoribus, sylvis, garricis, arboribus, herbis, pratis, pascuis, pascheriis, cum fontibus, fluminibus, rivis, stagnis, & aliis aquis dulcibus atque salsis, & earum ductibus & reductibus, cum molendinis & furnis omnibus, atque balneis, cum venationibus, piscationibus maris & stagnorum & aquarum dulcium, cum stabilimentis & justitiis omnibus, cum stacamentis, placitis & firmamentis omnium causarum civilium & criminalium, cum hostibus & cavalcatis omnibus, cum

AN. CHR. 1212.

Digitized by Google

quæſtijs, toltis, fortiis, cenſibus, ſervitiis, uſaticis & aliis omnibus *ademrivis*, cum mercatis & nundinis ſive feriis, cum leudis, pedaticis, ribaticis & conſuetudinibus terræ & maris; cum bajuliis & vicariis omnibus, & cum omnibus omnino aliis juribus & cauſis expreſſis hîc & non expreſſis, quæcumque in prædictis omnibus & ſingulis habemus vel habere debemus aliquo modo, aliquo jure, aliqua occaſione, aliqua ratione vel cauſa, & cum omnibus etiam melioramentis quæ ibi tu aut tui feceritis vel facere potueritis umquam.

Promittimus etiam tibi, quod te potenter & fideliter adjuvabimus requirere & recuperare omnia ſupradicta ab illis, qui ea detinent contra voluntatem noſtram; & recipimus te in bona fide noſtra de omnibus ſupradictis, & pro omnibus ſupradictis.

Ego itaque præfatus Guillelmus de Montepeſſulano filius Agnetis feminæ, recipio à vobis domino meo Petro Divina diſpoſitione Rege Aragonum & Comite Barchinonenſi, filio Sanctiæ feminæ felicis recordationis Inclytæ Reginæ Aragonum, hæc omnia ſupradicta modo prædicto, & devenio inde homo & vaſſallus veſter, promittens & conveniens firmiter bona fide quòd fidelis ero vobis de corpore veſtro & membris, & de tota terra veſtra, & de toto jure veſtro, ſicut homo debet eſſe ad ſuum meliorem Seniorem, cui propriis manibus ſe commendat, & ſpecialiter de villa de Montepeſſulano, & de caſtro & villa de Latis, & de caſtro de Paollano quod in præſenti mihi tradidit, & de caſtro & villa de Omelacio, & de omnibus caſtris & villis & munitionibus, quæ ad prædictas villas & caſtra, & ad dominationem & juriſdictionem earum & eorum ſpectant & pertinent, vel ſpectare & pertinere debent, exceptis illis quæ tenere debeo per Comitem Toloſanum, & de omnibus fortiis ſive munitionibus, quæ in terminis vel pertinentiis earum vel eorum, vel in toto honore quem mihi donatis, fient vel conſtruentur umquam: & faciemus de prædictis omnibus ego & omnes mei ſucceſſores pacem & guerram per vos & ſucceſſores veſtros in perpetuum, &

Digitized by Google

præſtabimus etiam vobis & ſucceſſoribus veſtris valentiam & auxilium contra omnes perſonas bona fide ad veſtram cognitionem; & dabimus vobis & ſucceſſoribus veſtris & nuntio & nuntiis veſtris plenam poteſtatem irati & pacati faciendi pacem, placitum & guerram, de prædictis villis & caſtris & fortiis & munitionibus fideliter & potenter, quotieſcumque & quandocumque ammoniti fuerimus vel commoniti per vos vel per nuntium aut nuntios veſtros aut litteras; & de ammonitione vel commonitione non vetabimus nos, nec ſubtrahemus aliquo malo ingenio vel arte.

Ceterum ſi quis vel ſi qui aufert vel auferunt, abſtulerit vel abſtulerint vobis aut mihi prædictas villas, vel caſtra ſeu fortias aut munitiones, vel ipſarum aut ipſorum aliquod, cum illo vel illis finem vel pacem aut concordiam non habebo, uſquequo totum recuperatum habeam, ita quòd amiſſo recuperato teneam & habeam illud per vos modo & forma prædictis.

Omnia ſupradicta prout meliùs ſcripta ſunt & pleniùs intelligi poſſunt, ego prætaxatus GUILLELMUS de Monte peſſulano fideliter obſervabo & adimplebo vobis prænominato Domino meo PETRO Regi Aragonum & ſucceſſoribus veſtris, & ita me fideliter obſervaturum bona fide per ſtipulationem ſolemnem vobis ſtipulanti promitto, & etiam ſub hominio, quod vobis pro dicto feudo junctis manibus facio; quod totum etiam per ſacroſancta Evangelia corporaliter à me tacta ſponte juro, ſtatuens in perpetuum quòd ſucceſſores mei eamdem formam fidelitatis, idem hominium, conſimile ſacramentum vobis & ſucceſſoribus veſtris in Regno Aragoniæ facere teneantur.

Datum Toloſæ nono Kalendas Februarij, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo duodecimo. Signum PETRI Dei gratiâ Regis Aragonum & Comitis Barchinonenſis: Signum GUILLELMI de Montepeſſulano qui hoc firmo & laudo. Huic rei præſentes interfuerunt *Guillelmus* Durfortis, *Petrus* Almairanus, *Raimundus* Seguinus, & *Bononatus* Scriptor Domini Regis.

Digitized by Google

Teſtes hujus rei ſunt RAIMUNDUS Dux Narbonenſis, Comes Toloſæ, & Marchio Provinciæ, RAIMUNDUS Rotgerij Comes Fuxenſis, BERNARDUS Comes Convenarum, Domnus NUNO Sancij, EXIMINUS Cornelij, *Garſſia* Romei, *Michael* de Luſia, *Raimundus* de Monte catano, *Raimundus* Gaucerandi de Pinos, *Raimundus* de Ripollis, *Raimundus* de Caſtro-vetulo, *Guillelmus* de de Cervaria, *Guillelmus* de Cervilione', *Guillelmus* de Monte-Catano, *Guillelmus* Raimundi Seneſcalcus, *Azſenarius* Pardi, *Arnaldus* de Alaſcuno, *Arnaldus* Palacini, ASSALLITUS de Gudal, *Petrus* de Aoniſio, *Petrus* Berengarij de Rivo pirorum, *Petrus* Martini de Leheth, *Petrus* Pardi, *Bernardus* de Portella, *Bernardus* de Talamanca, *Bernardus* de Sentellis, *Bernardus* Ermangaudi de Fraxianeto. Signum *Bononati* qui mandato Domini Regis pro Ferrario ſuo hoc ſcripſit loco, die & anno præfixis.

CONCORDIA FACTA INTER JACOBUM *Regem Aragonum & Magalonenſem Epiſcopum.*

Ex chartis D. d'Heroual.

XI. CUm controverſia verteretur inter illuſtrem dominum JACOBUM Dei gratia Regem Aragonum, Majoricarum & Valenciæ, Comitem Barchin. & Urgelli, & dominum Montiſpeſſulani ex una parte, & Venerabilem JOHANNEM eadem gratia Magalonenſem Epiſcopum ex altera; ſuper diverſis & multis quæſtionibus ratione juriſdictionis Montiſpeſſulani & Montiſpeſſulanenſi & ſuburbium eiſdem pertinentium; videlicet ſuper omnibus appellationibus, querimoniis de domino Rege ad Epiſcopum faciendis ſuper Conſulatu, Juſticiis reorum, Juriſdictione habitatorum Villæ-franchæ & Campi Arbrandi, ſuper ſexterali *, ricorda, ferro, pondere, & cuppis, & ſacramento fidelitatis, & exercitu hominum habitantium in parte Epiſcopi, & ſuper cenſu ac taliis Judæorum in parte Epiſcopi habitantium, & ſuper tertia parte laudimiorum & juſtitiarum Curiæ

AN. CHR. 1241.

* à ſectario.

Digitized by Google

Episcopi: qui post multas & varias altercationes, mediante venerabili B. Dei gratia Bitterensi Episcopo ad invicem composuerunt amicabiliter in hunc modum: Videlicet quòd à domino Rege & successoribus suis, vel locum suum tenentibus, ad Episcopum numquam appelletur à judiciis, causis, sive aliquibus inquisitionibus in Curia sua, vel in aliis in quibus appellatio esset necessaria: sed ipse dominus Rex & sui successores suis judicibus terminet & definiat ipsas appellationes.

Item quòd si aliquis de Jurisdictione domini Regis de eo conqueratur Episcopo, idem Episcopus se non intromittat nec audiat, sed idem dominus Rex per judices ab eodem domino Rege datos faciat terminari. Episcopus verò diffinit in perpetuum si quod jus habebat vel habere debebat in Consulatu; quod jus domino Regi & suis donat. Dimittit etiam idem Episcopus in perpetuum domino Regi justiciam sanguinis damnandorum habitantium in parte Episcopi, ita quòd Bajulus Episcopi vel aliquis pro eo capiat illos, quibus captis statim tradat eos Bajulo domini Regis, & in Curia domini Regis ventiletur causa, & Bajulus domini Regis in cognitione illorum vocet Bajulum Episcopi, & illo præsente, vel alio loco ipsius, procedat in factum, & ut jus dictaverit eos puniat. Tamen si Bajulus Episcopi bis aut ter citatus noluerit vel non potuerit interesse, nihilominus Bajulus domini Regis procedat ad condemnationem faciendam & ad captionem, si Bajulus Episcopi per se vel per alium noluerit capere illos. Et si bona damnati sive sint in parte domini Regis sive in parte Episcopi debeant devolui ad fiscum, sive cadant in commissum, bona quæ erunt in parte domini Regis mobilia vel immobilia domino Regi committantur: & similiter ea quæ erunt in parte Episcopi, Episcopo committantur.

Habeat insuper dominus Rex in perpetuum sexterale, cordam, ferrum, pondus, leidas & cuppas partis ipsius Episcopi, & omne jus quod in iis idem Episcopus habebat. Concedit etiam Episcopus quòd dominus Rex & successores sui habeant, & exigant per se vel per alios

Digitized by Google

recipiant ſacramentum fidelitatis ab hominibus in parte Epiſcopi habitantibus ; & hoc fiat quandocumque mutabitur dominus in Montepeſſulano.

Dimittit ſiquidem dominus Rex & diffinit Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus juriſdictionem quam habet in campo Atbrandi, & hoc quod habet in porta Abilionis uſque ad domum quæ quondam fuit R. Lamberti ; & quod præco Epiſcopi poſſit exire extra villam per viam illam. Concedit & donat dominus Rex eidem Epiſcopo in perpetuum inſulam quam habet in Montepeſſulanento cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis , & quidquid juris habet in Montepeſſulanento, præterilla quæ in hoc inſtrumento excipiuntur. Dimittit etiam dominus Rex eidem Epiſcopo in perpetuum tertiam partem laudimiorum & juſtitiarum , quam petebat in Curia ipſius Epiſcopi.

Item compoſuerunt ad invicem quòd de taliis & cenſibus Judæorum in parte Epiſcopi habitantium , habeat dominus Rex, & ſui in perpetuum medietatem, & aliam medietatem Epiſcopus.

Item concedit & dimittit Epiſcopus quòd quotieſcumque univerſitas Montiſpeſſulani fecerit exercitum , illi de parte Epiſcopi exercitum facere teneantur. Habeat autem dominus Rex in perpetuum juriſdictionem hominum habitantium in Villa francha. Dominus verò Rex, vel vices ſuas gerens in Montepeſſulano , cum omnibus hominibus Montiſpeſſulani defendant & juvent dictum Epiſcopum & Eccleſiam Magalonenſem.

Et eſt ſciendum, quòd dominus Rex & ſucceſſores ſui in Montepeſſulano recipiunt omnia quæ eidem ab Epiſcopo ſunt conceſſa & donata ſuperiùs , in feudum ab Eccleſia Magalonenſi ſub forma qua tenet feudum Montiſpeſſullani.

Et quoties dominus mutabitur in Montepeſſulano omnia ſupradicta , promittat ſub ſacramento quod debet præſtare Eccleſiæ & Epiſcopo Magalonenſi. In omnibus aliis , exceptis ſupraſcriptis , habeat unuſquiſque plenariam juriſdictionem in parte ſua.

Digitized by Google

Et hæc omnia ſupradicta tam dominus Rex quàm Epiſcopus laudaverunt & approbaverunt, & in perpetuum pro ſe & ſuis ſucceſſoribus bona fide ſervare & attendere promiſerunt; & in aliquo numquam contra venire. Datum Montepeſſulano quarto Idus Martij, anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo.

Teſtes ſunt hujus rei, V. Epiſcopus Bitterrenſis. B. de Cervoria. S. Præpoſitus Magalonenſis. R. de Conchis. G. de Bello-loco Domini Regis Notarius. V. de Manſo Succentor Bitterrenſis. Signum Guillelmoni ſcriptoris, qui mandato & voluntate utriuſque partis hæc ſcripſit loco & die & anno præfixis.

Ex chartis ſuis exſcripſit D. d'Herouval.

EDVARDI PRIMOGENITI Regis Angliæ Litteræ procuratoriæ ad contrahendum matrimonium cum Alienora ſorore Regis Caſtellæ.

AN. CHR. 1254. XII. OMnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis vel audituris, EDOUARDUS illuſtris Regis Angliæ primogenitus & heres ſalutem. Licèt in contrahendis matrimoniis nomine filiorum familiâs ſecundùm ritum & morem antiquorum, parentum conſenſus ſufficere conſueverit, cùm patrum pietas conſilium capiat plerumque pro liberis, decens tum credimus & honeſtum verò ut in matrimonium contrahendum inter nos ex parte una, & inclytam puellam ALIENOREM ſororem præcellentis Regis Caſtellæ & Legionis ex altera, cujus venuſtatem & prudentiam fama atteſtante cognovimus, propter antiquæ conſuetudinis obſervantiam ſpecialem præbeamus aſſenſum, cùm ea quæ ex abundanti fuerint jus commune non lædant, nec per hoc obtentæ conſuetudini derogetur, ſed videntiùs approbetur. Proinde notum fieri volumus univerſis, quòd non ſolùm ad patris noſtri domini HENRICI Regis Angliæ juſſum & conſenſum, & reverendiſſimæ matris noſtræ Alienoræ Reginæ Angliæ beneplacitum, ſed etiam

Digitized by Google

etiam volentes & Spontanei in dictum matrimonium nostro nomine contrahendum, quantum in nobis est, per has litteras nostras patentes expresse consentimus in statu legitimæ ætatis ad contrahendum, in quo nos existere profitemur: ad hoc avunculorum & aliorum parentum nostrorum, Magnatum & Nobilium, Cleri & populi totius Regni Angliæ accedente consensu.

Hinc est quòd dilectum & specialem nostrum JOHANNEM Mansell. Cancellarium Londonensem, ac Præpositum generalem, præfati patris nostri Secretarium, quem ejusdem patris nostri prudentia prælegit ad hoc negotium prosequendum, procuratorem nostrum & nuncium constituimus ad matrimonium nostro nomine contrahendum per verba de præsenti cum antedicta nobili ALIENORA, prædicti Regis Castellæ & Legionis sorore, & ad ea omnia agenda quæ in assensum matrimoniis contrahendis fuerint necessaria: firmiter promittentes nos ratum & firmum habituros quidquid super hoc nomine nostro duxerit faciendum. Ad cujus rei securitatem plenam damus eidem potestatem in animam nostram præstandi cujuslibet generis sacramentum, quodcumque fuerit necessarium ad præmissum negotium prosequendum & complendum: & si fortè quod absit prædictus JOHANNES Mansell. patris nostri Secretarius in via deficiat, loco sui dilectum & specialem Clericum nostrum JOHANNEM Clarell. substituimus eidem in omnibus, eamdem dantes potestatem circa prędictum negotium prosequendum, quam prædicto Johanni Mansell. dedimus & præscripsimus sub forma superiùs declarata. Cujus factum in præmisso negotio nomine nostro prosequendo tenere firmiter promittimus & observare, ac super hoc inspectis & tactis sacro-sanctis Evangeliis corporale præstitimus sacramentum. Datum apud sanctum Macarium die Jovis in crastino Beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

Digitized by Google

D. d'Herouval. communicavit.

ARTAUDUS DE ROSSILIONE *filium suum* GUILLELMUM *emancipat, dátque ipsi Castrum-novum.*

AN. CHR. 1257. XIII. JOHANNES divinâ miseratione sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis rei gestæ noticiam cum salute. Noveritis quòd constitutis coram nobis nobili viro ARTAUDO domino de Rossilione Viennensis Diœcesis, & GUILLELMO ejusdem filio. Idem ARTAUDUS* non coactus, non circumventus, non dolo inductus, sed spontaneâ voluntate dictum Guillelmum filium suum præsentem, volentem, & consentientem emancipat, & per emancipationem solemnem liberat à sacris paternis & sua propria potestate per hæc verba:

* *sive* Arthaldus.

» Nos Artaudus dominus de Rossilione GUILLELMUM
» filium nostrum in præsentia Domini JOHANNIS Archie-
» piscopi Viennensis emancipamus, & per emancipatio-
» nem liberamus à nostra propria potestate; dantes eidem
» Guillelmo liberam potestatem & auctoritatem agendi,
» contrahendi in judicio & extra, testandi, & omnia alia fa-
» ciendi quæ ad patremfamilias sui juris pertinēt facienda.

Nos verò supradictus Archiepiscopus adhibitis solemnitatibus omnibus, quas in tali negotio jus requirit, huic præsenti emancipationi auctoritatem nostram interponimus, ut est juris.

Hâc factâ emancipatione supradictus Artaudus supradicto Guillelmo suo emancipato benemerito, præsenti & recipienti nostrâ simplici & irrevocabili donatione inter vivos, dat, & titulo perfectæ donationis tradit, vel quasi, & concedit in perpetuum castrum suum, quod vulgariter appellatur Castrum-novum, cum mandamento, districtu & jurisdictione, & cum omnibus juribus, feudis, bannis, justitiis, dominiis, homagiis, hominibus, terris, pratis, nemoribus, censibus, vineis, aquis, aquarúmque decursibus, pascuis, paludibus, reditibus

Digitized by Google

proventibus, eschautis & obventionibus, & aliis omnibus pertinentiis dicti castri, & cum omnibus aliis, quæ ad ipsum Artaudum ratione dicti castri & mandamenti, districtûs & jurisdictionis pertinent, & possunt modo aliquo pertinere. De quibus omnibus dictus Artaudus se devestiens, vel quasi, dictum Guillelmum investit & constituit possessorem, vel quasi: & in signum traditæ possessionis, vel quasi, prædictus Artaudus supradictorum castri, mandamenti, jurisdictionum, & districtus, & aliorum jurium & pertinenciarum ejusdem castri per unum diem tantùm sibi retinet usumfructum; dans eidem Guillelmo licentiam & auctoritatem apprehendendi elapso die corporalem possessionem, vel quasi, prædictorum omnium castri, mandamenti, jurisdictionum & districtus, cum pertinentiis universis.

Hæc autem omnia & singula supradicta, prout dicta sunt & narrata, firma tenere & adimplere, & contra non venire supradictus Artaudus dicto Guillelmo stipulanti promittit & jurat, tactis ab eodem Artaudo Evangelijs sacrosanctis. Renuncians idem Artaudus in hoc facto ex certa scientia, & sub virtute juramenti præstiti, de jure suo primitus certioratus doli metus & infactum, actioni & exceptioni, & juri, donationes absque insinuatione factas ultra quingentos aureos reprobanti, & omni alii juris defensioni, auxilio & beneficio, quibus contra prædicta venire posset, vel eadem aliquatenus impugnare.

Et Nos prædictus Archiepiscopus factâ insinuatione coram nobis, sicut de jure fieri debuit, supradictis omnibus mandato nostro in scriptis redactis, ad preces dictorum Artaudi & Guillelmi præsentem chartam sigilli nostri munimine roboramus in testimonium prædictorum. Et Nos supradictus Artaudus prædicta omnia vera esse confitentes, præsenti chartæ impressionem sigilli nostri appendimus ad majorem certitudinem promissorum omnium. Actum Viennæ in Bastita nostra quarto Idus Februarii, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, præsentibus testibus, PETRO

Digitized by Google

Guichardi Milite, GUILLELMO Præpoſito de Roſſilione, HUGONE de Coindriaco Clerico Viennenſi; & pluribus aliis vocatis & rogatis.

Communicavit D. d'Herouval.

ARTAVDI DE ROSSILIONE donatio facta Guillelmo filio emancipato.

AN. CHR. 1260. XIV. UNiverſis præſentes litteras inſpecturis Magiſter J. Offic. Curiæ Viennenſis rei geſtæ notitiam cum ſalute. Noveritis quòd nobilis vir ARTAUDUS dominus de Roſſilione Viennenſis Diœceſis, in noſtra præſentia conſtitutus GUILLELMO filio ſuo emancipato benemerito coram nobis præſenti & recipienti, & ſucceſſoribus ſuis dat, & titulo puræ & perfectæ donationis inter vivos tradit, vel quaſi cedit & concedit in perpetuum hæc quæ inferiùs continentur: videlicet caſtra ſua de Roſſilione, & de Syureu, & de Riviria, & de Dalgoyri, cum burgis & mandamentis & juribus, feudis & uſagiis eorumdem, & ſpecialiter pedagium per terram & aquam de Roſſilione, & quidquid idem dominus habet & habere debet apud ſanctum Romanum Engereis. Item gardiam de Mornont cum omni dominio dictorum caſtrorum, & aliorum bonorum ſuperiùs expreſſorum, & cum omnibus feudis & dominiis ſuis & homagiis ſibi debitis ubicumque ſint.

Retinet tamen prædictus dominus ARTAUDUS ſibi quamdiu vixerit prædictorum omnium uſum-fructum. Item retinet dictus dominus Artaudus quòd de terris planis & aliis bonis ſuis, exceptis fortalitiis, & dominiis, & feudis aliis, filiis ſuis quod ſibi videbitur poſſit dare, & pro anima ſua & parentum ſuorum in pias cauſas relinquere & legare. De quibus rebus donatis ſupradictus Artaudus ſe deveſtiens dictum Guillelmum filium ſuum inveſtit, & conſtituit poſſeſſorem vel quaſi, conſtituens ſe pro dicto Guillelmo filio ſuo prædictorum bonorum datorum omnium poſſeſſorem, vel quaſi. Quæ

Digitized by Google

omnia & ſingula ſupradicta prout dicta ſunt & narrata, firma tenere & adimplere, & non contravenire ſupradictus dominus Artaudus dicto Guillelmo filio ſtipulanti promittens, tactis ab eodem domino Artaudo ſacroſanctis Evangeliis firmat proprio juramento.

Renuncians idem dominus Artaudus ex certa ſcientia, & ſub vinculo juramenti ab eodem præſtiti, de jure ſuo certioratus primitus, doli metus & infactum, actioni & exceptioni, & juri immenſam donationem factam in filios reprobanti, & juri dicenti, donationem ultra quingentos aureos abſque inſinuatione factam non valere: & omnibus cauſis ingratitudinis, privilegio fori, & juri dicenti, generalem renunciationem non valere: & omni alii juri, defenſioni, auxilio & beneficio, per quæ contra prædicta venire poſſet, vel eadem aliquatenus impugnare.

Actum duodecimo Kalendas Auguſti, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo. In cujus rei teſtimonium nos ſupradictus Officialis ad preces ſupradictorum domini Artaudi & Guillelmi filii ſui præſentem chartam mandato noſtro ſcriptam, factâ inſinuatione prout in tali negotio jus requirit, ſigilli noſtri munimine roboramus. Et inſuper nos ſupradictus Artaudus Dominus de Roſſilione præſentem chartam impreſſionibus ſigillorum Reverendi Patris & Domini J. Dei gratia Archiepiſcopi Viennenſis, & noſtri, fecimus communiri ad majorem certitudinem præmiſſorum.

PETRUS *FILIUS REGIS ARAGONUM dotem* CONSTANTIÆ *uxori ſuæ conſtituit.*

Ex Chartul. D. d'Heronval.

XV. NOverint univerſi quòd nos Infans PETRUS filius illuſtris domini JACOBI Dei gratiâ Regis Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, Comitis Barchinonæ & Urgelli, & domini Montiſpeſſulani, confitemur & recognoſcimus vobis dominæ CONSTANTIÆ filiæ illuſtris MANFREDI Regis Siciliæ dilectæ uxori noſtræ, quòd tempore quo contraximus

AN. CHR. 1262. vel 1264.

Digitized by Google

vobiscum matrimonium assignavimus, de voluntate & assensu prædicti domini Regis patris nostri, atque obligavimus, & hypothecavimus pro dote vestra, quæ est in summa quinquaginta millium unciarum auri, Comitatum Rossilionis, Comitatum Ceritaniæ & Confluentis & Vallispirii, & Comitatum Bisúldoni ac de Pratis: Villas Calidarum & Lagustariæ cum omnibus juribus, justitiis, rationibus & pertinentiis suis, sicut hæc continentur in Instrumento inde confecto, cujus series sic se habet:

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, Amen. Anno ejusdem Incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, Idus Junij. Pactorum declaratio pacem mittit, sepelit materiam jurgiorum, & specialiter in matrimonii fedære, in quo per parentelæ vinculum veri amoris & pacis concordia, concordiæ puritas, & puritatis integritas copulatur. Ideóque nos JACOBUS Dei gratiâ Rex Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, Comes Barchinonæ & Urgelli, & dominus Montispessulani: Et nos PETRUS Infans ejusdem domini Regis filius, in præsentia infra scriptorum virorum Optimatum terrarum, & Guidonis Capitisporci judicis Curiæ Montispessulani, præsenti scripto fatemur pro contractu matrimonii inter nos prædictum PETRUM, & illustrem dominam CONSTANTIAM domini MANFREDI illustris Regis Siciliæ filiam, nos præsentialiter recepisse, & recepimus à vobis domino BONIFACIO de Anglano egregio Comite Montisalbani, & avunculo dicti domini Regis Siciliæ speciali nuncio & Procuratore ipsius, de quo plenè constitit numerantibus, solventibus & assignantibus pro parte ipsius domini Regis Manfredi nomine dotis pro prædicta CONSTANTIA filia ejus, uxore nostri prædicti Petri inter aurum argentum & lapides pretiosos incastatos* ad pondus Regni Siciliæ viginti quinque millia unciarum auri, videlicet in auro novem millia centum octuaginta uncias, ac in auro, argento & lapidibus pretiosis incastatis communi æstimatione æstimatas, quindecim millia octingentas & viginti, ad dictũ pondus

Gal. * *encastrées*, vel *enchassées* vbi cavus annuli, vulgò *le Chaston*, castum latinè.

Digitized by Google

de summa quinquaginta millium unciarum, quas dominus GIROLDUS de Posta Major, de Jonevassio, voluntate ac consensu prædicti Domini Regis Aragonum patris, nomine dotis pro dicta domina Constantia: Alia verò viginti quinque millia unciarum auri tam in auro ponderato, quam in auro, argento, & lapidibus pretiosis æstimanda: idem dominus Rex MANFREDUS solvet nobis in terminis subscriptis, videlicet in Festo Resurrectionis proximè futuro præsentis quintæ Indictionis, in Civitate Januæ duodecim millia & quingentas uncias, & reliqua duodecim millia & quingentas uncias solvendas nobis in eadem civitate in fine unius anni à prædicto festo Resurrectionis numerandi; licet dictus dominus Rex MANFREDUS obligasset se soluturum nobis prædicta viginti quinque millia unciarum auri reliqua, breviore termino; quia placuit nobis ipsum terminum dicto domino Comiti, pro parte dicti domini Regis Manfredi velut suo nuntio prorogare.

Prædictam autem quantitatem viginti quinque millia unciarum auri integraliter recepimus, & penes nos habemus: renunciantes exceptioni non numeratæ pecuniæ dotis doli, & non electi aut ponderati auri, & exceptioni non electorum lapidum preciosorum, seu minus infra æstimationem æstimatorum. Pro quibus dotibus sponte & expressè obligamus & impignoramus eidem domino Regi MANFREDO, pro parte dictæ dominæ Reginæ CONSTANTIÆ, & eidem dominæ Constantiæ Comitatum Rossilionis, Comitatum Ceritaniæ & Confluentis, & Vallispirii, & Comitatum Besaudini & de Pratis; Villas Calidarum & Lagustariæ, cum omnibus juribus & rationibus suis pro dicta dote. Si casus restitutionis acciderit, tali pacto scilicet quòd si dictam dominam Reginam præmori contigerit, integraliter prædictam quantitatem quinquaginta millium unciarum auri, excepto eo quòd dicta domina CONSTANTIA legabit pro anima sua usque ad summam decem millium unciarum auri. Et si contigerit nos prædictum PETRUM præmori, eadem domina superstite, communibus legitimis liberis

Digitized by Google

& prole, obligamus nos nostróſque heredes eidem domino Regi MANFREDO & dominæ CONSTANTIÆ integras prædictas dotes tam in pecunia, quàm in rebus æstimatis restituere, concessâ eis licentiâ & plenariâ potestate, prædictos Comitatus, villas & terras obligatas capiendi, possidendi & usufruendi, donec dotes ipsæ eidem domino Regi & dominæ Constantiæ, vel eorum heredibus integrè restituantur, & percipiant interim reditus & proventus ex eis pro victu & necessariis ejusdem dominæ annuatim duobus millibus libris Turonensibus, reliquam quantitatem redituum computent ipsi in sortem domini prædictarum *, contradictione nostra, nostrorúmque heredum seu successorum omnino remotâ.

f. * dotis prædictæ.

Item quòd si contingeret nos PETRUM prædictum præmori superstitibus nostris filiis & prole ex eadem domina Regina susceptis, eadem domina tenebit & gubernabit Comitatus & terras prædictas, & percipiet reditus & proventus ex eis, & nutriet & gubernabit communes filios usque dum pervenerint ad ætatem viginti annorum: dum tamen eadem domina ad secunda vota non convolet.

Quæ omnia præscripta pacta promittimus & juramus bona fide servare sine dolo & fraude, & in nullo contravenire vel in aliquo prædictorum. Renuntiantes omni auxilio juris tam Canonici quam civilis, quo contra prædicta vel prædictorum aliquod venire possemus. Renunciantes omni auxilio juris consuetudinarii, unde ad futuram memoriam præfati domini Regis MANFREDI & prædictæ dominæ CONSTANTIÆ, & ipsorum heredum cautelam, præsens scriptum publicum exinde fieri jussimus per manum Raimundi Doscha publici Notarij Montispessulani, sigillo & subscriptionibus Nobilium & dicti Judicis, qui rogati interfuerunt, roboratum. Acta fuerunt hæc solemniter & laudata apud Montempessulanum anno & die præfixis.

Ego Raimundus Doscha publicus Montispessulani Notarius prædicta omnia & singula mandato prædicti domini

Digitized by Google

domini Regis Aragonum & dicti domini Petri Infantis filii ejuſdem, hæc ſcripſi, & ad majorem firmitatem & fidem in hoc præſenti Inſtrumento appoſui ſignum meum.

Verùm quia poſt prædicta dominus Rex pater meus fecit ordinationem & diviſionem Regnorum, & terrarum ſuarum inter nos & Cariſſimum Infantem JACOBUM fratrem noſtrum, & prædicti Comitatus Roſſilionis, Ceritaniæ & Confluentis, & Valliſpirii, & locus de Pratis devenerunt in partem & in hereditatem prædicti Infantis JACOBI Cariſſimi fratris noſtri: Nos de voluntate & aſſenſu prædicti domini Regis patris noſtri ad veſtram utilitatem & majorem ſecuritatem reſpectum habentes, ut in Regnis & in terris pro noſtra hereditate nobis aſſignatis, obligationem dotis veſtræ prædictæ habeatis. Hanc vobis permutationem facimus quòd pro omni obligatione & aſſignatione, quæ ratione dictæ dotis veſtræ vobis facta erat in prædictis Comitatibus Roſſilionis, Ceritaniæ & Confluentis, & Valliſpirii, aſſignamus & obligamus & hypothecamus vobis de præſenti pro dicta dote veſtra in Regno Valentiæ, Caſtrum & villam de Paniſcola, Caſtrum & villam de Onda, Caſtrum de Almenar, Caſtrum de Uxo, Caſtrum & villam de Exatara, Caſtrum & villam Alfandet de Alaraganen cum alqueriis, villis & pertinentiis ac juribus ſuis univerſis, & etiam prædictum Comitatum Viſuldoni, & ſupradictas villas Calidarum & Loguſtarum cum omnibus juribus, terminis & pertinentiis ſuis.

Quæ omnia jure noſtræ obligationis prædictæ habeatis & teneatis: ita tamen, quòd ſi contigerit vos præmori nobis ſine filiis ex nobis ambobus legitimè procreatis, tota dicta dos veſtra revertatur ad illuſtrem Regem MANFREDUM patrem veſtrum, exceptis decem millibus unciarum auri de quibus veſtram poſſitis facere liberè voluntatem. Si autem nos præmori vobis contigerit, omnia prædicta vobis obligata habeatis & teneatis, & omnes fructus, reditus & proventus integrè percipiatis: ita tamen quòd pro ſumptibus &

Digitized by Google

alimentis vestris habeatis & recipiatis quolibet anno de prædictis fructibus & reditibus duo millia librarum Turonensium. Reliquam verò quantitatem dictorum fructuum & proventuum omnium habeatis & recipiatis vos & vestri successores in solutionem sortis dotis vestræ prædictæ. Qua quidem dote vobis soluta per perceptionem dictorum redituum & proventuum, vel per solutionem vobis vel vestris factam ad heredibus nostris, omnia prædicta castra, Comitatus, villæ, & omnia alia quæ vobis obligavimus pro dicta dote vestra, nostris heredibus integrè revertantur.

Item si filii ex nobis & vobis procreati post mortem nostram supereſſent, vos teneatis & habeatis prædictos Comitatus, Castra & villas superiùs vobis obligatas, & percipiatis integraliter omnes fructus, reditus & proventus ex eisdem Commitatu, castris & villis provenientes pro sumptibus vestris & filiorum nobis & vobis communium. Quos quidem filios manuteneatis & gubernetis, quousque pervenerint ad ætatem viginti annorum; dum tamen vos ad secunda non convoletis vota. Postquam autem filii pervenerint ad dictam ætatem viginti annorum, vos ex fructibus & proventibus prædictorum castrorum, Comitatus & villarum habeatis dicta duo millia librarum quolibet anno, & residuum ipsorum redituum & proventuum recipiatis in solutionem dotis vestræ prædictæ, ut superiùs est dictum.

Et ut prædicta majori gaudeant firmitate, juramus per Deum & ejus sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, prædicta omnia & singula inviolabiliter observare, & non in aliquo contravenire.

Ad hoc nos infans Jacobus filius prædicti domini Regis, de voluntate & assensu ejusdem domini Regis patris nostri, gratis & cõsultè & ex certa scientia laudamus, approbamus & confirmamus omnia supradicta & singula, prout superiùs continentur. Et ad majorem securitatem promittimus & juramus per Deum & ejus sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, quod nunquam contra prædicta, vel aliqua de prædictis venie-

Digitized by Google

mus per nos, vel interpositam personam aliquo jure vel aliqua ratione.

Nos etiam JACOBUS Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum & Valenciæ, Comes Barchinonæ & Urgelli, & dominus Montispessulani, laudamus, approbamus, & confirmamus vobis prædictæ dominæ CONSTANTIÆ omnia supradicta & singula, prout superiùs continentur. Et ut hæc majori gaudeant firmitate promittimus vobis & juramus per Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, contra prædicta vel aliqua prædictorum non veniemus, immo ea inviolabiliter observabimus. In hujusmodi autem rei testimonium præsentem chartam sigillo nostro, & sigillis dictorum Infantis PETRI & Infantis JACOBI filiorum nostrorum fecimus roborari. Datum apud Barchinonam pridie Idus Novembris, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

Signum JACOBI Dei gratiâ Regis Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, Comitis Barchinonæ & Urgelli, ac domini Montispessulani, qui prædicta omnia laudamus, firmamus, & juramus.

Signum nostri Infantis PETRI filii Illustris Regis Aragonum supradicti, qui hæc omnia supradicta laudamus, firmamus, & juramus.

Signum Infantis JACOBI filii prædicti domini Regis Aragonum, qui hæc omnia supradicta laudamus, firmamus, & juramus.

Testes sunt hujus rei *Bernardus* de Vico Judex ordinarius prædicti domini Regis in Gerunda; *Gerardus* de Minorica Judex prædicti domini Infantis PETRI; *Gerardus* de Bolcis Notarius ejusdem domini Infantis Petri; *Guillelmus* de Rocha folio de Monteplano; & *Guillelmus* Draperii Scriptor prædicti Infantis JACOBI.

Signum *Petri* Marci Notarij publici Barchinonensis, qui in absentia dominæ CONSTANTIÆ, de mandato domini Regis, & eorum Infantis Petri, & Infantis Jacobi, hæc scripsit & clausit cum litterris appositis in linea XXIII. ubi scribitur, *Et locus de Pra-*

Digitized by Google

tis, & cum litteris clausis & emendatis in linea XXVI. ubi dicitur, *Supradictas*: Die & anno quo suprà.

Ex Chartul. D d'Heronval.

CONVENTIONES PRO MATRIMONIO contrahendo inter JOHANNAM *filiam* BLANCHÆ *Reginæ Navar. & filium primogenitum* PHILIPPI III. *Regis Franc.*

AN. CHR. 1275.

XVI. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quòd inter nos & carissimam consanguineam nostram BLANCHAM Reginam Navarræ, Campaniæ Briæque Comitissam Palatinam super matrimonio contrahendo inter filiam suam JOHANNAM heredem unicam Regni & Comitatuum prædictorum, & unum ex duobus primogenitis nostris, qui per dispensationem Sedis Apostolicæ eam habere potuerit in uxorem, tales factæ sunt conventiones, videlicet quòd nos & Regina prædicta curam adhibebimus diligentem, & operam dabimus efficacem, quòd dictus filius noster, & Johanna prædicta constituta in ætate sufficienti ad sponsalia contrahenda, ad sponsalia se obligent. Et quando dicta JOHANNA ad nubilem ætatem venerit, dictus filius noster eam accipiet in uxorem, & ipsa eum recipiet in maritum, nisi turpis infirmitas, vel enormis deformitas, aut aliud impedimentum rationabile appareret in alterutra personarum ipsarum ante contractum matrimonium inter ipsas. Et si contingat quòd filius noster, qui dictam JOHANNAM uxorem habebit, nobis in Regno non successerit, volumus & concedimus quòd ipsa Johanna habeat pro dotalitio suo quatuor millia librarum Parisiensium annui reditus in terra quæ eidem filio nostro assignabitur: si verò contingat eum nobis in Regno succedere, majus dotalitium eidem assignabitur ad arbitrium nostrum vel ejusdem heredis, si de nobis

Digitized by Google

aliquid humanitus contingeret antequam fieret matrimonium inter ipsos. Præmissas autem conventiones promittimus nos bona fide servaturos, & fideliter impleturos, ad hoc nos & heredem qui nobis in Regno successerit obligantes.

Prædicta verò Regina eadem conventiones juravit ad sancta Dei Evangelia se firmiter servaturam, & toto conamine suo fideliter impleturam, & quòd contra eas per se vel per alios non veniet in futurum.

Actum est etiam inter nos, quòd Reginæ prædictæ in ballio* filiæ suæ, aut in dotalitio suo, aut in conquestibus, quos habere debet in terris prædictis, aut aliis juribus suis per prædictas conventiones nullum omnino præjudicium generetur. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Aurelianis anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense Maïo.

Gal. * *le bail, la garde, tuttle.*

CONCORDIA INTER JACOBUM *Regem Aragon. &* JACOBUM *Regem Majoric.*

Ex membranis D. d'Herouval

XVII. IN nomine Domini Amen. Pateat universis præsentis Instrumenti publici seriem inspecturis, Quòd nos JACOBUS Dei gratiâ Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ, ac Comes Barchinoniæ; Et nos JACOBUS per eamdem Rex Majoricarum, Comes Rossilionis & Ceritaniæ, ac dominus Montispessulani, præsente, volente, auctorisante, ac suum expressum consensum præstante honorabili domino PHILIPPO de Majoricicis patruo ac tutore nostri dicti Majoric. Regis, quòd nos dictus PHILIPPUS, qui præsentes sumus, sic esse asserimus & fatemur, scientes jamdudum compositionem seu transactionem fore factam inter illustrem dominum Petrum bonæ memoriæ Regem Aragonum, patrem nostri Jacobi Regis Aragonum prædicti ex una parte, & illustrem dominum Jacobum recolendæ me-

AN. CHR. 1327.

Digitized by Google

moriæ Regem Majoricarum, avum paternum nostri Jacobi Regis Majoricarum prædicti ex altera, super Regno Majoricarum cum Insulis eidem adjacentibus, & super Comitatibus & terris Rossilionis, Ceritaniæ, Confluentis & Vallispirio, & Caucolibero, & super Montepessulano, cum Castris & villis dominationis Montispessulani, prout in quodam publico instrumento inde facto in Claustro domus Fratrum Prædicatorum Perpiniani tertio decimo Kalendas Februarij, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, scriptóque per Arnaldum Mironi scriptorem publicum Perpiniani latiùs continetur.

Scientes etiam subsequenter dictam compositionem seu transactionem fore renovatam, laudatam & approbatam inter nos JACOBUM Regem Aragonensem prædictum ex una parte, & dictum JACOBUM quondam Regem Majoricarum ex altera, prout in alio publico instrumento inde facto in castris prope Argilers Elnensis Diœcesis in festo Apostolorum beatorum Petri & Pauli, videlicet tertio Kalendas Julij, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, scriptóque per Michaelem Rotlandi Notarium publicum Perpiniani, pleniùs continetur. Considerantésque eamdem compositionem & transactionem postmodum fuisse renovatam, laudatam & approbatam inter nos præfatum JACOBUM Regem Aragonum ex parte una, & illustrem bonæ recordationis dominum SANCIUM Regem Majoricarum, filium & heredem dicti domini Jacobi Majoricarum Regis, patruumque nostri dicti Jacobi nunc Majoricarum Regis ex altera, pro ut in alio publico instrumento inde confecto in civitate Barchinoniæ in Regio palatio die Dominica qua computabatur septimo Idus Julij, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, clausóque per Bernardum de Aversone Notarium nostri prædicti Aragonum Regis, ac publicum etiam autoritate nostra per totam terram & dominationem nostram, serioſiùs continetur. Nos prædicti JACOBUS Rex Aragonum, & nos JACOBUS Rex Majoricarum, confitentes nos excel-

Digitized by Google

ſiſſe ætatem duodecim annorum, ac plenè intelligere quæ aguntur, præſente & auctorizante, ut ſupra, dicto domino Philippo patruo & tutore noſtro, per nos & ſucceſſores noſtros volentes omnia & ſingula in prædictis tribus inſtrumentis contenta perpetuò habere roboris firmitatem, ea omnia & ſingula denuò cum hoc publico inſtrumento per nos & ſucceſſores noſtros laudamus & approbamus expreſsè: idcircóque nos Jacobus Rex Majoricarum prædictus, præſente & auctorizante, ut ſupra, ante fato honorabili domino Philippo patruo & tutore noſtro, nomine ipſo tutorio, juxta formam in ſingulis dictorum trium inſtrumentorum contentam, per nos & omnes ſucceſſores noſtros recognoſcimus & fatemur vobis dicto domino Jacobo Regi Aragonum cariſſimo patruo noſtro, tenere à vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus Aragoniæ in feudum honoratum ſine omni ſervitio, ſub forma tamen infra ſcripta, totum prædictum regnum Majoric. cum Inſulis Minoricis & Evigæ*, & aliis inſulis adjacentibus eidem Regno, & omnes prædictos Comitatus & terras Roſſilionis, Ceritaniæ & Confluentis, Valliſpirij & Cauchiliberi. *al.* * Vicæ.

Item ſine præjudicio juris alieni recognoſcimus & fatemur vobis dicto domino Jacobo Regi Aragoniæ, tenere in feudum à vobis & veſtris ſecundùm modum ſuperiùs & inferiùs comprehenſum, Vicecomitatum Omeladeſij & Vicecomitatum de Carladeſio, cum omnibus villis & caſtris eorumdem Vicecomitatuum, & omnia etiam caſtra, villas & loca quæcumque habemus in terris Montiſpeſſulani, & dominatione & terminis ejuſdem; & generaliter omnia alia quæcumque habemus ſeu habere debemus ubicumque ſint, cum Militibus ſcilicet, hominibus, feudis, Juriſdictionibus ac dominationibus univerſis, ſive illa teneamus ad manum noſtram, ſive alij teneant pro nobis in feudum. Exceptis feudis quæ conſueverunt teneri ab Epiſcopo & Eccleſia Magalonenſi, de quibus aliqua tenentur adhuc ab ipſis Epiſcopo & Eccleſia, & aliqua ab illuſtri Rege Francorum habente in eiſdem locum ab Epiſcopo & Eccleſia ſupradictis; pro

Digitized by Google

quibus omnibus & ſingulis locis & terris, ac juribus eorumdem recognoſcimus nos de præſenti feudatarium veſtrum ſecundùm formam ſuperiùs comprehenſam.

Excipimus tamen à prædicta recognitione feudi, Nos JACOBUS Rex Majoricarum prædictus emptiones caſtrorum, villarum & locorum quas dictus dominus JACOBUS Rex Majoricarum avus paternus noſter poſt dictam renovationem, & dictus SANCIUS Majoricarum Rex ejus filius patruus noſter, fecerunt & nos fecimus de rebus alodialibus quæ pro ipſis vel nobis non tenebantur in feudum. Nos tamen dictus JACOBUS Rex Majoricarum per nos & noſtros auctoriſante dicto tutore noſtro, ut ſuperiùs, recognoſcimus tenere à vobis dicto domino Rege Aragoniæ & veſtris in feudum omnes regalias & jura univerſa, quæ & quos dictus dominus Jacobus avus, & dictus dominus Sancius patruus noſtri habebant ante emptiones prædictas, & habebamus & habemus nos in emptionibus ſupradictis. Sanè volumus & concedimus quòd ſicut nos facimus vobis homagium, ut inferiùs continetur, ſic heredes & ſucceſſores noſtri faciant & teneantur facere homagium vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus Aragoniæ in perpetuum, pro ſupradictis & infra ſcriptis juxta contenta in hoc præſenti inſtrumento, & formam ejuſdem.

Promittimus etiam per nos & ſucceſſores noſtros vobis dicto domino Regi & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum, quòd nos & ſucceſſores noſtri dabimus vobis & ſucceſſoribus veſtris poteſtatem de civitate Majoricarum nomine & vice totius Regni Majoricarum, & inſularum Minoricarum & Evigæ, & de villa Podii Ceritani nomine & vice Ceritaniæ & Confluentis, & de villa Perpiniani nomine Comitatus Roſſilionis, & terrarum Walliſperii, & caſtri Cauchiliberi, & de caſtro de Omelacio nomine & Vicecomitatus de Omeladeſio. Quas poteſtates nos, heredes & ſucceſſores noſtri teneamur dare vobis & ſucceſſoribus veſtris quandocumque, & quotieſcumque requiſiti fuerimus per vos & ſucceſſores veſtros, irati & pacati, ratione tamen recognitionis.

Digitized by Google

gnitionis feudi & faticæ juris. Nec prædictas potestates possitis vos vel successores vestri retinere ratione Valentiæ.

Promittimus etiam per nos, heredes & successores nostros vobis & successoribus vestris in perpetuum, quòd nos & ipsi successores nostri firmabimus jus vobis & vestris in posse vestro & vestrorum, & semel quolibet anno cùm fuerimus requisiti ibimus ad Curiam vestram & vestrorum in Catalonia, nisi tunc quando fuerimus requisiti fuerimus nos & dicti successores nostri in Regno Majoricarum. Promittimus tamen per nos & nostros & ad hoc de præsenti nos & successores nostros obligamus quòd juvemus, valeamus & defendamus vos & successores vestros cum toto posse nostro contra cunctos homines de mundo.

Item promittimus per nos & nostros servare & servari facere in terris Rossilionis, Ceritaniæ & Confluentis, & Wallispirij & Caucholiberi usaticos, consuetudines & constitutiones Barchinonenses factos & factas, & etiam faciendos & faciendas per vos & vestros cum consilio majoris partis Baronum Cataloniæ, sicut moris est fieri; salvis specialibus consuetudinibus locorum prædictarum terrarum. Et quòd in prædictis terris Rossilionis, Ceritaniæ, Confluentis, Vallispirij & de Caucolibero currat moneta Barchinonensis & non alia. Retinemus tamen nobis & successoribus nostris, quòd possimus cudere vel cudi facere absque contradictione & impedimento vestro & vestrorum in regno Majoricarum & insulis eidem adjacentibus monetam & monetas de novo.

Item retinemus nobis & successoribus nostris quòd in nullo casu possit à nobis vel Officialibus nostris vel successorum nostrorum appellari, nec etiam per alium modum recurri ad vos dictum dominum Regem Aragoniæ vel successores vestros. Salvo quòd propter hoc non detrahatur in aliquo iis quæ superiùs & inferiùs continentur.

Item quòd nos & successores nostri possimus absque contradictione & impedimento vestro, & vestrorum fa-

Digitized by Google

cere & ponere pedagium, & novam lezdam in regno Majoricarum & aliis insulis eidem adjacentibus, salvis libertatibus per prædeceſſores noſtros conceſſis hominibus veſtris, niſi prædictæ libertates vel privilegia ſint de jure per contrarium uſum vel alio modo abrogata. Quæ tamen omnia quæ nobis retinemus, volumus & concedimus eſſe de feudo ſeu feudis prædictis, exceptis emptionibus ſupradictis ſub forma ſuperiùs comprehenſa.

Item cùm dictus dominus Rex Majoricarum avus paternus noſter in prædictis inſtrumentis, de quibus in principio hujus inſtrumenti habetur mentio, retinuiſſet ſibi & ſucceſſoribus ſuis bovaticum in prædictis terris: ita quòd dictum bovaticum eſſet de dicto feudo, ut alia ſupradicta quæ ſibi retinuit, exceptis emptionibus prædictis. Et ſubſequenter præfatus dominus Rex Majoricarum avus paternus, & poſtmodum præfatus dominus Sancius Rex, patruus noſtri, remiſerint bovaticum ipſum gentibus noſtris dictarum terrarum, quæ ad præſtationem dicti bovatici tenebantur, ea conditione quòd loco dicti bovatici præfatæ gentes noſtræ tenentur dicto domino Regi Sancio ſolvere viginti millia libr. Barchinonenſium, de quibus ementur mille libræ Barchinonenſes rendales in alodio, quas haberent & reciperent ipſe & ſui propoſito loco bovatici ſupradicti. Recognoſcimus tamen quòd vos dictus dominus Jacobus Rex Aragoniæ generosè conſenſiſtis remiſſioni dicti bovatici, & quòd non teneatur dictus dominus Rex Sancius emere dictas mille libras loco bovatici ſupradicti. Inhibitiones verò ſeu banna per vos vel ſucceſſores veſtros factas vel faciendas non teneamur nos vel ſucceſſores noſtri ſervare, niſi factæ fuerint de conſilio & aſſenſu noſtro vel noſtrorum.

Et pro prædictis omnibus complendis ac firmiter attendendis obligamus vobis dicto domino Regi Aragoniæ & veſtris, nos & noſtros & omnia bona noſtra, & juramus per Deum & ejus ſancta quatuor Evangelia nos Jacobus Majoricarum Rex ſuperiùs nominatus, & præſente, volente & auctoriſante, ac ſuum expreſ-

Digitized by Google

sum consensum præstante dicto tutore nostro, facimus vobis homagium ore & manibus in præsenti, & sub dicto juramento confitemur nos excessisse ætatem duodecim annorum prædictam.

Ad hæc nos Jacobus Dei gratiâ Rex Aragoniæ prædictus, tenentes nos pro contentis & pacatis cum prædictis à vobis illustri Jacobo per eamdem gratiam Rege Majoricarum beatissimo nepote nostro, nobis recognitis & concessis præsente, volente, auctorisante, ac suum expressum assensum præstante dicto honorabili Philippo tutore vestro, nomine tutorio prædicto, per nos successoréque nostros laudamus & approbamus vobis & vestris successoribus perpetuò prædictum regnum Majoricarum, insulas, Comitatus, & terras, quæ à nobis in feudum tenetis sub pactis & conventionibus supradictis. Et promittimus per nos & nostros vobis & vestris juvare, valere & defendere vos & vestros, & Regnum, terras & Comitatus prædictos & jurisdictiones vestras, & dictarum terrarum, quæ à nobis tenetis in feudum toto posse nostro contra cunctos homines. Et pro prædictis omnibus complendis & firmiter attendendis vice versa obligamus nos & nostros & omnia bona nostra vobis & vestris, & juramus per Deum & ejus sancta quatuor Evangelia, & facimus vobis homagium ore & manibus, in præsenti convenimus & retinemus nos dicti Jacobus Aragoniæ Rex, & nos Jacobus Rex Majoricarum, præsente, volente, auctorisante, ac suum expressum assensum præstante dicto honorabili Philippo tutori, qui supra. Quod nos dictus Philippus sic verum esse asserimus & fatemur, quòd substitutiones factæ in chartis hereditamenti inter nos & nostros per dominum Regem Jacobum eximiæ recordationis avum nostri dicti Jacobi Aragoniæ Regis, & per avum nostri dicti Regis Majoricarum, & in Testamento ejusdem, sint salvæ & in suâ remaneant firmitate, salvis hiis quæ in hoc instrumento continentur.

In quorum testimonium nos Rex Aragoniæ, & Rex Majoricarum prædicti, ac Philippus de Majoricis tutor,

Digitized by Google

qui super duo consimilia publica instrumenta inde fieri jussimus, & sigillorum nostrorum appensionibus communiri, & in quibus etiam nos dictus tutor manu propria subscripsimus. Quæ sunt acta in Civitate Barchinonensi in Palatio domini Regis Aragoniæ prædicti Kalendis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo septimo. Visa per Cancellarium. Signum JACOBI Dei gratia Regis Majoricarum, Comitis Rossilionis & Ceritaniæ, ac domini Montispessulani prædicti, qui hoc laudamus, firmamus, & juramus. Nos Philippus de Majoricis tutor prædictus præmissa laudamus, concedimus & firmamus, & manu propria subscribimus. Signum JACOBI Dei gratiâ Regis Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, ac Comitis Barchinonensis prædicti, qui hæc laudamus, firmamus & juramus.

Testes hujus rei sunt qui præsentes fuerunt inclytus dominus Infans PETRUS Rippacratiæ & Impuriarum Comes, Inclytus dominus Infans RAIMUNDUS Berengarij Comes Montanarum, de prædictis antefati domini Regis Aragoniæ filij, GASTO Oscensis Episcopus Cancellarius ipsius domini Regis Aragoniæ, BERENGARIUS Elnensis Episcopus, frater SANCIUS de Aragonia locum tenens Magistri Hospitalis in Castellania Emposte, F. RAIMUNDUS de Impuriis de Ordine Hospitalium, F. RAIMUNDUS de Cavilione Commendator Alcaronis, F. PETRUS Abbas Monasterii sanctarum Crucum Capellanus major dicti domini Regis Aragoniæ, PETRUS de Viridario Archiepiscopus Majoricarum, & Canonicus Narbonensis, Cancellarius dicti domini Regis Majoricarum, Guillelmus Murulli Canonicus Majoricarum, GUILLELMUS de Madrona Canonicus Tirasonensis, ANTONIUS de Galiana legum Doctor Canonicus Majoricarum, F. PETRUS de Portello de Ordine Prædicatorum Confessor dicti domini Regis Aragoniæ: Nobilis OTHO de Montecathero, *Bernardinus* de Campana, *Galdous* de Angellaria, *Berengarius* de Vilariacuto, *Adenarius* de Mosseto, *Pontius* de Caramay. Et Milites *Raimundus* de Melanno, *Eximinius* de Tovia, *Ferrarius*

Digitized by Google

de Villafranca Alguazirius* dicti domini Regis Aragoniæ, *Guillelmus* de sancta Columba, *Petrus* de Pulcrocastro, *Ferrarius* de Canneto, *Iacobus* de Muredine, *Berengarius* de Podio, *Guillelmus* de Fontibus, *Guillelmus* de Jaffero Vicecancellarius, *Petrus* Marij Thesaurarius, *Petrus* Despens, *Guillelmus* de Mora Jurisperiti de Consilio dicti domini Regis Aragoniæ, Jacobus Scuderii Notarius dicti domini Regis Majoricarum, *Ferrarius* de Lilleto Bajulus Cataloniæ generalis. Et quam plures alij. Signum *Bernardi* de Podio dicti domini Regis Aragoniæ Scriptoris & Notarij etiam publici, auctoritate sua per totam terram & dominationem ipsius, qui prædictis interfuit & hæc scribi fecit cum litteris rasis & emendatis in linea decima quarta ubi dicitur, *Patruus noster fecerunt & nos fecimus:* & in linea vigesima octava ubi scribitur: *Nos Iacobus Majoricarum Rex superiùs nominatus.* Et clausimus die & anno quo supra.

* Hinc Algouzil.

PHILIPPI VI. *Regis Francorum. Hortatur Italiæ dominos &c. ut Romanam Ecclesiam propugnent, expugnéntque hæreticos recens exortos.*

Ex membranis D. d'Herouval.

XVIII. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Nobilibus & prudentibus viris universis & singulis Dominis, Potestatibus, Capitaneis, Rectoribus, Consulibus, quibuscumque alliis Gubernatoribus civitatum, castrorum, & aliorum locorum insignium partium Italiæ civibus, incolis & habitatoribus locorum prædictorum, & territoriorum ipsorum, amicis nostris carissimis, ad quos præsentes litteræ pervenirent salutem & dilectionem sinceram. Ad nostrum noveritis (quod dolentes referimus, & non sine gravi cordis amaritudine recensemus) pervenit auditum, quòd in nonnullis partibus civitatibúsque & locis Italiæ adversus sacro-sanctam matrem Romanam & universalem Ecclesiam, cui provisione Divina sanctissimus Pater in Domino JOHANNES

AN. CHR. 1328.

Digitized by Google

Papa viceſimus ſecundus ad præſens præſidet, & jam ſalubriter favente Domino pluribus præſedit annorum curriculis; nec non & adverſus eumdem ſanctiſſimum Patrem inſurgentes quidam filij Belial, ſuis venenoſis ſuaſionibus & pernicioſis latratibus falſis ac fucatis coloribus devotionem veſtram (quam ſemper ſicut veri Catholici & fideliſſimi Chriſtiani ad eamdem inconcuſſam habuiſtis, ſanctam matrem Eccleſiam, & ad ipſum nunc præſidentem, & ad ipſius prædeceſſores qui fuerint pro tempore tamquam ad unum in terris Chriſti Vicarium, beati Petri ſucceſſorem, & ipſius naviculæ univerſalis ſcilicet Eccleſiæ caput unicum & Rectorem) conantur inficere, & animos veſtros, quos in Orthodoxæ fidei ſtabilitate & unitate Eccleſiæ tamquam ipſius veri filij hucuſque habuiſtis immobiles, & auxiliante Domino habebitis in futurum, erroribus variis pervertere, & ad ſuam convertere falſitatem; volentes per has ſuas opiniones phantaſticas atque hæreticas juſto Eccleſiæ judicio per præfatum ſummum Pontificem & ejus ſacrum Collegium reprobatas extollere, & pœnas pro ſuis hæreſibus eiſdem impoſitas per abuſum alicujus temporalis potentiæ damnabiliter evitare; fingentes ſibi, quod etiam profanum eſt dicere & exſecrabile quodammodo recitare, quemdam apoſtaticum Papam ſeu potiùs Antichriſtum, & ſub pietatis & religionis umbra ſeu pallio ſimplicium animis illudentes, per malitiæ ſuæ virus corpus univerſalis Eccleſiæ, cujus ipſe Chriſtus eſt caput, & quæ in ipſius ſanguine ſancti Spiritus illuſtratione continua vegetatur & vivit, inficere moliuntur, & id ipſum corpus Eccleſiæ myſticum corpus Chriſti, quo nullum perfectius & nobilius eſt creatum, per adjunctionem exſecrabilem ſui præfati Apoſtatici tamquam alterius capitis reddere monſtruoſum, & inconſutilem Chriſti tunicam, quam etiam ipſi perfidi crucifixores ipſius dividere noluerunt, ſcindere ſatagunt, immò veriùs diſcerpere totaliter, ac etiam quantum in eis eſt viliter conculcare; ipſum ſtabile fundamentum Eccleſiæ ſuis perverſis conatibus ſubvertere attentantes.

Digitized by Google

Quod quàm ſit grave, deteſtabile ac pernicioſum exemplo, cuilibet fideli Catholico planè patet. Per hæc enim ipſa fides Catholica & ſtatus Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, ſetiam ipſis infidelibus & ethnicis ſeu paganis magis contemptibilis redditur & exoſa, & eorum animi jam fortè per Dei miſericordiam ad eum aliqualiter inclinati, & etiam inclinandi, cooperante ſatore ſcandali & humani generis inimico, à ſuo laudabili propoſito faciliter retrahentur. Nec mirum ſi fidem, quæ etiam homini integraliter eſt ſervanda, Chriſtianos videant Creatori ſuo corrumpere & ſuo piiſſimo Redemptori. Quanta autem ex his pericula, quanta mala, quanta ſcandala, quantáque animarum & corporum detrimenta ex hac radice peſtifera provenire valeant in futurum, niſi per fideles Catholicos celeriter præcidantur, nec advertere ſufficimus nec proferre, ſicut & quilibet fidelis animus piæ ac probandæ conſiderationis poteſt à ſe ipſo clariùs intueri.

Veſtram igitur amicitiam exhortamur in Domino ac requirimus ex zelo & debito fidei Chriſtianæ, ut veſtrorum animorum conſtantiam ad ipſum caput Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, & ejus Vicarium ſupradictum, piè & fideliter erigentes, imitantes pudoratos filios Noë qui patris verecundiam nequeuntes æquanimiter tolerare, & ipſius benedictionem, & inverecundi fratris & poſteritatis ejus prælationem & dominium obtinere perpetuò meruerunt. Ad pericula inſuper prædicta advertentes, fidelitatem & devotionem, quam ſemper ad ſanctam matrem Romanam Eccleſiam vos & prædeceſſores veſtri eſtis profeſſi fideliter vos habere, requirente ad præſens non modicum neceſſitate negotii, ut videtis, efficacia & exhibitione operis pro veſtrarum animarum ſalute ita laudabiliter impleatis, præfatis hæreticis & eorum hæreticalibus documentis, ſic viriliter & fidelibus verbis & factis ſtrenuè reſiſtendo, & etiam præ omnibus obviando, quòd cæteris Chriſtianis ſitis in his virtutum exemplar, ſicut & priſcis temporibus extitiſtis, & per veſtros virtuoſos labores prædictorum malitiæ exortum

Digitized by Google

incendium non procedat ulteriùs, nec unitati & stabilitati fidei damna inferat graviora; sed in ortu suo occidatur & totaliter exstinguatur, ut ex his & temporalis vitæ præconium vobis, & per vos posteris vestris perpetuò acquiratis, Nósque & alii Principes Christiani, & omnes fidei Catholicæ professores, vestram in hoc constantiam, fortitudinem ac fidelitatem ex experto perspicaciùs agnoscentes, vestris ac vestrorum commodis obnoxiùs adstringantur, & æternæ retributionis gratiam copiosiùs assequi valeatis. Sinceritatem & amicitiam vestram in tranquillitate ac serenitate pacis & unitate Ecclesiæ, propulsis scandalis & exsulatis erroribus universis, conservet Omnipotens feliciter, ut optamus, per tempora longiora. Datum in Abbatia Caroliloci die 11. Martii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo.

Ex authentico descripsit D. d'Hevouval & communicavit.

JOHANNA *Renuntiat bonis mobilibus & debitis mariti sui* PHILIPPI *Regis Navarræ defuncti dum cor ipsius Parisiis in Ecclesia Dominicanorum sepulturæ traderetur.*

AN. CHR. 1343. XIX. PHILIPPES par la grace de Dieu Roys de France, A Tous ceux qui ces presentes Lettres verront Salut. Savoir faisons que en nostre presence là où nous fumes à l'enterrement du cuer de nostre tres cher Cousin jadis le Roy de Navarre, Conte d'Evreux, en L'eglise des Jacobins de Paris, le Mercredi IIIe jour de Decembre vinrent tantost apres l'enterrement dudit cuer à la fosse où il estoit mis, nos tres cher filz & frere les Dux de Normandie & de Bourgoigne procureurs, & en nom de procureurs de nostre tres chere Niece la Royne de Navarre jadis femme dudit Roy de Navarre, & comme procureurs de elle, par nostre amé & feal Chevalier & Conseiller SYMON de Buxi; parlant en nom de

Digitized by Google

de eux pour eux comme procureur, nous firent dire en ſubſtance, & puis baillier par eſcript les paroles qui ſenſuivent.

Ci ſont Meſſeigneurs les Dux de Normandie & de Bourgoigne des plus prochains amis de Madame de Navarre, pour les quiex elle ſe vuet & entent conſeillier & gouverner, leſquiex ne ſes autres amis ne li ont mie conſeillé, ne bon ne fuſt que elle veniſt ci en ſa perſonne, & pour ce il y ſont pour elle, & comme procureurs de elle me font à dire ou nom de elle & pour elle, que comme elle ſoit ſur le point qu'il eſconvient que elle ſe mette ou renonce aus meubles & aus debtes de ſon ſeigneur, & en ce, & en autres choſes eſt elle tenue de raiſon requerre, & croire le conſeil de ſes amis; leſquiex y ont moult penſé, & eu deliberation par pluſieurs foiz de ce que elle en devroit faire. Si ont regardé que comme madite Dame ſceuſt petit du gouvernement de ſon Seigneur, toutevoie * penſent ſes amis que tant pour les armes que ſondit ſeigneur a ſuivies & les guerres du Roy Monſeigneur, comme pour ce que il a eſté en moult de pais, & darrainnement en ce voiage où Dieu l'a pris, moult de debtes & de finances, de obligations & d'autres choſes touchans le fait & la conſcience de ſondit ſeigneur, y puet avoir, obſcures, doubteuſes, & incertaines, ſi que elle n'en pourroit venir à certainneté, ne en faire ſatisfaction en maniere que ſon cuer en fuſt appaiſié, & ſa conſcience ſeheure, ne ſon ſeigneur bien acquittié. Encore elle qui eſt une Dame, ne par li ne ſe puet gouverner, ne ne pourroit la peinne ne la charge porter des beſoignes, debtes, & execution de ſondit ſeigneur, & par ſa main ſeroit la choſe trop longue, & en moult grant triboil, grevance & meſaiſe ſe mettroit, ſil eſconvenoit que à li veniſſent les plaintes & les demandes de ceux à qui ſon dit ſeigneur ſeroit tenuz, & toutefoiz que elle les ourroit li renouvelleroit ſa douleur & la meſaiſe, tel que le corps de li en ſeroit en peril.

* toutesfois.

Et quant il y a autres executeurs bons & ſaiges tiex comme Monſeigneur de Navarre à eſleuz esquiex il

Digitized by Google

avoit grant fiance, l'en s'en puet bien fier & attendre en eux, & il savoient de son estat, si en pourront miex explettier & en moins de temps que elle ne pourroit, ne pour ce ne laira elle mie que elle ne face du bien pour son seigneur en prieres & en aumosnes, & le miex que elle saura, & bien y est tenue, elle à amé a la vie, si fera elle apres, més senz grant peril de ame, & doubte de conscience ne pourroit elle prenre la charge des debtes, ne de l'execution, si que par la volenté & le conseil de ses amis, les quiex il li convient croire, elle & Messeigneurs ses ditz procureurs pour elle, combien que il li soit grief & moult à enuiz li aient fait consentir, renonce aus meubles & aus debtes de son dit seigneur, & se tient & vuet tenir à son doaire, & vuet, & se consent, que touz les meubles de son dit Seigneur dont il y doit avoir largement & plus qu'il n'en fait mestier aus debtes & execution paier, les executeurs preignent & explectent tost & briefvement pour son seigneur acquittier & l'execution accomplir, & de ce faire diligemment les prie, quar cest l'un des granz desirs que elle puisse avoir, & la chose de quoi elle sera plus reconfortée, se l'execution de son seigneur & ses debtes sont bien paiez. Et à ce ne vuet elle que des diz meubles l'en épargne nuls, que l'en li en baille aucuns qui ne li soient ausi chierement venduz comme au plus estrange marcheant qui y pourra venir. Et en cette renonciation faisant font protestation les diz procureurs ou nom de elle, & pour elle, que pour ce ne li soit fait prejudice ou droit que elle a puet, ou doit avoir en ses meubles & en ses joyaux.

Apres les queles paroles le dit Chevalier se fist avouer, & avoué fu de quanque il avoit dit par les diz Dux, & à monstrer que nostre dite Niece la Royne de Navarre venist à point à faire la dite renonciation, & que faire la peust par procureur, & que quant à ce, & aussi quant à prenre ou laissier la garde ou le bail de ses enfenz le temps n'eust couru contre elle, & que l'en ne peust dire que elle se y fust mise, ne és debtes de son dit seigneur pour demeure que elle eust faite en son hostel, ne pour

Digitized by Google

ce que elle eust usé des biens communs puis la mort de son dit seigneur & avant le dit enterrement de son cuer, le dit Chevalier mist en avant & fist lire unes lettres pendens scellées de nostre seel, & à faire foi de la procuration des diz procureurs, unes autres seellées du seel de nostre dite Niece la Royne de Navarre, desqueles lettres, & premier de celles qui estoient seellées de nostre seel les teneurs s'ensuivent:

PHILIPPES par la grace de Dieu Roys de France. A touz ceux qui ces presentes lettres verront salut. Comme par aucuns amis de nostre tres chiere & amée Niece la Royne de Navarre, nous ait esté signifié nostre dite Niece avoir oi nouvelle du trespassement de nostre tres chier Cousin le Roy de Navarre son seigneur, pour les queles nouvelles elle est à grant douleur & mesaise de cuer, si que elle ne puet penser ne entendre à chose qui touche l'estat & le gouvernement de elle ne de ses biens, ne pourveoir en besoignes que elle ait, ou puisse avoir à faire ou cas du trespassement dessus dit, ne aussi ne li endurent, ne n'osent parler ceux qui entour li sont. Si nous ont supplié que comme par la coustume, usaige, & observance commune du pais, & des parties de France ou quel nostre dite Niece demeure, les dames & femmes nobles doient elles mettre, ou renoncier és meubles & debtes de leurs mariz trespassez tantost apres l'enterrement, & elles tenir à leur doaire se elles veulent par certaines solemnitez, & signes accoustumez si comme l'en dit. Et ainsi soit que elle estant par deça, son dit seigneur & mari le Roy de Navarre soit trespassez en lointain pais, & le corps de li enterrez en Navarre, combien que l'en ait entendu que le cuer sera aporté à enterrer par-deca.

Nous pour ce que avant l'enterrement du dit corps ne depuis elle n'a eu, ne avoir ne puet bonnement à present deliberation sur ce que elle devra faire de prenre ou renoncier comme dit est, & aussi à fin que par la demeure & habitation que faite à depuis le trespassement & l'enterrement du corps dessus diz en l'ostel de sondit sei-

Digitized by Google

gneur, & uſé des biens communs, & fera de ci à l'enterrement dudit cuer, l'en ne puiſſe dire que elle ait pris la garde ou le bail de ſes enfenz, ne que elle ſe ſoit meſlée aus meubles parquoi elle ſoit tenue à paier les debtes, li vueillons pourveoir de grace, & de remede convenable. Nous enclinanz à ladite ſupplication, voulons & ottroions à noſtre dite Niece, que laps ne cours de temps ne li ſoit ou puiſſe eſtre imputé à prenrre ou renoncier aus diz meubles & debtes, & li tenir à ſon doaire, ainçois li ottroions que elle ait temps de en faire ce que bon li ſemblera, c'eſt aſſavoir de prenrre ou renoncier juſques apres l'enterrement du cuer de ſon dit ſeigneur, & que elle puiſſe renoncier ſe elle vuet adonc, ou entre deux là où il li plaira, par li, ou par procureur ou par autre, de bouche, ou par lettres, en preſence de aucuns nos Notaires ou Tabellions publiquement ou autrement, ſenz ce que elle ſoit tenue de venir pour ce faire à l'enterrement, ne ſur la foſſe dudit cuer, ne de faire les ſignes, & garder les ſollempnitez que l'en dit qui ſont requiſes en ce cas, ſur leſquiex ſignes & ſolempnitez à garder nous diſpenſons, & les li remettrons. Et auſi voulons & ottroions, comme dit eſt, que pour choſe que noſtre dite Niece ait demeuré és hoſtelx de ſon dit ſeigneur, & demeure, & des biens communs ait uſé & veſcu, & face cependant, l'en ne puiſſe dire ne tenir ne li oppoſer que elle ſe ſoit miſe en ladite garde, ou, ou dit bail, ne és dites debtes, ne que elle ſoit forcloſe que elle ne puiſſe renoncier ſe elle vueut. Mais neantmoins puiſſe iceli garde & bail, & debtes prenre ou laiſſier & y renoncier ſi comme bon li ſemblera. Et nous ordenons & decernons par ces preſentes ladite renonciation, que noſtre dite Niece ou ſon procureur, ou autre pour elle vourra faire, eſtre valable & d'un tel effet comme ſe elle euſt renoncié le jour de l'enterrement du corps, ajouſtées toutes les ſolemnitez accouſtumées, & comme ſe unques n'euſt uſé des biens meubles communs depuis l'enterrement du corps.

Toutes les queles choſes, nous avons voulu, ottroié,

Digitized by Google

ordené & decerné par la deliberation de noſtre grant Conſeil, de grace eſpecial, de certaine ſcience, & pour cauſe & de noſtre plainne poiſſance & auctorité Royal, non contreſtanz les deſſus dites, & quelcunques autres couſtumes, uſaiges & obſervances contraires & quelcunques droit ou edit, qui à ce la puſſent avoir eſtreinte, ou obligiée, & par les queles la dite renonciation pourroit eſtre impugnée. Toutes les queles couſtumes, uſaiges, obſervances, droiz, & ediz, nous quant au cas preſent tant ſeulement hoſtons, & aboliſſons du tout de noſtre dite poiſſance & auctorité Royal & de certaine ſcience par ces preſentes, és queles en teſmoign de ce nous avons fait mettre noſtre ſeel. Donné à ſaint Germain en Laye, le IIIe jour de Novembre, l'an de grace mil trois cenz quarente & trois.

Item. A touz ceux qui ces preſentes lettres verront, JEHANNE fille de Roy de France, par la grace de Dieu Royne de Navarre, Conteſſe d'Evreux, d'Angouleſme, de Mortaign, & de Longueville ſalut. Comme depuis les nouvelles dures & grieves à nous venuës du treſpaſſement de noſtre tres chier ſeigneur & mari le Roy de Navarre, que Dieux abſoille, le quel ſi comme il plaiſt à Dieu nous à laiſſiée veuve en grant douleur, triſteice, & meſaiſe de cuer, nos amis ausquiex nous ſommes tenue ſi comme raiſon eſt de croire, & nous par eux gouverner en ce cas, nous aient loué & conſeillé, & encore louent & conſeillent par grant deliberation & avis quil ont eu ſur ce, ſi comme nous ont fait ſavoir par pluſieurs foiz, que nous apres l'enterrement ou avant du cuer de noſtre dit Seigneur que l'en dit qui ſera aportez & enterrez en France, renoncions aus meubles & aus debtes de noſtre dit ſeigneur, & nous teignons à noſtre doaire. Nous à qui il eſt moult grief du faire & moult le vouſiſſions eſchever ſe nous peuſſions bonnement, & ſens peril de noſtre ame & grant charge de noſtre conſcience, noz tres chiers & tres amez Couſin & Oncle les Dux de Normandie, & de Bourgoigne, qui ſont de noz plus granz & plus prochains amis, & és quiex nous avons pleinne

Digitized by Google

fiance de garder nostre honneur & la sehureté de nostre Estat, avons fait & estabi, faisons & establissons par ces presentes noz procureurs, ensemble & chascun par li, à renoncier pour nous, & en nostre nom aus diz meubles & debtes, & dire que nous nous tenons & voulons tenir à nostre doaire apres le dit enterrement, ou lieu & en la maniere quil verront que mestier sera, & que bon leur semblera, & de faire en tout & par tout sur ce, & les dependances tout quanques nous ferions & faire pourrions se nous estions presente.

Et quant aus choses dessus dites, & tout ce que necessaire, proffitable ou convenable y sera, nous donnons par ces lettres plein povoir & especial mandement à noz diz Cousin & Oncle, & à chascun par li, & promettons souz l'obligation de touz noz biens, avoir aggreable, ferme, & estable tout ce qui sera dit fait & ordené sur les choses dessus dites, & les dependences d'icelles par eux & chascun par li. En tesmoign de ce nous avons fait mettre nostre seel à ces presentes lettres. Donné à Breval le xxe. jour de Novembre l'an de grace mil trois cenz quarente & trois.

Et nous à la requeste des diz Dux procureurs de ladite Royne de Navarre, des dites renonciation, protestation, & autres choses dessus dites, & de l'exhibition & lecture des dites lettres, afin de en avoir memoire & que pleinne foi en puisse estre faite ou temps à venir, leur avons donné nos presentes lettres, és queles en tesmoign de ce nous avons fait mettre nostre seel. Donné à Paris le xxiiie jour de Novembre, l'an de grace mil trois cens quarente trois.

Digitized by Google

INSTITVTIO MILITVM Stellæ à* JOHANNE *Francorum Rege.*

* *Vulgò Chevaliers de l'Estoille.*

DE PAR LE ROY.

Ex membranis D. d'Herouval qui hãc chartam sua manu descripsit.

XX. BIau Cousin, nous à l'onneur de Dieu, de nostre Dame, & en essaucement de Chevalerie & accroissement d'onneur, avons ordené de faire une compaignie de Chevaliers qui seront appellez les Chevaliers Nostre Dame de la NOBLE MAISON, qui porteront la robe ci apres devisée, c'est assavoir une cote blanche, un sercot, & un chaperon vermeil: quant il seront sans mantel, & quant il vestiront mantel, qui sera fait à guise de Chevalier nouvel à entrer & demourer en l'Eglise de la Noble Maison, il sera vermeil, & fourrez de vair non pas d'ermines, de cendail, ou samit blanc; & faudra quil aient dessouz le dit mantel sercot blanc ou cote hardie blanche, chauces noires & soulers dorez; & porteront continuelment un annel, entour la verge du quel sera escript leur nom & surnom, ou quel annel aura un esmail plat vermeil, en l'esmail une estoille blanche, ou milieu de l'estoille une rondete d'azur, ou milieu dicelle rondete d'azur un petit soleil d'or; & ou mantel sus lespaule ou devant en leur chaperon un fremail, ou quel aura une estoille toute tele comme en lannel est devisé.

Et touz les Semadis quelque part quil seront, il porteront vermeil & blanc en cote & en sercot, & chaperon comme dessus se faire le puent bonnement. Et se il veulent porter mantel, il sera vermeil & fenduz à l'un des costez, & touz les jours blanc dessouz. Et se touz les jours de la sepmaine il veulent porter le fremail, faire le pourront & sur quelque robe que il leur plaira: & en l'armeure pour guerre il porteront ledit fremail en leur camail ou en leur cote à armer, ou là où il leur plaira apparemment.

Et seront tenuz de jeuner tous les semadis se il peuvent bonnement, & se bonnement ne peuvent jeuner ou ne

Digitized by Google

veulent, il donront ce jour quinze deniers pour Dieu en l'onneur des quinze joyes nostre Dame. Jureront que à leur povoir il donront loyal conseil au Prince de ce que il leur demandera soit d'armes ou d'autres choses. Et se il y à aucuns qui avant ceste compaignie aient empriſe aucun ordre il la devront lessier, se il pevent bonnement; & se bonnement ne la pevent lessier, si sera ceste compaignie devant, & de ci en avant n'en pourront aucune autre emprendre sanz le congié du Prince. Et seront tenus de venir touz les ans à la Noble Maison assise entre Paris & saint Denis en France, à la veille de la feste nostre Dame de Miaoust dedens Prime, & y demourer tout le jour & lendemain jour de la feste jusques apres Vespres: & se bonnement n'y peuvent venir, il en seront creu par leur simple parole. Et en touz les liex où il se trouveront cinq ensemble ou plus à la veille & au jour de la dite Miaoust, & que bonnement il n'auront peu venir à ce jour au lieu de la Noble Maison, il porteront les dites robes & orront Vespres & la Messe ensamble se il pevent bonnement.

Et pourront les diz cinq Chevaliers se il leur plaist lever une banniere vermeille semée des estoilles ordenées, & une image de nostre Dame blanche, especialment sur les ennemis de la foy, ou pour la guerre de leur droiturier seigneur.

Et au jour de leur trespassement il envoiront à la Noble Maison se il pevent bonnement, leur annel & leur fremail les meilleurs que il auront faiz pour ladite compaignie, pour en ordener au prouffit de leurs ames & à l'onneur de l'eglise de la Noble Maison, en la quele sera fait leur service solemnelment, & sera tenuz chascun de faire dire une Messe pour le trespassé au plus tost que il pourront bonnement depuis que il l'auront sceu.

Et est ordenné que les armes & timbres de touz les Seigneurs & Chevaliers de la Noble Meson seront paint en la sale d'icelle au dessus d'un chascun là où il sera.

Et se il y à aucun qui honteusement, que Diex ne nostre

noſtre Dame ne veillent, ſe parte de bataille ou de beſoigne ordenée, il ſera ſouſpendus de la compaignie, & ne pourra porter tel habit, & li tournera l'en en la Noble Meſon ſes armes & ſon timbre ce deſſus deſſouz ſans deffacier, juſques à tant que il ſait reſtituez par le Prince & ſon Conſeil, & tenuz pour relavez par ſon bienfait.

Et eſt encore ordené que en la Noble Meſon aura une table appellée la table d'onneur, en la quele ſeront aſſiz la veille & le jour de la premiere feſte les trois plus ſouffiſanz Princes, trois plus ſouffiſanz Bannerez, & trois plus ſouffiſanz Bachelers, qui ſeront à la dite feſte de ceuls qui ſeront receuz en ladite compaignie: & en chaſcune veille & feſte de la Miaouſt chaſcun an apres enſuivant ſeront aſſiz à la dite table d'onneur les trois Princes, trois Bannerez, & trois Bachelers qui l'année auront plus fait en armes de guerres, car nul fait d'armes de pais ny ſera mis en compte.

Et eſt encores ordené que nuls de ceuls de la dite compaignie ne devra emprendre à aler en aucun voiage lointain ſanz le dire ou faire ſavoir au Prince; les qui ex Chevaliers ſeront en nombre cinq cens, & deſquiex nous comme inventeur & fondeur d'icelle compaignie ſerons Prince, & ainſi l'en devront eſtre nos ſucceſſeurs Roys. Et vous avons eſleu à eſtre du nombre de ladite compaignie; & penſons à faire ſe Diex pleſt la premiere feſte & entrée de la dite compaignie à Saint Ouyn la veille & le jour de l'apparition prouchene. Si ſoiez aus diz jours & lieu, ſe vous povez bonnement, à tout voſtre habit, annel & fremail. Et adoncques ſera à vous & aus autres plus à plain parlé ſur ceſte matiere.

Et eſt encores ordené que chaſcun apporte ſes armes & ſon timbre pains en un fueillet de papier ou de parchemin, afin que les paintres les puiſſent mettre plus toſt & plus proprement là où il devront eſtre mis en la Noble Meſon.

Donné à Saint Chriſtophle en Halate le ſixiéme jour de Novembre l'an de grace mil trois cens cinquante-un. Signé au bas, SERIZ.

Digitized by Google

LITTERÆ EJVSDEM REGIS.

Fundatio Ecclesiæ (quam Nobilem Domum vocat) Canonicorum S. Audoeni prope S. Dionysium in Francia, ubi Milites B. Mariæ congregari debeant.

AN. CHR. 1352. XXI. JOHANNES Dei gratiâ Francorum Rex. Inter cæteras sollicitudines mentis nostræ sæpe & sæpiùs vigenti meditatione pẽsavimus, qualiter ab antiquis temporibus Regni nostri militia per universum orbem sic strenuitate & nobilitate floruit & viguit probitate, quod antecessores nostri Francorum Reges auxilio præstante Divino, & fidelibus ministris ejusdem militiæ manus suas sinceriter & unanimiter præbentibus adjutrices, in quoscumque rebelles suos manus voluerint mittere, victoriam reportarunt, & infinitos, quos perfidus inimicus humani generis in vera fide Christi dolo suæ calliditatis errasse fecerat, ad veræ catholicæ fidei puritatem divinitus revocarunt; ac demum tam pacis quàm securitatis tranquillitatem taliter repararunt in Regno, quòd successu longorum temporum nonnulli ministrorum ipsorum propter armorum insolentiam & defectum exercitii, vel aliis de causis quas nescimus, istis temporibus otiosis & vanis operibus plus solito se involverunt, honoris & famæ, proh dolor! neglecta pulchritudine, ad utilitatem privatam libentiùs declinantes. Quamobrem nos reminiscentes præterita tempora laudabilesque gestus, & unanimes prædictorum fidelium, unde tam victoriosa, tam virtuosa & felicia opera processerunt; fideles ipsos præsentes & futuros ad unitatem perfectam providimus revocare, ut uniti unanimes sitientes honorem & famam, vanis otiositatibus depositis, sicut decet gloriam nobilitatis & militiæ, ad gratiam laudis antiquæ & nobile consortium nostris temporibus revertantur, & renovata laude militiæ, propitiantéque

Digitized by Google

Divina clementia, Regno noſtro & fidelibus pacis repararetur tranquillitas, & laudis præconium undique prædicetur.

Attendentes igitur quòd hæc & alia providentia divina miniſtrat, ſine qua nihil eſt validum, nihil ſanctum, in honore glorioſiſſimæ beatæ MARIÆ Virginis, quæ mediatrix Dei & hominum eſſe meruit, & Spiritu ſancto cooperante filium peperit Dominum JESUM CHRISTUM, qui genus humanum à divinorum conſortio ſeparatum ad unitatem veræ fidei, & laudem ſui nominis & gloriæ ſempiternæ dignatus eſt ſuâ miſericordiâ revocare, conſortium ſeu ſocietatem *Militum beatæ Mariæ* Nobilis Domus apud ſanctum Audoenum propè ſanctum Dionyſium in Francia, & Collegium Canonicorum, Capellanorum & Clericorum pro divinis ſervitiis celebrandis ibidem duximus ſtatuendum. Sperantes indubiè quòd intercedente dicta glorioſiſſima Virgine MARIA pro nobis & noſtris fidelibus ad Dominum JESUM CHRISTUM ejus Filium, & ex orationibus Canonicorum, Capellanorum & Clericorum ipſorum, idem Dominus noſter JESUS CHRISTUS Militibus dicti Conſortii ſeu Societatis gratiam ſuam infundet miſericorditer, taliter quòd ipſi milites in actibus militiæ ſitientes honorem & famam ſic unanimiter, ſic valenter dè cætero ſe habebunt, quòd flos militiæ quæ per aliquod tempus ex cauſis prædictis ſub quadam taciturnitate marceſcit, in regno noſtro lætabitur, & in unitate perfecta ad laudem & gloriam dicti regni & noſtrorum fidelium reflorebit.

Et quia ſummis deſideriis affectamus ut iſtud opus nobile nobiliter & infallibiliter compleatur, notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quòd nos mera liberalitate noſtra, motu proprio, & ex certa ſcientia duximus, ordinamúſque, concedimus & donamus per præſentes ad opus dictæ domus, omnes forefacturas tam in hereditatibus quàm in mobilibus, & omnes eſpavias ſeu *eſpaves* vulgariter, quæ in Regno noſtro evenient & ad nos pertinebunt, propter crimina læſæ Majeſtatis, vel alia quacumque de cauſa cujuſcumque valoris exiſ-

Digitized by Google

tant, convertendas in dotationem dicti Collegii Canonicorum, Capellanorum & Clericorum, aliorúmque miniſtrorum ſtatuendorum ibidem. Necnon & in opus & ad perfectionem operis dictæ domus diſtribuendas & ponendas per illos quos ad hoc deputabimus, ſeu deputatos ſuos, quouſque dictum opus completum & perfectum fuerit, vel aliter ex certa ſcientia cum deliberatione matura noſtri conſilii ſuper hoc *duximus** ordinandum.

* duxerimus.

Mandantes dilectis & fidelibus gentibus Compotorum noſtrorum, Theſaurariiſque noſtris Pariſius, & omnibus Receptoribus & Juſtitiariis Regni noſtri præſentibus & futuris, & eorum cuilibet, ut dictas forefacturas & *eſpaves* integraliter tradant & reddant Gubernatori, ſeu Receptori dictæ domus, ſeu deputatis aut deputandis ab eis, vel aliter ad hoc auctoritate noſtra; nihil inde alibi tradendo vel liberando, per quodcunque mandatum noſtrum vel alterius cujuſcunque, & de quacumque forefactura & *eſpave* mobili vel immobili cujuſcumque valoris exiſtat, quæ dicto Gubernatori ſeu Receptori, vel ab eo deputatis aut deputandis tradentur & liberabuntur. Tradentes ipſos ex traditis exinde exoneramus & liberamus per præſentes, & pro exoneratis & liberatis haberi volumus & tenemus, ac ſi Theſaurariis noſtris Pariſius illud traderent, & etiam liberarent: ordinationibus, prohibitionibus, & mandatis contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Quod ut firmum & ſtabile permaneat in futurum noſtrum præſentibus litteris fecimus apponi ſigillum in pendenti. Datum in Abbatia Regalis-Montis anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo, menſe Octobri.

Digitized by Google

LITTERÆ EJVSDEM REGIS ejuſdémque argumenti.

XXII. JEHAN par la grace de Dieu Rois de France. A touz ceulz qui ces Lettres verront ſalut. AN. CHR. 1354.

Comme pour le tres grant deſir que nous avons eu & avons encores à l'accompliſſement de l'euvre & fondation de noſtre noble Maiſon de Saint Ouyn lez Paris, à ce que ladite fondation puiſſe eſtre parfaite de noſtre temps ſelon ce que propoſé l'avons, aions pieça donné & ottroié par nos autres Lettres ſeellées en las de ſoie & cire verte à ladite noble Maiſon toutes les forfaitures & eſpaves de noſtre Royaume à nous appartenans, ſoit pour crime de leze majeſté ou pour quelconque autre cauſe, pour eſtre converties es dites euvres & fondation, & non aillieurs, ſi comme plus à plain eſt contenu en noz dites Lettres ſur ce faites; & en perſeverant & continuant noſtre dit propos aions ordenné certain nombre de Chapellains & Clers, qui chaſcun jour celebrent & font continuelment le ſervice divin en ladite noble Maiſon, à certains gaiges par jour, les quels gaiges avec le luminaire & autres choſes qui de neceſſité appartiennent à la Chapelle d'icellui lieu, pevent monter par an environ huit cens livres pariſis, & ne porroient eſtre paiez des forfaitures qui ſont eſcheuës depuis noſtre dit don, pour ce que nous en avons fait pluſieurs dons aillieurs, qui eſt en tres grant retardement de ladite fondation & du paiement des dis gaiges & autres choſes pour ce neceſſaires comme dit eſt.

Pour quoi nous volans ſur ce pourveoir à plain, & que par deffaut de paiement leſdiz Chapellains & Clers n'aient cauſe de euls departir de ce lieu, par quoi le ſervice divin en ſoit amendriz ou retardez en aucune maniere, ordenons & decernons de certaine ſcience par ces Lettres toutes les dites forfaitures & eſpaves à nous advenuës depuis que nous les donnaſmes à ladite noble Maiſon, leſquelles nous n'avons données aillieurs au

Digitized by Google

devant de ces Lettres, & qui eſcherront dores en avant en noſtre Royaume à nous appartenans par quelconque maniere que ce ſoit, eſtre appliqués à la dite noble Maiſon pour en paier les gaiges des diz Chapellains & Clers, & autres choſes neceſſaires comme deſſus eſt dit, & non autrement, juſques à ce que les dites huit cens livres pariſis par an ſoient bien & convenablement aſſis. Et ſe il avenoit que depuis noſtre preſente ordenance nous en feiſſions aucuns dons par importunité ou autrement à quelque perſonne que ce ſoit, ſoit à noſtre linage, nos ſerviteurs ou autres, ſur quelque fourme de parole que ce fuſt, jaçoit ce que en leurs dons feuſt contenu, non obſtant le don ou ordenance que nous en avons fait pour la dite noble Maiſon, ſi eſt ce noſtre entente que non obſtant iceulx dons, les gens de la dite noble Maiſon à ce ordennés de par nous, en preignent pour icelle & puiſſent prendre de fait la poſſeſſion & les y appliquer ſelon noſtre preſente ordenance. Et ou cas que ſur ce debat naiſteroit en noſtre dit Parlement pour cauſe des dons que nous en aurions fais au contraire de ceſte preſente ordenance, nous volons que par nos amez & feaulz Gens qui tiendront noſtre Parlement, iceulz dons ſoient reputez & tenuz pour nulz, car dés maintenant & pour lors nous les y reputons & tenons par ces preſentes, par leſquelles nous donnons en mandement à noz amez & feaulx, Chancellier, Genz de noſtre dit Parlement, de noz Comptes & Treſoriers à Paris, & à chaſcun de eulx, ſi comme à li appartiendra, que il & chaſcun de eulx, tiengnent & gardent & facent tenir & garder noſtre preſente ordenance ſans enfraindre ou attempter aucune choſe au contraire. En teſmoing de ce nous avons fait mettre à ces Lettres le ſeel de noſtre Chaſtellet de Paris en l'abſence du grant. Donné au Temple lez Paris le XVII. jour de Fevrier, l'an de grace mil CCC cinquante & quatre. Ainſi ſigné, PAR LE ROY, *Yvo.*

Digitized by Google

LITTERÆ BVLLATÆ, Quibus CLEMENS *Papa* VII *Regnum Adriæ instituit, ac Ludovico Duci Andegav. tribuit.*

XXIII. CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio nostro LUDOVICO Regi Adriæ, Duci Andegavensi & Turonensi, ac carissimi in Christo filii nostri CAROLI Regis Francorum illustris germano, Salutem & Apostolicam benedictionem. Constituti in suprema militantis Ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant & Principes imperant, & qui solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, necesse habemus interdum de Regnis & terris ipsis, & specialiter quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis existunt, cum Fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere terras ipsas dignitate decorare Regia, & in earum soliis ad regimen gentium subjectarum quos dignos credimus sublimare, ut evulsis spinosis vepribus plantas inseramus proficuas, fructus uberes suo tempore in domo Domini allaturas; instructi cælestis Regis exemplo, qui terrenis Regibus potestatem tribuit, ut assumpto officio dominandi in æquitate judicent populos, & dirigant in terris sibi subditis gentium nationes, sítque eorum voluntas in executione justitiæ, & meditatis in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis. Ea propter terras nostras & Ecclesiæ Romanæ quas habemus in Italia respicientes oculo pietatis, & conspicientes eas seu habitatores earum retrò jam lapsis temporibus adeò esse lacessitas, & dominantium in eis jure & auctoritate sedis Apostolicæ crebra mutatione affectas, multitudine Tyrannorum tam circa quàm infra eas ipsas occupare conantium sic esse afflictas, quòd pene ad exinanitionem Clerus & Populus est deductus in eis; nósque ut pote orbis regimine occupati ad debitam earum reformationem intendere nequeamus. AN. CHR. 1382.

Digitized by Google

Hiis & aliis justis considerationibus moti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, terras ipsas videlicet Provincias Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Ducatus Spoletani, Massæ Trabari, nec non Civitates Bononiam, Ferrariam, Ravennam, Perusium, Tudertum, cum earum omnibus comitatibus, territoriis & districtibus, & omnes alias & singulas terras, quas ad præsens nos & Ecclesia Romana in Italia extra regnum Siciliæ habemus & habere debemus, per quoscumque & quacunque auctoritate possideantur seu detineantur ad præsens, exceptis duntaxat urbe Romana cum ejus districtu & provinciis Patrimonii Sancti Petri in Tuscia Campaniæ & maritimæ ac Sabinæ, seu Rectoratibus dictarum provinciarum, quas nobis cum omnibus aliis terris per Rectores dictarum provinciarum regi solitis, quæ terræ specialium commissionum vocantur, nostrisq; successoribus & Romanæ Ecclesiæ expresè & specialiter retinemus; in unum Regnum erigimus ipsas provincias & civitates cum earum Comitatibus, districtibus seu Territoriis, dignitate Regia decoramus, ac Regnum Adriæ ordinamus, statuimus & decernimus perpetuò nuncupari.

Et considerantes quòd personam tuam, qui de illa præclarissima domo Franciæ, quam benedixit Dominus, traxisti originem, strenuitate, magnanimitate ac prudentia, aliarúmque virtutum donis multiplicibus Dominus dignatus est adornare prout judex veritatis, experientia ac preclaræ famæ præconium luce clarius manifestant: & propterea ipsam personam tuam honorare & sublimare volentes, ad honorem Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, beatæ & gloriosæ semper Virginis MARIÆ, beatorúmque Apostolorum Petri & Pauli, & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon ad utilitatem Regni seu terrarum ipsarum, pacificúmque ac tranquillum statum incolarum seu habitantium in Regno seu terris prædictis, Regnum Adriæ prædictum, & omnes terras quas extra Regnum Siciliæ nos & Romana Ecclesia in Italia habemus seu habere debemus,

Digitized by Google

mus, per quoſcumque, & quacumque ac cujuſcumque auctoritate poſſideantur ſeu detineantur ad præſens, urbe Romana cum ſuo territorio & diſtrictu, ac provincia patrimonii beati Petri in Tuſcia Sabina, Campania & maritima, cum earum Rectoratibus & terris ſpecialium commiſſionum per Rectores dictarum Provinciarum gubernari hactenus ſolitis, cum dignitate, honore, prærogativis, præeminentiis, privilegiis, immunitatibus & libertatibus quibuſcumque Regiis, & ſub Regni titulo in feudum perpetuum, ſeu perpetuò habendum, tenendum & poſſidendum tibi tuíſque heredibus ex te legitimè, ſicut infra dicitur, deſcendentibus, ſub infra ſcriptis modis & conditionibus auctoritate Apoſtolica, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, de Fratrum noſtrorum conſilio & conſenſu conferimus, concedimus, & donamus, téque Regem Regni prædicti conſtituimus & creamus.

Conditiones autem ſunt hæ. Si in tuo vel heredum tuorum obitu legitimum heredem, prout infra ſcribitur, te aut ipſos, quod abſit, non habere contigerit, Regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam ejúſque diſpoſitionem liberè revertatur. Deſcendentes autem ex te & tuis heredibus, ſcilicet Regibus, mares & feminæ in eodem Regno ſuccedent, ſic tamen quòd de liberis pluribus maribus in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus; & de pluribus fœminis primogenita, & de mare & fœmina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus maſculus omnibus aliis præferatur. Quòd ſi nepotem ex filio primogenito præmortuo cum filio, vel neptem ex filia primogenita præmortua cum filia, ad ſucceſſionem hujuſmodi concurrere fortè contingat, nepotem patruo, & neptem amitæ volumus anteferri. Si verò nepos cum amita vel neptis cum patruo forſan ad hujuſmodi ſucceſſionem concurrerint, marem fœminæ volumus ante ferri: Si verò te, quod abſit, ſine liberis ex te legitimè deſcendentibus mori contigerit; poſſit tibi in Regno prædicto ſuccedere unus de deſcendentibus ex regia ſtirpe Regum Franciæ maſculus dum-

Digitized by Google

taxat, quem tu quandocunque ad successionem hujusmodi qualitercunque duxeris nominandum, & si te, quod absit, absque liberis ex te legitimè procreatis & nullo per te de stirpe præfata Regum Franciæ ad successionem hujusmodi nominato, ut dictum est, vel etiam nominato si ipsum per te nominandum, sine liberis mori contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejúsque dispositionem liberè revertatur. Sed si aliquem de aliis successoribus tuis Regem vel Reginam Adriæ sine prole legitima sui corporis mori contigerit, in futurum succedent sibi servatis gradibus, si superstites fuerint hæ personæ videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis, frater vel soror ac collaterales superiores mares & feminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & sursùm usque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & feminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, & inferius usque ad eumdem tantummodò quartum gradum.

Quod autem de feminis rectæ lineæ & collateralium superiùs expressum, intelligimus tam de nuptis quàm etiam innuptis, dummodò nuptæ sint fidelibus & Ecclesiæ Romanæ devotis: & sicut inter has personas collateralium linearum ad successionem hujusmodi venientes gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri.

Personarum autem ipsarum nulla superstite, Regnum ipsum, sicut prædicitur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem liberè revertatur. Quod si fortè deficientibus masculis contingat feminam innuptam in Regno ipso succedere; illa maritabitur personæ quæ ad ipsius Regni regimen & defensionem existat idonea, Romani Pontificis tamen priùs super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto; & si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano Pontifici

Digitized by Google

contra ipsam ad privationem sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacunque ætate femina ipsa consistat, procedere si hoc ei videbitur expedire. In Regnum verò prædictum nullus succedet qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hæc, tam tu quam tui in Regno hujusmodi heredes Regnum prædictum nullatenus divide*tur**, sed semper illud unus tantùm sub ipsis modis & conditionibus immediatè & in capite ab Ecclesia Romana tenebit. Tu autem Romanæ Ecclesiæ & nobis recipientibus juras ad præsens ac modo simili tam tu quàm tui in Regno hujusmodi successores cuilibet Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, juramentum fidelitatis præstabitis, & homagium ligium facietis, & prædicta juramentum & homagium faciendo mentionem de præsentibus litteris facietis in hunc modum:

* tis.

Ego Ludovicus Dei gratia Adriæ Rex plenum & ligium vassallagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Adriæ præfato, ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato Petro & Domino meo Domino Clementi Papæ suisque successoribus canonicè intrantibus, Sanctæque Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione, consilium quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios suos, vel per litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam; & si scivero fieri, sive tractari, aut procurari aliquid quod sit in eorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & Regalia Sancti Petri tam in Regno Adriæ prædicto, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad defendendum & retinendum, ac recuperandum & recuperata manu tenendum contra omnem hominem. Universas conditiones contentas in præsentibus litteris plenariè adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa: Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Hujusmodi autem homagium facere & juramentum

Digitized by Google

fidelitatis præstare tu & dicti tui heredes secundùm præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infra sex menses, si verò extra Italiam ipsum esse contigerit infra annum postquam Regni dominium adepti fueritis teneamini, & singulis ipsis successoribus nostris & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium quàm hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, te & heredes tuos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & homagium ligium Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ prædictæ, dummodò ad hoc vobis locum tutum statuant & assignent: vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat, destinare.

Tu quoque nobis & Ecclesiæ Romanæ in nostris manibus juras ad præsens, te ad hoc specialiter obligando, & tam tu singulis nostris successoribus ac prædictæ Ecclesiæ, quàm tui in dicto Regno heredes, nobis & singulis nostris suceessoribus & prædictæ Ecclesiæ quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis jurabitis vos adhoc specialiter obligantes.

Quòd si contigerit pro tempore vos, seu vestrum aliquem, in Regem Romanum, seu Alamanniæ vel Teutoniæ, seu in Regem vel Dominum Lombardiæ, aut majoris partis ipsius Lombardiæ eligi, seu qualitercumque nominari vel assumi, vobis seu aliquo vestrum per vos, vel aliàs quovismodo pro vobis, vel aliquo vestrum, quocumque studio vel aliàs procurantibus, seu sine vestra vel vestrum alicujus procuratione ad procurationem alterius cujuscumque, seu sine procuratione alicujus motu proprio Principum, vel aliorum seu alterius cujuscumque ad quos seu quem electio hujusmodi, nominatio seu assumptio noscitur pertinere, seu aliàs quomodocunque vel qualitercunque: vos electioni seu nominationi aut assumptioni hujusmodi nullatenus consentietis, nec de Regno hujusmodi Romaniæ, Alamanniæ seu Teutoniæ, aut de Regno seu dominio Lombardiæ, seu

Digitized by Google

majoris partis ipſius, de ipſorum Regnorum vel eorum alterius regimine vel adminiſtratione in toto vel in parte aliqualiter vos intromittetis, niſi priùs is veſtrum qui ſit* electus, nominatus fuerit vel aſſumptus, in manibus Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Romanus Pontifex duxerit deputandum, filium ſuum ſucceſſurum in Regno, vel filiam ſi fortè filium non haberet, cujuſcunque fuerit ætatis, emancipet & Regno renuntiet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, *nec** cujuſlibet etiam poteſtatis; nec ipſum filium ſeu filiam ad aliquod ſervitium, ſeu ſubſidium faciendum, juramento vel voto, ſtipulatione vel pacto ſibi vel ſuis ſucceſſoribus adſtringat: ſícque factus filius vel filia ſui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio deſtinato ab ipſo protinus inveſtiatur de Regno, ad cujus ſucceſſionem, ſi fortè decederet ſine liberis, nullo umquam tempore pater veniat Imperator, vel Rex alicujus prædictorum Regnorum. Sed ſi imperio vel Regno & omnibus quæ ad ipſum Imperium ſeu Regnum pertinent idem pater renuntiare voluerit, & Regno Adriæ præfatø tantùm eſſe contentus, poſt renuntiationem hujuſmodi ad illius ſucceſſionem liberè admittatur: & tunc ab ipſo Romano Pontifice vel alio deputato inveſtituram recipiat Regni præfati. Quæ verò de filio dicuntur vel filia, ut videlicet eis poſſit ſub obſervatione præmiſſa à patre, ad Imperium vel Regnum Romanum, vel Alamanniæ, ſeu Regnum vel Dominium Lombardiæ tranſeunte *dimitti**, ſi Rex liberos non habeat, in aliis perſonis quas ſuprà diximus, liberis non extantibus, in Regno ipſo Adriæ poſſe ſuccedere ſi aliqua perſonarum prædictarum ſuperſtes fuerit obſerventur, excepto dumtaxat emancipationis articulo quæ in ſolis ipſis perſonis procedere poteſt, quæ capaces emancipationis exiſtunt ratione paternæ poteſtatis, vel niſi de Romani Pontificis qui pro tempore fuerit licentia ſpeciali, nec etiam poſt obtentam licentiam, niſi formam, conditiones & modos in conceſſione licentiæ expreſſatos plenariè adimplendo; & ſi contrarium, quod abſit, faceretis vel veſtrum aliquis faceret, nos ele-

* ſic.

* nil.

* id eſt relinquit dari.

Digitized by Google

ctionem, nominationem & assumptionem hujusmodi, ac præstationem consensus, tamquam contra tenorem præsentis contractus, te ad hoc pro te & singulis tuis in Regno ipso successoribus specialiter & expresè consentiente, decernimus irritas & inanes: decernentes ut occasione talis electionis, nominationis seu assumptionis, de regimine vel administratione Imperii vel Regnorum hujusmodi Romani, Alemanniæ seu Teutoniæ, vel Regni seu dominii Lombardiæ vel ipsius majoris partis vos vel vestrum aliquis intromittere nullatenus valeatis; & si contra feceritis vel aliquis vestrum fecerit, electioni, nominationi, vel assumptioni hujusmodi, nisi priùs Regno per modum præmissum dimisso, vel nisi de licentia Romani Pontificis, consentiendo, & administrationi Imperii, vel Regni Romani, Alemanniæ seu Teutoniæ, sive Regni seu dominii Lombardiæ vel ipsius partis majoris pro parte vel pro toto immiscendo, eo ipso cadatis à jure Regni Adriæ præfati, & ad Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ dispositionem liberè revertatur. Ceterum si contigerit aliquem de vestris heredibus, qui deberent in Regno succedere memorato, in Imperatorem vel Regem Romaniæ, aut Alemanniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ vel ipsius majoris partis eligi, nominari, vel assumi, antequàm Regni hujusmodi sibi successio deferretur, dum casus successionis ipsius Regni Adriæ obveniet, nullatenus successionem ipsius Regni acceptet, nec possessionem nanciscatur ejusdem, nec de ipsius dominio, cura, administratione vel regimine per se vel alios aliqualiter se intromittat, nisi priùs Imperio vel Regno Romaniæ, Alemanniæ seu Teutoniæ, vel Regno seu dominio Lombardiæ vel majoris partis ipsius; ad quodcunque eorum electus, nominatus fuerit vel assumptus, & omni juri sibi competenti in ipso vel eis, verbo & facto omnino renuntiet, & nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens omninò dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus, nisi de Romani Pontificis licentia speciali: alioquin cadat ab omni successio-

Digitized by Google

ne & jure quæ in Regno præfato ſibi competeret ipſo facto; ita quòd ipſum Regnum ad Romanam Eccleſiam ejúſque diſpoſitionem liberè revertatur.

Si verò aliquem de veſtris heredibus qui in Regno deberent ſuccedere memorato, in Imperatorem vel Regem Romaniæ, aut Alemanniæ ſeu Teutoniæ, vel in Regem ſeu Dominum Lombardiæ, vel majoris partis ipſius contigerit eligi, nominari vel aſſumi, antequam ſibi Regni ſucceſſio deferretur & ipſe Imperio, Regno Romaniæ, Alemanniæ ſeu Teutoniæ, vel Lombardiæ voluerit eſſe contentus; ſic quod in Regno Adriæ prædicto nullum velit ſibi jus quomodolibet vendicare; tunc quando caſus ſucceſſionis obveniet, illum proximè ſequens in ſucceſſionis gradu ſecundùm formam ſuperiùs annotatam, dummodò ſuperſtes ſit aliqua de perſonis, quas ſupradiximus poſſe ſuccedere, in Regno præfato Adriæ ſuccedat, aliàs ad Romanam Eccleſiam ejúſque diſpoſitionem plenè & liberè revertatur.

Quòd ſi non exſtantibus maſculis femina in eodem Regno ſucceſſerit quæ maritata non eſſet, illa Imperatori vel Regi Romaniæ, ſeu in Imperatorem vel Regem Romanum electo, aut Regi ſeu electo in Regem Alemanniæ, ſeu Regi vel Domino Lombardiæ aut in ejus Dominum aut Regem Electo, aut majoris partis ipſius, numquam matrimonialiter copuletur, & ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat à Regno Adriæ, maneátque ipſius jure prorſus privata, ipſo Regno ad eamdem Eccleſiam devoluto. Si verò, non extantibus maſculis, femina in Regno hujuſmodi ſucceſſura, antequàm hujuſmodi ſucceſſio deferretur eidem, fuerat matrimonialiter copulata Imperatori, vel Regi Romaniæ, aut Regi Alamanniæ, ſeu in Regem aut Dominum Lombardiæ electo vel aſſumpto, non ſuccedat in Regno Adriæ prædicto, ſed ad illas perſonas ſervatis gradibus Regnum perveniat, quas prænotavimus in Regno poſſe ſuccedere, ſi Regi præmortuo liberi non ſuperſint, cùm noſtræ intentionis exiſtat, ut præfatum Regnum Adriæ Imperio aut Regno Romaniæ,

Digitized by Google

vel Alemanniæ, aut Regno vel dominio Lombardiæ, vel ipsius Lombardiæ majoris partis, nullo umquam tempore subjiciatur, vel quòd ipsum Regnum Adriæ cum Imperio, vel Regno Romano, aut Alemanniæ, vel cum Regno seu dominio Lombardiæ prædicto quomodolibet in unam personam uniantur, ut scilicet unus & idem simul sit Imperator & Rex Adriæ, vel Rex Romaniæ, aut Alemanniæ, seu Lombardiæ, & Rex Adriæ. Et super hoc articulo cavebitur tam per pœnas spirituales quàm alias idoneas cautiones, quandocumque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum.

Ad hæc, volentes ut ipsum Regnum Adriæ nullo tempore careat legitimo defensore, volumus & Apostolica auctoritate ordinamus, ut si in Regno hujusmodi succedens ætatis decem octo annorum fuerit, liberè administret, sed quamdiu minor fuerit, tam ipse quàm Regnum in baillio & custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse compleverit prædictam ætatem, fructibus & emolumentis ipsius Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro statu Regis & ipsius Regni custodia, deducantur Regi conservandis eidem, & lucri alterius ratione hujusmodi custodiæ non cessuris.

Tu autem & tui in Regno præfato Adriæ heredes in urbe Romana, aut ejus territono vel districtu, aut in provinciis Patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabina, Campania, vel maritima, aut in terris specialium commissionum, quæ per Rectores dictarum provinciarum solitæ sunt gubernari, aut aliis domaniis seu feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato aut quocumque alio jure, titulo vel contractu nihil umquam vobis acquiretis, vel vindicabitis, recipietis, habebitis vel retinebitis, seu poteritis acquirere, vindicare, habere, recipere vel retinere: nullam etiam Potestariam *, Capitaneam, Rectoriam, vel alium honorem, nullámque, dignitatem seu potestatem Senatoriam, vel quamcumque aliam administrationem, commendam, vel quodcumque aliud officium recipietis, habebitis, vel retinebitis, seu recipere, habere, vel retinere

* Potestaria, *charge de Podestat.*

Digitized by Google

nere poteritis in eisdem. Præfatam etiam urbem, aut provinciam Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Sabinam, Campaniam, vel Maritimam, nec terras specialium commissionem prædictas, aut earum vel ipsarum alicujus partem non occupabitis, nec occupari facietis, nec in eis offendetis vel quomodolibet molestabitis Romanam Ecclesiam, aut molestari facietis: quòd si contrarium feceritis, & moniti vel requisiti per Romanum Pontificem, vel si commodè requiri vel moneri nequiveritis, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam ipse publicè & solemniter de hoc vos monuerit, infra sex menses, habita *, acquisita, vindicata vel capta hujusmodi realiter & de facto non dimiseritis, ea postmodùm nullatenus repetituri; vel si à præfatis molestationibus, inquietationibus & impedimentis omninò non desiteritis, seu si per vos vel alios pro vobis occupata seu invasa non restitueritis integrè & perfectè; eo ipso ab ejusdem Regni jure cadatis totaliter, ipsúmque Regnum prorsus amittatis, & ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Quòd si restitueritis occupata, nihilominus de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum Romani Pontificis ad plenum satisfacere debeatis.

Alii verò heredes vestri qui non sunt successuri in Regno, si in urbe & aliis terris prædictis aliquid acquirere, vel vindicare, recipere, vel retinere ex quocumque titulo, vel Capitaneam vel potestariam, aut quodcumque aliud officium, præeminentiam vel honorem in eisdem acceptare, recipere, vel retinere præsumpserint; aut si aliquas de prædictis provinciis sive terris aut earum aliquam vel per se, vel per alios occupaverint, vel fecerint occupari: aut si Romanam Ecclesiam molestaverint in eisdem, si moniti vel requisiti, aut si secundùm dictum vel assertionem Romani Pontificis moneri vel requiri non possint commodè, postquàm ipse Romanus Pontifex eos publicè & solemniter monuerit, infra sex menses habita, acquisita, vendicata quocumque titulo vel causa non dimiserint, vel si à præfatis molestationis-

Digitized by Google

bus vel inquietationibus quibuscumque non destiterint, seu si occupata vel invasa plenè non restituerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & nihilominus ipsi vel eorum posteri in perpetuum non possint in Regno ipso succedere si ipsis in casu aliquo eadem successio deferretur, sed ab illo tamquam indigni prorsus & totaliter excludantur, & nihilominus ille qui tunc ejusdem Regni Adriæ gubernaculis præsideret . . . . : . . . . . Romano Pontifici patenter & cum effectu assistere teneatur.

Rursus cùm non expediat Romanæ Ecclesiæ ejusdem feuda in unam personam uniri, volumus & te pro te & tuis successoribus universis expressè consentiente, disponimus & irrefragabiliter ordinamus, ut tu vel tui in posterum successores in Regno hujusmodi, Regi seu Reginæ Siciliæ, qui pro tempore fuerit in Regno Siciliæ & terris* . . . . . *Romana* tenet in feudum, ex quacumque causa, jure, sive titulo non possitis succedere, vel aliàs ad dicti Regni Siciliæ & dictarum terrarum dominium vel successionem venire, nec conversò scilicet Rex Siciliæ qui pro tempore fuerit tibi vel alicui tuorum in Regno Adriæ prædicto heredum ex quacumque causa, jure, sive titulo non possit succedere, vel aliàs ad dicti Regni dominium vel successionem eve- . . . . . propter propinquitatem generis, vel aliàs Rex vel Regina Siciliæ Regi vel Reginæ Adriæ deberet in Regno succedere, vel è converso successio hujusmodi ad sequentem in gradu, illum videlicet qui deficiente Rege vel Regina Siciliæ esset successurus Regi Adriæ vel è converso, qui scilicet deficiente Rege vel Regina Adriæ esset successurus Regi Siciliæ, successio hujusmodi transferatur . . . . . pacta infeudationum, possint succedere in eisdem Regnis: aliàs ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem ipsum Regnum, de cujus successione agitur, liberè devolvatur, non movebitis.

* quod & quas ab Ecclesia Romana.

Præterea tu, nec aliquis tuorum in Regno successor pro te, vel alio quocumque, ex quacumque causa, titu-

Digitized by Google

lo vel occaſione guerram vel aliam per viam facti quamlibet novitatem contra Regem Siciliæ qui pro tempore fuerit, vaſſallos, ſubditos vel valitores ipſius qui de ipſo Siciliæ Regno exiſtant, facietis: nec facienti alteri dabitis auxilium, conſilium, vel favorem; nec ipſe Rex Siciliæ contra te ſeu aliquem tuorum in ipſo Regno heredum, vaſſallos, ſubditos vel valitores tuos, & ipſorum tuorum heredum, qui de ipſo Regno exiſtunt; ſed ſiquid diſſenſionis, quæſtionis vel querelæ inter vos Reges ſcilicet Adriæ & Siciliæ contingeret exoriri, Regum, dominus adeatur, qui Romanus Pontifex vobis Regibus per concordiæ vel litigii viam, ſeu aliàs, ut ſibi videbitur juſtitiam adminiſtret. Si autem contra aliquem veſtrum vaſſallorum ſeu ſubditorum ex quacumque cauſa qualiſcumque per alterum Regum prædictorum querimonia proponatur, is Regum pro miniſtranda juſtitia adeatur, contra cujus ſubditum vel vaſſallum fuerit querimonia deferenda . . . . . diſtulerit juſtitiam miniſtrare: Romanus Pontifex ejuſdem Regis ſuppleat negligentiam ſeu defectum.

Si autem tu vel aliquis tuorum in Regno Adriæ præfato heredum contrarium, quod abſit, attentaveritis contra Regem Siciliæ, ejus ſubditos vel vaſſallos, guerram movendo, vel novitatem facti aliam faciendo, ſeu facienti aut moventi dando auxilium, conſilium vel favorem publicè vel occultè . . . . . qui pro tempore fuerit, contrarium attentaverit contra te vel aliquem tuorum in ipſo Regno Adriæ heredum, ſeu contra veſtros ſubditos vel vaſſallos guerram movendo, vel faciendo per viam facti novitatem aliam, ſeu facienti vel moventi dando auxilium, conſilium, vel favorem publicè vel occultè, ipſe guerram movens vel novitatem attentans, aut moventi vel facienti dans auxilium, conſilium, vel favorem, ad * . . . . . datorum in guerra hujuſmodi plenariè teneatur, & nihilominus eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, quam ſi animo indurato per tres menſes ſuſtinuerit non ceſſando totaliter & effectualiter à guerra, auxilio, conſilio, vel favore

* emendationem dānorum.

Digitized by Google

prædictis, vel si de damnis vel injuriis in guerra seu novitate hujusmodi irrogatis infra sex menses postea immediatè sequentes ad plenum non . . . . . Ecclesiastico subjaceat interdicto. Nullam etiam confederationem, vel pactionem, seu societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, Principe vel Barone Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia, civitate vel communitate, vel aliquo loco scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Romanæ Ecclesiæ facietis; & si eam feceritis ignoranter, ad mandatum Romani Pontificis revocare teneamini, & si scienter . . . . . & ad mandatum Romani Pontificis nolueritis revocare, ipsam eo ipso sententiam excommunicationis incurratis, quam si animo indurato per mensem sustinueritis, ex tunc totum Regnum Ecclesiastico subjaceat interdicto, donec ipsam effectualiter duxeritis revocandam.

Si quis præterea Imperator, Rex, vel alius Princeps quicumque, universitas, communitas, Tyrannus, vel quævis persona Ecclesiastica . . . . . provincias Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Sabina, Campania, Maritima, aut ipsarum aliquam, seu partem alicujus ipsarum, vel aliquam de terris specialium commissionum quæ per Rectores dictarum provinciarum sunt solitæ gubernari, & quas nos nobis, Ecclesiæ Romanæ & nostris successoribus expressè & specialiter retinemus, occupaverint aut fecerint occupari, seu si in eis aliquo modo Rom. . . . . molestaverint vel fecerint molestari, seu si urbs aut provinciæ ipsæ seu terræ vel earum aliqua contra Romanam forsan rebellarent Ecclesiam, vos ipsam Ecclesiam Romanam ejusque honores & jura in eisdem urbe, provinciis atque terris, & alias semper bona fide teneamini custodire, & nihilominus quandocumque Romana Ecclesia indigebit, super qua indigentia stabitur Romani Pontificis simplici . . . . . in dicto Regno heredes requisiti ab eo ad Urbem, Campaniam, Maritimam, aut provinciam Patrimonii Sancti

Digitized by Google

Petri in Tuscia, seu alias terras quas nobis Romanæ Ecclesiæ & nostris successoribus specialiter retinemus, trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos & paratos, ita quòd unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas bonas vel tres ad minus in ipsius Ecclesiæ Romanæ . . . . . transmittetis, per tres menses integros & continuos postquam illam ex provinciis vel terris prædictis, in qua ipsis indigebit Romana Ecclesia, ingressi fuerint, in tuis vel tuorum in dicto Regno heredum sumptibus & expensis semel in quolibet anno bene & fideliter servituros, quorum si aliquos interim pendente servitio mori, vel aliàs quomodocunque deficere contigerit, tu & tui in Regno heredes . . . . . modo consimili statim supplere vel post lapsum dictorum trium mensium cum tot quot defuerint, & pro tanto tempore quanto defuerint, Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ teneamini benè & fideliter facere deservire.

Sanè omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm aliis secularibus & regularibus, nec non omnibus Prælatis & Clericis ac universis personis Ecclesiasticis secularibus & religiosis. . . . . plenariè dimittentur & restituentur integrè eorum bona immobilia, à quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Hæc autem restitutio fiet sine contradictione & difficultate qualibet sicut nactus fueris ipsius Regni possessionem, hoc modo: scilicet quòd statim in illa parte Regni quæ tibi obediet restitutio ipsa fiat, & postmodum successivè consummabitur sicut habeb . . . . . Nè autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à nobis seu Romano Pontifice qui tunc fuerit aliqui discreti viri, ad quorum mandatum & arbitrium restitutio ipsa fiat, ita quòd ea de quorum dominio vel proprietate aut possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò per ipsos de plano & absque judicii . . . . . diligentiùs inquiretur. Sufficiet autem vocari rectorem seu

Digitized by Google

thesaurarium vel procuratorem, in cujus jurisdictione vel administratione seu territorio bona de quibus agetur consisterent, ad videndum jurare testes qui in hujusmodi inquisitione deponent: hujusmodi quoque temporalia & mobilia bona quæcumque, etiam si civitates, castra, jurisdictiones existant quæcumque & quocumque nomine censeantur..... tam Cathedralium quàm aliarum Regularium & sæcularium, & universæ aliæ personæ Ecclesiasticæ, tenebunt liberè, absque eo quòd ab eis possit ratione ipsorum temporalium per te vel aliquem tuorum heredum peti seu exigi homagium, juramentum fidelitatis vel recognitio aliqualis, nec dissaisentur Ecclesiæ Cathedrales vel aliæ regulares seu sæculares, nec earum Prælati seu ceteræ personæ Ecclesiasticæ, per te vel aliquem tuorum heredum vel Officiales vestros quocumque nomine nuncupentur, eorum temporalitate vel parte ipsius, nec poterunt dissaisiri; nec in eorum domibus vel aliis eorum bonis mobilibus vel immobilibus vastatores seu custodes ponentur, nec poni debebunt seu poterunt quoquo modo; sed omnes Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ omninò erunt liberæ, & in nullo Regi vel Principi subjacebunt.

Nullas insuper taillias vel collectas imponetis Ecclesiis, Monasteriis, Clericis & viris Ecclesiasticis, seu bonis vel rebus ipsorum; & in Ecclesiis vacantibus tu vel tui in Regno Adriæ heredes nullam habebitis Regaliam, nullósque fructus, redditus & proventus; nullas etiam obventiones, nullâque alia percipietis exeisdem, custodia earum Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

Omnes insuper Ecclesiæ tam Cathedrales, quàm aliæ Regulares & sæculares, nec non & omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ, sæculares & Religiosæ, ac quæcumque loca Ecclesiastica cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione,

Digitized by Google

vel pòst, Regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem tu & tui in Regno heredes semper manutenebitis & conservabitis, ac manuteneri & conservari facietis ab omnibus subditis vestris plenariè, sine fraude, salvis semper circa Ecclesias Cathedrales & alias tam sæculares quàm Regulares, ac alias personas & loca Ecclesiastica tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quàm in omnibus & quibuscumque aliis, Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione & auctoritate, plenaria & libera potestate.

Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes liberè & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram Ordinariis & delegatis judicibus Ecclesiasticis, & terminabuntur per eos; & si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quàm appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum suarum prosecutionibus liberè & absque inhibitione aliqua permittentur. Et si qui sint Prælati vel aliæ personæ Ecclesiasticæ qui bona aliqua teneant à te Rege prædicto, & successoribus tuis, vel ab aliis Dominis temporalibus tibi subditis, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt nobis nostrísque prædecessoribus & ipsis Dominis temporalibus aliqua servitia pecuniaria, vel alia exhibere, hujusmodi antiqua & honesta servitia tibi tuisque successoribus, & eisdem Dominis secundùm antiquam & rationabilem consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonica impendantur.

Poterunt insuper omnes habitatores & incolæ Regni Adriæ præfati liberè & absque omni impedimento ad Curiam Romanam ubicumque eam esse contigerit, pro suorum negotiorum commoditatibus venire, stare & redire ad propria, nec non ad ipsam Curiam Romanam blada, vina, carnes, pisces, & alia victualia quæcumque pro ipsius Romani Pontificis, Cardinalium sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ & aliarum personarum Ecclesiasticarum Curiam Romanam sequentium; & in ea & in loco

Digitized by Google

ubi Curia reſidebit commorantium proviſionibus portare & portari facere liberè, & ſine impedimento, per terram vel per mare prout duxerint eligendum ſine ſolutione tractæ, pedagii, leudæ, gabellæ, impoſitionis, vel quocumque alio coſtagio, vel onere, vel redhibentia aliquali, & de proviſionibus Romani Pontificis & ſuorum familiarium & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, Camerarii noſtri & Eccleſiæ Romanæ. De proviſionibus verò Cardinalium & familiarium ſuorum cujuſlibet ipſorum Camerarii litteris ſtabitur & credetur plenariè & abſque omni difficultate.

Promittis inſuper pro te & tuis ſucceſſoribus in Regno hujuſmodi univerſis, quòd nullus Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica ejuſdem Regni in civili vel criminali cauſa convenietur coram Judice ſæculari, niſi de feudo & petitorio civiliter forſan ageretur. Non facietis quoque ſeu edetis, ſeu fieri aut edi facietis aut permittetis in Regno hujuſmodi ſtatuta, conſtitutiones vel leges contra Eccleſiaſticam libertatem, ſeu per quæ juri aut libertati Eccleſiaſticæ in aliquo derogetur.

Comites verò, Barones, Milites, & univerſi homines totius Regni prædicti, vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates illáque privilegia, ipsíſque gaudebunt quales & quæ antiquis temporibus habuerunt. Præterea exules & exititii Regni prædicti ſeu Provinciarum, Civitatum, Comitatuum ac omnium locorum ipſius, cujuſcumque conditionis exiſtant, ad mandatum Eccleſiæ reducentur in Regnum, ac etiam in ſuis civitatibus, caſtris, ſeu locis aliis quibuſcumque reſtituentur eis poſſeſſiones & quæcumque immobilia bona & jura ipſorum quæ non eſſent legitimè confiſcata. In hujuſmodi autem reſtitutione ſecundùm formam in Capitulo de bonis Eccleſiarum reſtituendis præſcriptam tam in notoriis quam in dubiis procedetur.

Habebis autem tu & tui in Regno ſucceſſores ipſum Regnum ſicut ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere, ea videlicet quæ de domanio ſunt Romanæ Eccleſiæ, in domanium, & alia illo jure, modo & forma quibus

Digitized by Google

bus ad nos & Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, cùm nostræ intentionis existat, ut per præsentem concessionem alicui in suis possessionibus vel proprietatibus nullum præjudicium generetur, Regio in iis jure semper salvo. Pro toto verò generali censu ipsius Regni quadraginta millia florenorum boni auri ad pondus Cameræ Apostolicæ in Festo Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si verò tu vel tui in dicto Regno heredes quocumque termino non solveritis integrè censum ipsum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediatè sequentes de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis sententiâ innodati, quòd si in secundo termino, & infrà duos subsequentes menses eumdem censum sine diminutione aliqua non persolveritis, totum Regnum Adriæ Ecclesiastico erit suppositum interdicto. Si verò nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem ejusdem census vobis duxeritis consulendum, ita quòd transacto eodem tertio termino infra duos menses ipsum tertium terminum sequentes ipsi Romanæ Ecclesiæ integrè non fuerit satisfactum, ab eodem Regno ipsiúsque jure cadatis ex toto, & Regnum ipsum integrè & plenariè ad Romanam Ecclesiam revertatur. Si autem de censu quadraginta millium florenorum prædicto hujusmodi primi termini infra dictos tertium terminum, & duos subsequentes menses plenariè satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis quadraginta millibus singulorum terminorum si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illa non solveritis, similes pœnas incurretis, salvis aliis pœnis & processibus quæ vel qui de jure inferri vel fieri poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

In quolibet etiam triennio dabitis tu & tui in Regno hujusmodi heredes Romano Pontifici, unum palafredum album, pulchrum & bonum, in recognitionem dicti dominii ejusdem Regni.

Ad hæc postquam tu prædictum Regnum acquisi-

Digitized by Google

veris, vel tantum de ipso, quod etiam si aliquæ civitates vel munitiones, aut aliqua alia loca ipsius Regni adhuc tibi rebellia fuerint, reputeris & possis ipsius Regni Rex & Dominus reputari, ad dicta quadraginta millia florenorum & palafredum terminis supradictis, & sub pœnis annotatis superius tenearis, & tui subsequenter hæredes in Regno hujusmodi perpetuò teneantur.

Ad hæc si Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, vellet cum sua curia in aliqua civitatum vel aliarum terrarum seu locorum ipsius Regni Adriæ morari, hoc possit liberè & absque impedimento quocumque, & cum eisdem libertatibus, privilegiis & immunitatibus quas Ecclesia Romana tam de jure quàm de antiquis observantiis habere debet, & usa est temporibus retroactis; & tam circa libratas ordinandas cancellos f. . . . ta, rationes domorum, jurisdictione Marescalli libera, & aliorum Officialium Romanæ Curiæ, quàm alias in quibuscumque consistant & qualitercúmque retrò temporibus fuerit observatum.

Tu etiam ad præsens & singuli tui in Regno heredes quandò facient homagium, & juramentum fidelitatis præstabunt, dabitis privilegium vestrum aurea bulla bullatum Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ, in quo proprio juramento fatebimini & recognoscetis expresè Regnum Adriæ prædictum ex sola gratia & mera liberalitate sedis Apostolicæ vobis de novo fore concessum, vósque recepisse & tenere Regnum hujusmodi à Romana Ecclesia sub pactis & conditionibus supradictis.

Habebis autem tu militum, balistariorum & aliorum belligerorum hominum comitivam talem & tantam, quòd ad prosecutionem & perfectionem negotii acquisitionis ipsius Regni sufficiens reputetur, & cum arripiendo & prosequendo iter versus Italiam pro prosecutione negotii quam citiùs commodè poteris, & ad longius infra duos annos, à data præsentium computandos, debeas Regnum Franciæ exivisse, legitimo impedimento cessante; quòd si in tua persona esses forsitan impeditus, ut infra dictum terminum personaliter non pos-

Digitized by Google

ses præfato negotio acquisitionis vacare, loco tui talem substitutum seu locumtenentem debeas ordinare, qui judicio Romani Pontificis ad tale & tantum negotium idoneus & sufficiens reputetur. Et si tu personaliter, vel ubi esses in persona propria impeditus, per substitutum vel locum tenentem, ut est dictum, idoneum intra dictum terminum per modum præscriptum, vel saltem infra duos menses finem termini immediatè sequentes, non inceperis & prosecutus fueris acquisitionis negotium antedictum, vel si, quod Deus avertat, te interim mori contingeret, ex tunc præsens concessio, infeudatio, & omnia quæ in præsentibus litteris continentur, sint nulla, cassa & irrita ipso jure, licéatque Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ de Regno & terris ipsis disponere & ordinare prout placuerit & eis videbitur rationabiliter faciendum.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, decreti, concessionis, donationis, constitutionis, creationis, voluntatis, dispositionis, collationis & retentionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Spelunga Cajetanæ Diœcesis xv. Kal. Maii Pontificatus nostri anno primo.

JACOBI *SCOTIÆ REGIS AD* CAROLUM VII. *Regem Francorum.*

Concessit D. d'Heronval.

XXIV. CHRISTIANISSIMO & excellentissimo Principi CAROLO Dei gratia Francorum illustrissimo Regi, fratri & confœderato nostro amantissimo, JACOBUS eadem gratia Rex Scotorum cum recommendatione ac dilectione votivis feliciter triumphare. Christianissime Princeps, frater & confœderate amantissime, Ambassiatam nostram ad vestræ Majestatis præsentiam nuperrimè destinatam, Reverendum vi- AN. CHR. 1456.

Relatis quæ in suo Regno accidêre adversis & prosperis, petit à Reg. Franc. suppetias.

Digitized by Google

delicet in Christo patrem THOMAM Episcopum Candidæ Casæ, JOHANNEM dominum Lindessay de Byris nostrum consanguineum, & JOHANNEM Arons Archidiaconum Glasguensem decretorum Doctorem, nostros Consiliarios intimè confisos, cum suis litteris, credentiis, & aliis ex parte nostra commissis ad eamdem vestram Majestatem credimus pervenisse, ac ipsam de nostra prosperitate & Regni nostri statu, potissimè verò de rebellione JACOBI olim Comitis de Donglas, suorúmque fratrum & complicium, déque ipsorum nefandissimis proditionibus & conspirationibus contra nostram Majestatem, de iis saltem quæ ante ipsorum ambaxiatorum recessum per eosdem proditores gesta fuere ad plenum informasse. Verùm quia Vestram Christianissimam Majestatem de nostris votivis successibus semper audire & certiorari avidam fore cognoscimus, præfati Jacobi suorúmque fratrum & complicium sinistros eventus noviissimè recurrentes præsenti scripto duximus explicandos.

Dum enim præfati conspiratores in suis maleficiis induratis animis perseverarent, nos ad castrum de Abertorne, quod dicto Jacobo pertinebat, respicientes, attendentes etiam quòd illud nobis verisimiliter magis nocere poterat, pro eoquòd Regni nostri pomerio de facilè resisti poterat, idcircò illuc cum nostro exercitu in hebdomada Paschali personaliter nos contulimus, ibidémque fixis tentoriis obsidionem firmavimus, & ab eodem non recessimus, donec infra unius mensis spatium turribus ejusdem castri per circuitum ex continuo machinarum ictu collapsis, per insultus, scalas, & arma bellica muros ipsius potenter adscendimus, ipsiúsque adversariis resistere minimè valentibus cepimus, & ad terram funditus prosterni fecimus. Principales verò rebelles qui in eodem castro inventi fuerunt pœna suspendii justificavimus, cæteris verò minoribus qui nostram misericordiam implorabant vitam gratiosè concessimus; præfatus verò JACOBUS, nobis circa dicti castri obsidionem occupatis, videns se auxilio & assistentia subdito-

Digitized by Google

rum noſtrorum fidelium deſtitutum, infra limites Regni noſtri exſpectare non audens, ad partes Angliæ quatuor vel quinque perſonis aſſociatus ſe contulit, tribus fratribus ſuis ARCHIMBALDO videlicet Comite Moraviæ, HUGONE Comite de Ormonde, & JOHANNE de Donglas de Balvany juniore in fronteriis Marchiarum noſtrarum verſus Angliam, in partibus videlicet de Oſdaile, poſt ſe relictis, qui dum in eiſdem partibus depræ-dationes & homicidia in noſtros fideles exercerent, nobiles & fideles noſtri ejuſdem patriæ in marchis & fronteriis Regni noſtri commorantes, contra eoſdem inſurrexerunt, & ipſos viriliter inſequentes apprehenderunt. Sícque primo die menſis Maii ultimò præteriti inito lethali conflictu prędati conſpiratores terga ſunt dare coacti, ubi præfatus Comes Moraviæ cecidit mortuus, cujus caput abſciſſum ſtatim nobis in dicta obſidione caſtri de Abertorne exiſtentibus per noſtros fideles eſt tranſmiſſum. Dictus verò Comes de Ormonde ibidem captus & ad nos deſtinatus, pœna capitali exſtat condemnatus. Tertius verò frater ad partes Angliæ ſe retraxit.

Quibus ſic feliciter expeditis caſtrum de Donglas præfati Jacobi principale, & caſtrum de Strathavane, ceteráque præfati Jacobi fortalitia per inhabitantes qui noſtram miſericordiam implorabant nobis ſunt reddita, & ſolo coæquata, excepto dumtaxat caſtro de Treſe per noſtros fideles in præſentiarum obſeſſo, quod Domino concedente in brevi obtinere ſperamus.

Sic igitur Divina diſponente clementia rebus proſperè ſuccedentibus, Regno noſtro abſque quacumque Baronum aut ſubditorum noſtrorum rebellione feliciter præſidemus, præfatis conſpiratoribus exſtinctis penitus & expulſis. Hæc omnia ſcribimus ad veſtræ Majeſtatis gaudium ſingulare, quia quemadmodum nos veſtræ Majeſtatis honorem & commodum libenter amplectimur, ſic eamdem veſtram Majeſtatem vicę mutua diligere nos & noſtra minimè dubitamus.

Inſuper V. Chriſtianiſſimæ Majeſtati innoteſcimus, qualiter per nonnullos fideles noſtros in fronteriis mar-

Digitized by Google

chiarum nostrarum contra Anglicos commorantes, qui notitiam oppidi nostri Berlbits per eosdem Anglicos à longo tempore injuriosè detenti, optimè habere noscuntur, fuerimus informati, quòd si cum exercitu nostro subitò & ex inopinato illuc accederemus, ipsum oppidum absque difficultate capere potuissemus. Dúmque circa hujus rei executionem nostram providentiam faceremus, accidit quòd quidam Anglicus, qui in Regnum nostrum venerat sub nostro salvo conductu, & qui sacramento magno adstrictus erat, quòd non recederet sine nostra licentia petita & obtenta, quamdam etiam præsumptionem seu suspicationem habens de nostro proposito antedicto, subitò ad partes Angliæ se contulit, & nostrum propositum præfatis Anglicis patefecit; sícque factum est quòd cùm ad præfatum oppidum cum exercitu nostro copioso venimus, sperantes Anglicos de nostro adventu omninò fuisse inscios, reperimus ibidem inimicos in armatorum numero copioso tam per terram quàm per mare ad ejusdem oppidi defensionem confluxisse, propter quod nostrum propositum illa vice ad effectum perducere commodè non poteramus: sed isto nonobstante, Divina favente clementia, cum adjutorio etiam vestræ Christianissimæ Majestatis proponimus brevi præfatum oppidum cum tali ac tanta provisione expugnare, quòd inimicis prædictis nobis resistendi non erit plena facultas. Super qua materia & aliis nostrum honorem & commodum intimè concernentibus ordinavimus dilectum nostrum Herraldum Rothissay latorem præsentium, nostra intentione plenè instructum, cui ac etiam aliis Ambaxiatoribus nostris transmissis fidem indubiam, & expeditionem celerem & gratiosam adhibere dignetur vestra Christianissima Majestas, fraternitasque carissima memorata; quam omnium Regum Princeps dirigat atque regat. Scriptum Comburg. VIII. Julii.

Digitized by Google

GESTA GUILLELMI MAJORIS * ANDEGAVENSIS EPISCOPI ab ipsomet relata.

* Vulgò *le Maire.*

Ex MS. cod. Majoris Ecclesiæ Andegavens. à D. d'Herouval concesso.

Inclytæ recordationis Domino NICOLAO GELLENT *Andegavensi Episcopo feliciter migrante ad Dominum, cujus anima in pace requiescat, scripta sunt hæc ad perpetuam memoriam posterorum.* AN. CHR. 1290.

QUIA propter fragilitatem humanæ naturæ labente hominum memoria propter annorum curricula, ea quæ studiosè aguntur in Ecclesiis, & aliàs, in oblivionis labyrinthum quotidie delabuntur: propter hæc dum casus occurrunt, magnæ ambiguitates & difficultates quamplurimæ interdum posteris relinquuntur, dum per scripturas & registra non potest oblivionis fragilitas relevari, & super factis antiquis non valet posteritas pleniùs informari. Idcircò nos GUILLELMUS, dictus MAJOR, divina permissione Andegavensis Episcopus, ea quæ circa electionem, confirmationem, consecrationem, receptionémque nostram in Ecclesia Andegavis, & præmissa tangentia & dependentia ab eisdem acta fuerunt, ac etiam observata, cùm difficultates & ambiguitates non modicæ, altercationésque & ambages quamplurimæ inciderint & occurrerint in præmissis, ad informationem posterorum scripto & memoriæ studuimus commendare.

Refert quæ in funere decessoris & sui electione in Episcopum Angavens. acta sunt.

Igitur bonæ memoriæ Domino NICOLAO dicto GEL- CAPUT I.

Digitized by Google

LENT, prædeceſſore noſtro immediato, in manerio de Eſventart ; quod manerium idem Reverendus Pater conſtruxerat, & qui Eccleſiam Andegavenſem triginta annis, viginti diebus minùs, feliciter & pacificè rexerat, & qui annos octoginta & ampliùs exegerat gravi infirmitate laborante. Nos GUILLELMUS memoratus tunc ejuſdem major Capellanus, perpetuùſque Pœnitentiarius in Eccleſia Andegavenſi, anno Domini milleſimo
1290. ducenteſimo nonageſimo, quarto Kal. Februarii, quadam die lunæ circa crepuſculum noctis ad dictum Manerium perſonaliter acceſſimus, ibidémque præſentibus Domino CLEMENTE Audemari tunc Officiali Andegavenſi, & Decano Eccleſiæ Beati Petri Andegavenſis, GUILLERMO Gellent pronepote dicti Reverendi Patris Archipreſbytero Burgulienſi, Magiſtro MATTHÆO Piquot Decano de Credonio, Canonicis Andegavenſibus, MAURICIO de Martigne Lebrient Archipreſbytero Andegavenſi, GAUFRIDO dicto Rege Archipreſbytero de Ludio, JOHANNE Guillet Rectore Eccleſiæ de Cepia, & aliis quampluribus Clericis, & aliis aſſiſtentibus, eidem Reverendo Patri Unctionis extremæ contulimus ſacramentum, qui nondum totaliter completo officio Deo reddidit ſpiritum, corpore remanente in terra. Quod corpus lavari, barbam radi, balſamo inungi, & poſtmodum omnibus veſtimentis ſeu ornamentis Epiſcopalibus in quibus conſecratus fuerat indui aſſiſtentes fecerunt. Ita quod aurorâ diei Martis hæc omnia facta & adimpleta fuerunt.

Obitus Domini Guillelmi Gellent.

Et ab illa hora uſque ad Primam dictæ diei Martis fuit corpus ejus in magna camera, in qua exſpiraverat, clauſis oſtiis cuſtoditum : circa verò horam Primæ in Capella dicti Manerii fuit prædictum corpus deportatum, & ibidem officium mortuorum cum Miſſis pluribus ſolemniter celebratum. Et circa horam Tertiam dictæ diei Martis fuit mors ejus Capitulo & Eccleſiæ Andegavenſi, & toti villæ Andegavenſi publicè divulgata. Fuítque per Capitulum Andegavenſe mandatum & injunctum ſingulis Monaſteriis & Eccleſiis Collegiatis

villæ

Digitized by Google

villæ & suburbii Andegavensis, quòd ad primam pulsationem campanæ magnæ Ecclesiæ Andegavensis, pulsarent omnes classicum mortuorum in suis Monasteriis & Ecclesiis pro Reverendo Patre memorato, & ut omnes horâ nonâ dictæ diei Martis in Ecclesia Andegavensi processionaliter convenirent, ut cum processione Ecclesiæ Andegavensis usque ad Cimiterium Sancti Samsonis prædicto corpori occurrerent. Qui verò prædicto mandato cum reverentia annuentes, finita majore Missa in Ecclesia Andegavensi, auditóque sono majoris campanæ Ecclesiæ Andegavensis cœperunt in Monasteriis & Ecclesiis prædictas campanas solemniter pulsare, necnon & in minoribus Ecclesiis Parochialibus, quamvis eis non fuisset injunctum.

Adveniente verò hora nona dictæ diei, viginti Capellanis Sacerdotibus Ecclesiæ Andegavensis robustis nominatim evocatis ad dictum Manerium de Esventart pro dicto corpore deferendo, corpus prædictum in feretro coopertum una culcita serica, & desuper culcitam duobus pannis sericis deauratis simul conjunctis, cum mitra & baculo pastorali & annulo Pontificali, indutí gonnis * suis alternatim cum venerabili comitiva, & magno luminari cereorum, & torchiarum usque ad prædictum cimiterium Sancti Samsonis deportantes pausaverunt ibidem; ubi processionibus Ecclesiæ Andegavensis, & aliis Monasteriorum & Ecclesiarum prædictarum congregatis, incepit Cantor Ecclesiæ Andegavensis, ceteris respondentibus & coadjuvantibus, *subvenite* solemniter decantare: quo finito cœperunt iterum dictum corpus Capellani prædicti usque ad Cimiterium Sancti Michaelis de Tertro deportare, ibidémque parum pausantes, fuit decantatum aliud respónsorium de defunctis.

* *Gonnis* sive *gunnis, i, pellibus, almuciis* vulgò *dictis.*

Tunc verò Dignitates & Personatus in Ecclesia Andegavensi obtinentes, & robustiores Canonici ejusdem Ecclesiæ in gonnis suis nobili viro & Fideli Ecclesiæ Andegavensis, Domino GUIDONE de Camilliaco strenuo Milite, se delationi dicti corporis offerente, à dicto

Digitized by Google

loco usque ad chorum Ecclesiæ Andegavensis turbâ Cleri & Populi innumerabilis lacrymabiliter comitante, honorificè detulerunt, & in Choro prædicto posuerunt, cantatis Vesperis & Completorio antequàm dictam Ecclesiam cum dicto corpore introirent.

CAPUT 2. *Hîc Corpus Christi Andegavensis mortuum apportatum seu delatum ad Andegavensem Ecclesiam, ut suprà scribitur, positum est in Choro ejusdem Ecclesiæ.*

COLLOCATIS cereis circa corpus ardentibus, processionibus recedentibus, Chorus Andegavensis Ecclesiæ Vesperas & Vigilias mortuorum solemniter decantavit. Quibus finitis, remanserunt circa corpus usque mane triginta tam Presbyteri quàm Clerici vicissim & alternatim vigilantes, & singulariter per totam noctem, Matutinis exceptis, psalmodiantes.

CAPUT 3. *Vigilia, seu dies immediatè præcedens sepulturam dicti Domini Episcopi Andegavensis.*

DIE autem Mercurii sequenti, mane parum ante Primam convenerunt in Ecclesia Andegavensi omnes processiones prædictæ, nec non Fratres Minores, Prædicatores, Moniales Beatæ MARIÆ, saccim*, filiæ Dei, psallentes, quælibet processio sigillatim exsequias mortuorum, videlicet vesperas, vigilias & Missas: quibus finitis, & ad notam alta voce cantatis, circa horam tertiam recesserunt, Choro Ecclesiæ Andegavensis unà cum aliis Missam de Defunctis solemniter celebrante. Quo facto, tertiam Missam & sextam diei dixit Chorus prædictus. Quibus completis, ad prandium iverunt, Clericis psalmodiantibus, & custodibus solemnibus interim circa corpus remanentibus. Horâ verò

f. * Sacciferi.

Digitized by Google

nonâ dictæ diei rediit Chorus ad Ecclesiam, & dicta Nona inceperunt solemniter vesperas & vigilias mortuorum, & statim post Vesperas & Completorium, de die dixerunt. Tunc remanserunt circa corpus custodes, & vigiles psalmodiantes, & Sacerdotes per totam noctem usque mane.

Dies sepultura dicti Episcopi Andegavensis facta, ut infra sequitur.

CAPUT 4.

DIE Jovis in mane sequenti parum ante Primam conveniunt iterum omnes processiones ad Ecclesiam Andegavensem, Vesperas, Vigilias & Missas mortuorum, sicut die præcedenti, solemniter ad diversa altaria ipsius Ecclesiæ decantantes. Tunc erat luminare novum & recenter factum circa corpus circumquaque Chorum, & circa leterinum seu pulpitum, & circa majus altare, & cetera singula altaria, necnon viginti quatuor torchæ novæ accensæ circa corpus. Circa horam tertiam Reverendus Pater Domnus Henricus divina providentia Venetensis Episcopus magnam Missam celebravit, Cantore Andegavense cum quinque cappis totum officium cantus faciente, per omnes tres dies prædictos Tractum psallentibus immo cantantibus obtinentibus Dignitates & Personatus in Ecclesia Andegavensi, qui Tractus incipit: *Commovisti Domine terram.* Missâ finitâ venerunt ad feretrum omnes Dignitates & Personatus in Ecclesia habentes, nec non quatuor simplices Canonici Sacerdotes, revestiti omnes in albis.

Nota hîc modum sepeliendi Episcopum.

CAPUT 5.

ET horâ debitâ prædicto Episcopo Venetensi officium faciente, corpus ad tumulum detulerunt, & posuerunt honorificè in sarcophago de *tufello* de diversis peciis constructo, cum mitra alba in qua fuerat consecratus, & crocia de stanno seu cupro; & super pec-

Digitized by Google

tus ejus calix & patena plumbei cum pane & vino, & retrò caput erat quidam alveolus in quo erat lampas cum oleo accensa, ita quòd sarcophago clauso, lumen ipsius lampadis accensæ intus radiabat per foveam supra corpus.

CAPUT 6. *Hîc humatum seu sepultum est corpus dicti Episcopi.*

CORPORE verò solemniter inhumato, præsentibus Dominis de Credonio, de Camilliaco, & pluribus aliis Nobilibus & Militibus, & ISABELLA Domina de Credonio majore seu seniore, ac innumera multitudine Cleri & populi abeuntibus omnibus, Capitulum convenit in Choro Ecclesiæ & prostrati ad terram septem psalmos cum letania dixerunt; quibus finitis, intraverunt Capitulum & tractaverunt de mittendo ad Regem Franciæ & ad Capitulum Turonense, Ecclesia Turonensi tunc vacante, pro petenda licentia eligendi à dicto Rege Franciæ & à Capitulo Turonensi, vice Archiepiscopi vacante Turonensi Ecclesia in talibus fungente, sic & prout fuerat consuetum, & ordinaverunt quòd venerabiles viri JOHANNES Scholasticus Andegavensis, & MATTHÆUS Decanus de Credonio Canonici Andegavenses irent ad dictum Regem Franciæ cum litteris sigillo Capituli Andegavensis ad causas sigillatis: quarum litterarum tenor sequitur in hæc verba.

à Rege & à Turonensi Capitulo, Andegavens:

Capitulum petit licentiam eligendi Episcopum.

CAPUT 7. *Nota hîc formam litterarum directarum ex parte Capituli Andegavensis ad Regem Franciæ, pro petenda licentia eligendi.*

EXCELLENTISSIMO Principi Domino PHILIPPO Dei gratiâ Francorum Regi, sui devoti Capituli Andegavensis Ecclesiæ, Sede ejusdem Ecclesiæ vacante, Decanóque ipsius Ecclesiæ absente, & in remotis agente, salutem & cum beatitudine perenni successus

Digitized by Google

prosperos & felices. Ad vestram Regiam Majestatem destinamus loco nostri viros venerabiles & discretos, dilectos nostros, Magistrum JOHANNEM Scholasticum Andegavensem & MATTHÆUM Decanū de Credonio, Canonicos nostros, exhibitores præsentium, & quemlibet eorum in solidum, ad denuntiandum Excellentiæ vestræ prædictæ mortem bonæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegavensis, & ad petendum nomine nostro à vestra Regia Majestate licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in Ecclesia supradicta, si peti fuerit consuetum, nec non ad supplicandum Excellentiæ vestræ ut remedium adhibeatis opportunum super pluribus gravaminibus, nobis & Ecclesiæ Andegavensi post mortem præfati Episcopi in nostri & Ecclesiæ prædictæ præjudicium de novo illatis, & hoc significamus vestræ Dominationi Regiæ per præsentes litteras sigillo nostro sigillatas. Valeat in Christo vestra Regia Majestas per tempora longiora. Datum, &c.

Quibus litteris Domino Regi Franciæ per prædictos nuntios præsentatis apud Coronam juxta Rotomagum, ubi dictum Regem invenerant, statim fuerunt expediti dicti nuntii simpliciter & benignè.

Et litterâ datâ per Regem de licentia eligendi petita simpliciter concessa, recesserunt à dicto Rege cum dicta littera cujus tenor infra scribitur:

PHILIPPUS Dei gratiâ Franciæ Rex, dilectis suis, Decano & Capitulo Ecclesiæ Andegavensis, salutem & dilectionem. Petitam à nobis ex parte vestra per viros venerabiles & discretos, dilectos Magistros, JOHANNEM Scholasticum Andegav. & MATTHÆUM Decanum de Credonio Concanicos vestros præsentium relatores, licentiam eligendi Episcopum & Pastorem in prædicta Ecclesia vestra nunc Pastoris regimine destituta per mortem bonæ memoriæ NICOLAI quondam Episcopi Andegav. vobis concedimus liberaliter & benignè, rogantes vos quatinus talem personam in Episcopum & Pastorem eligere studeatis, qui regimini ves-

Digitized by Google

træ Eccleſiæ memoratæ in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus exſiſtens, eidem Eccleſiæ veſtræ fore debeat fructuoſus. Actum apud Coronam prope Rotomagum die Sabbati ante Cathedram Sancti Petri, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo. 1290.

Reverſis itaque prædictis nuntiis ad Capitulum Andegavenſe, relatione facta per eos, miſſa fuit littera venerabili viro Magiſtro GIRARDO de Monterebelli Canonico Andegav. Archidiacono Tranſvigenenſi in Eccleſia Turonenſi ad denunciandam mortem dicti Reverendi Patris, & ad petendam licentiam eligendi à Decano & Capitulo Turonenſi, Sede Turonenſi vacante, ſi ad hoc capitulum Andegavenſe teneretur; quæ littera miſſa dicto Archidiacono erat ſigillata ſigillo Capituli Andegavenſis ad cauſas, cujus litteræ tenor ſequitur infra:

Viris venerabilibus & diſcretis Decano & Capitulo Eccleſiæ Turonenſis, Sede vacante, Capitulum Andegavenſe, Decano ipſius Eccleſiæ abſente & in remotis agente, ſalutem, & cum reverentia & honore paratam ad eorum beneplacita voluntatem. Ad vos deſtinamus & mittimus loco noſtri virum venerabilem & diſcretum Magiſtrum GIRARDUM de Maugia Archidiaconum Tranſvigenenſem in Eccleſia veſtra, Concanonicum noſtrum, exhibitorem præſentium, ad denuntiandum mortem bonæ memoriæ Domini NICOLAI quondam Epiſcopi Andegav. & ad petendum nomine noſtro à vobis licentiam eligendi Epiſcopum & Paſtorem in Eccleſia Andegav. ſupradicta, ſi petere debeamus: & hæc vobis ſignificamus per præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillatas. Valeat in Chriſto veſtra diſcretio reverenda. Datum die lunæ poſt feſtum Beati Mathiæ Apoſtoli, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo.

Et nota quòd ſi in Turonenſi Eccleſia eſſet Archiepiſcopus vel electus, iſta denunciatio non fieret Capitulo Turonenſi, nec ab ipſo Capitulo peteretur licentia Eli-

Digitized by Google

gendi, sed ab Archiepiscopo vel Electo : & quia Decanus & Capitulum Turon. reddebant se difficiles dicto Girardo, pro eo quòd Capitulum Andegavense petebat licentiam eligendi sub conditione, & ex eo quòd littera dicto Capitulo Turon. directa non erat majori sigillo Capituli Andegav. sigillata : Ideò rescripsit idem Girardus Capitulo Andegavensi quòd mitterent alios Canonicos Turonis pro petenda licentia prædicta. Et tunc missi fuerunt Turonis die lunæ post festum Beati Albini ex parte Capituli Andegav. dominus PHILIPPUS de Plesseïaco Decanus Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. & MATTHÆUS Decanus de Credonio, Canonici Andegav. & post varios tractatus habitos in Capitulo Turonensi, præfatus magister Girardus petiit simpliciter & purè licentiam eligendi à Capitulo Turonensi, quamvis mandatum conditionale haberet, & fuit ordinatum in Capitulo Turonensi quòd littera illa de licentia petita majori sigillo Capituli Andegav. sigillaretur, quod fuit postmodum adimpletum : & ex parte Capituli Turonensis die Mercurij post festum Beati Albini fuit licentia eligendi simpliciter concessa, & littera super hoc confecta, quam prædicti Decani ad Capitulum Andegav. die Veneris sequenti reportaverunt : cujus tenor infra scribetur, priùs inserto hîc tenore cujusdam alterius litteræ super denuntiatione prædicta ex parte dicti Magistri Girardi dicto Capitulo Turon. facta ; cujus tenor sequitur :

Universis præsentes litteras inspecturis Majoris Turonens. Transligerensis in Ecclesia Turon. Archidiaconorum*, & Archipresbyteri Turon. Officiales Curiarum, salutem in Domino. Noveritis quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die Martis in capite jejuniorum, venerabilis vir magister GIRARDUS de Maugia Archidiaconus Transvigerensis in Ecclesia Turonensi, & Canonicus Andegavensis, Procurator venerabilium virorum Capituli Andegav. Decano eorum absente & in remotis agente, ut in litteris eorum sigillo sigillatis, quarum tenor talis est :

f. * Archidiaconi.

Digitized by Google

Viris venerabilibus,&c.ut ſupra pag.254. continetur, Denuntiavit in præſentia noſtra nobis,ad hæc ſpecialiter evocatis venerab. viris & diſcretis Decano & Capitulo Turon. ſede vacante in Capitulo Turonenſi, Capitulo inibi congregato, mortem bonæ memoriæ quondam Nicolai Epiſcopi Andegav. vice & nomine dicti Capituli Andegav. & petiit nomine ejuſdem ab ipſis Decano & Capitulo Turon. purè & ſimpliciter licentiam eligendi Epiſcopum & Paſtorem in Eccleſia Andegav. prædicta. In cujus rei teſtimonium ſigilla dictarum curiarum ad petitionem dicti Procuratoris unà cum ſigillo ejuſdem præſentibus duximus apponenda. Actum præſentibus & aſſiſtentibus in prædicto Capitulo Turonenſi Venerabilibus viris PHILIPPO de Pleſſeyaco & MATTHÆO dicto Picot, Canonicis Andegav. ad hæc etiam, ut dicebant, ex parte ejuſdem Capituli Andeg. deſtinatis die Mercurij, & anno prædictis. JAQUETUS.

Sequitur tenor litteræ Capituli Turonenſis, ſede vacante, Capitulo Andegavenſi directa ſuper licentia eligendi ſimpliciter conceſſa; qui tenor talis eſt:

G. Decanus & Capitulum. Turon. ſede Turonenſi vacante, viris venerabilibus & diſcretis ac in Chriſto nobis cariſſimis Capitulo Andegav. ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem: denuntiata nobis ex parte veſtra per Venerabiles viros Magiſtrum Girardum de Maugia Concanonicum veſtrum, Procuratorem à vobis ad id deſtinatum, morte bonæ memoriæ Nicolai quondam Epiſcopi Andegav. & petitâ ab eodem Procuratore nomine veſtro licentiâ eligendi, eamdem licentiam vobis auctoritate Metropolitana benigniter concedentes, dilectionem veſtram affectuosè requirimus & hortamur in Domino, quatenus ſolum Deum habentes præ oculis, providere ſalubriter ſtudeatis magis Eccleſiæ quàm

Digitized by Google

quàm personæ. Datum die Mercurij in Capite jejuniorum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Acceptatio diei ad electionem faciendam. CAPUT 7.

DIcta die Veneris post Cineres pulsatâ campanâ ad Capitulum congregandum, & singulis Canonicis nominatim & specialiter evocatis, præsentibus in Capitulo Andegav. de consensu omnium & singulorum fuit dies Martis post Ramos Palmarum ad tractandum de electione futuri Pontificis & ad eligendum præfixa, cum sequentibus diebus quibus electionis negotium foret expeditum: & confectæ fuerunt litteræ citationum & vocationum ad vocandum absentes Canonicos, & missæ per Clericos juratos per Regnum Franciæ & non extrà: quarum litterarum duorum parium tantùm tenores causa brevitatis inferiùs inseruntur.

Capitulum Andegavensis Ecclesiæ Decano ejusdem Ecclesiæ absente, & in remotis agente, Magistro MARTINO de Herva-curia-sicca Concanonico nostro salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Bonæ memoriæ Domino NICOLAO nuper Andegav. Episcopo viam universæ carnis ingresso, corpore ejusdem tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis quæ consueverunt hactenus adimpleri; volentes dictæ Ecclesiæ providere de Pastore, diem Martis ante Resurrectionem Domini proximam cum sequentibus, quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, ad procedendum ad electionem futuri Pontificis in ipsa Ecclesia & eligendum eumdem concorditer duximus præfigendam. Inde est quòd vobis prædictam diem notificantes tenore præsentium, & nihilominùs per MICHAELEM de Ruello, & THOMAM dictum de Nogento, quibus & cuilibet eorum concedimus potestatem, vos vocamus & citamus, ut ad electionem prædictam dicta die in mane hora Capituli, & aliis diebus sequentibus, quo usque dictum electionis nego-

Digitized by Google

tium fuerit expeditum, in Andegavensi Ecclesia, si vestra credideritis interesse, nobiscum interfitis ad dictam electionem processurus, & facturus nobiscum ulteriùs quod in tali negotio fuerit faciendum: & in testimonium vocationis & citationis hujus sigillum vestrum apponatis in secunda causa præsentium litterarum. Datum die Veneris post Cineres, anno Domini millesimo ducentesimo
1290. nonagesimo.

Sequitur alia littera de Vocatione Canonicorum absentium ad electionem faciendam.

REverendis in Christo Patribus Archiepiscopis & Episcopis, ac viris venerabilibus Archidiaconis, Officialibus, & aliis ordinariis judicibus Ecclesiasticis in Regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Capitulum Andegavensis Ecclesiæ, Decano ejusdem Ecclesiæ absente & in remotis agente, æternam in Domino salutem. Bonæ memoriæ Domino Nicolao Episcopo nostro viam universæ carnis ingresso, corpore ejusdem tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis quæ consueverunt hactenus adimpleri, volentes dictæ Ecclesiæ providere de Pastore, diem Martis ante Resurrectionem Domini proximam cum sequentibus, quousque electionis negotium fuerit expeditum, ad procedendum ad electionem futuri Pontificis in ipsa Ecclesia, & ad eligendum eumdem concorditer duximus præfigendam. Inde est quòd vobis omnibus & singulis supplicamus, & in juris subsidium vos rogamus, ut ipsam diem cum sequentibus quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, domino Remundo de Castronovo Presbytero, & Magistro Martino de Herva-curia-Sicca, Concanonicis nostris, & omnibus Concanonicis, quos lator præsentium vobis duxerit nominandos, prout vobis sunt subditi, vel propinqui, intra tamen Regnum prædictum notificantes, ipsos ex parte nostra citetis

Digitized by Google

vestri gratia, seu citari faciatis etiam publicè si necesse fuerit, ut ipsi si sua crediderint interesse, dicta die cum sequentibus, quousque dictum electionis negotium fuerit expeditum, in Andegavensi Ecclesia in mane hora Capituli intersint nobiscum ad ipsam electionem processuri, & facturi nobiscum ulteriùs quod in tali negotio fuerit faciendum: & ad hoc faciendum vestri gratia alter alterum non expectet, & de nominibus citatorum & quidquid super hoc feceritis, vel fieri feceritis, nobis per vestras patentes litteras rescribatis. Datum die Veneris post Cineres, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

CAPUT 8.

Dictâ autem die Martis ante Resurrectionem Domini Canonicis in Choro Andegav. Ecclesiæ convenientibus & congregatis, sermone facto per Decanum, litteris citationum & vocationum lectis, & excusationibus absentium. Item sigillis cujusdam litteræ super assignatione seu præfixione diei electionis factæ à Canonicis præsentibus recognitis, & quibusdam aliis negotium dictæ electionis tangentibus, cum deliberatione provida adimpletis; facto etiam quodam compromisso, quòd nullum fuit sortitum effectum, concorditer fuit continuata ad diem Mercurij immediatè subsequentem ad tractandum de electione Pontificis in Ecclesia prædicta.

Dicta autem die Mercurij ante Resurrectionem Domini, anno quo suprà, continuata concorditer à die Martis prædicta, Canonicis in choro Ecclesiæ congregatis placuit ad Electionem per viam procedere compromissi seu commissi, factis super dicto compromisso litteris, quarum tenor infrà scribitur:

Universis præsentes litteras inspecturis vel audituris, EGIDIUS Decanus & Capitulum Andegav. Ecclesiæ, salutem in Domino. Noveritis quòd vacante Ecclesiâ Andegavensi per mortem bonæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegavensis corpore ipsius tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, adimpletis à nobis quæ debuerunt adimpleri, diem præfiximus concorditer ad eligendum Episcopum in Ecclesia nostra præ-

Digitized by Google

dicta, videlicet diem Martis ante Resurrectionem Domini cum diebus sequentibus, quo usque electionis ipsius negotium foret expeditum; vocatísque sufficienter omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt evocari, & præsentibus de illis omnibus qui voluerunt & potuerunt interesse, die Mercurij sequenti continuata à die Martis prædicta proximè præcedente nobis congregatis in loco consueto, videlicet in nostræ Ecclesiæ Choro, pulsatâ Campanâ horâ Capituli, Spiritus sancti gratiâ primitus invocatâ, placuit nobis omnibus & singulis procedere per viam compromissi seu commissi, & damus & concedimus potestatem eligendi nobis & Ecclesiæ Andegavensi Episcopum & Pastorem & nobis providendi, viris venerabilibus & discretis: EGIDIO Decano, G. Thesaurario, JOHANNI Cantori', GAUFRIDO Archidiacono Transligerensi, & ROBERTO Archidiacono Transmeduanensi, JOHANNI Scholastico, GIRARDO Archidiacono Transvigenensi in Ecclesia Turonensi, PHILIPPO de Plesseyaco, JOHANNI de Bosco, MATTHÆO dicto Picot, & JOHANNI Agni, Concanonicis nostris, de se ipsis vel de aliis, de gremio tamen Ecclesiæ nostræ prædictæ: promittentes nos concorditer illum recipere & habere in Episcopum & Pastorem, in quem omnes concorditer consenserint eligendum, & quem unus ex ipsis nomine suo & collegarum suorum prædictorum & nostro elegerit, & publicaverit in communi; ita quòd si quis ipsorum dissenserit, quod factum fuerit non habeat firmitatem; potestate à nobis ipsis data usque ad consumptionem cujusdam candelæ duratura, quam sibi tradidimus accensam, & tantumdem accensam retinuimus apud nos, quod omnibus significamus quorum interest per præsentes litteras sigillis nostris sigillatas. Datum die Mercurij prædicta anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Nomina Compromissariorum.

1290.

Quibus factis, dictis compromissariis secedentibus in partem subtus capsam in qua corpus Beati Mauritii Confessoris in ipsa Ecclesia requiescit, omnes compromissa-

Digitized by Google

rii prædicti in virum venerabilem & discretum Magistrum GUILLELMUM dictum Majorem, Capellanum majorem & perpetuum Pœnitentiarium Episcopi Andegavensis, Concanonicum Andegavensem indilatè & unanimiter consenserunt. Quo facto publicata fuit electio de eo facta, ut sequitur:

Universis præsentes litteras inspecturis vel audituris GUILLELMUS Thesaurarius Andegavensis salutem in Domino. Noveritis quòd ego nomine meo & Collegarum meorum, videlicet Egidij Decani, Johannis Cantoris, Gaufridi Transligerensis, & Roberti Transmed. Archidiaconorum, Johannis Scholastici, Girardi Transvigenens. Archidiaconi in Ecclesia Turon. Philippi de Plesseyaco, Johannis de Bosco, Matthæi dicti Picot, & Johannis dicti Agni, Canonicorum Andegavens. compromissariorum seu commissariorum electorum, unà mecum concorditer ex parte venerabilium virorum Decani & Capituli Andegav. ad eligendum Episcopum in Ecclesia prædicta Andegav. vacante Episcopo, & ad providendum & publicationem super hoc faciendam secundùm formam litterarum eorumdem Decani & Capituli super hoc confectarum, potestate mihi & eisdem Collegis meis data durante, venerabilem virum magistrum GUILLERMUM Majorem Concanonicum meum, ad hoc idoneum, & cui instituta Canonica suffragantur, nec in aliquo contradicunt, in quem tam ego quàm prædicti Collegæ mei consenseramus concorditer in eligendum eum in Episcopum prædictæ Ecclesiæ Andegav. de voluntate & mandato prædictorum collegarum meorum, mei & ipsorum & totius Capituli nomine, ex mea & ipsorum potestate, & à Capitulo nobis data, & ea durante ex communi & concordi assensu Andegav. Ecclesiæ de Episcopo & Pastore providens nomino & eligo in Episcopum hujusmodi Andegav. Ecclesiæ & Pastorem, & ipsos consensus concordes, & electionem publico in communi, Injungens vice mea, & collegarum meorum, ut vos, Domine Decane, & Capitulum Andegav. ipsum recipiatis in electum, & quod per nos factum est

Digitized by Google

in præmiſſis concorditer ratum habeatis & acceptum; & prædictos conſenſus concordes, & electionem ac publicationem communem facio & pronuntio ſub forma quæ ſequitur in his ſcriptis:

In nomine Domini Amen: Ego GUILLERMUS Theſaurarius Andegav. de voluntate & mandato omnium Collegarum meorum, vice mea, omnium compromiſſariorum meorum & totius Capituli, & poteſtate noſtra & nobis data, & ea durante ex communi & concordi aſſenſu nomino & eligo vobis, & omnibus quorum intereſt, Dominum GUILLERMUM Majorem Concanonicum noſtrum in Epiſcopum noſtrum & noſtrum Paſtorem Eccleſiæ, ac ipſum vobis præcipio in Epiſcopum habere, & ipſos conſenſus & electionem vobis publico in communi, & aliis quibus eſt faciendum, quod omnibus quorum intereſt ſignifico per præſentes litteras ſigillo meo ſigillatas. Datum die Mercurii ante Reſurrectionem Domini, continuata ſeu prorogata à die Martis proximè præcedentis, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo.

CAPUT 9. *Deinde Decanus & Capitulum Andegav. per litteras conſtituerunt Procuratores infra ſcriptos, ad ſupplicandum Capitulo Turon. ſede vacante, & confirmationem electionis petendum; quarum litterarum tenor ſequitur in hæc verba:*

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis vel audituris, EGIDIUS Decanus & Capitulum Eccleſiæ Andegavenſis ſalutem in Domino. Noveritis, quòd unanimi voluntate & conſenſu, dilectos noſtros Matthæum Decanum de Credonio Concanonicum noſtrum, Guillermum Quadrigarium Capellanum in Eccleſia noſtra, & Guillermum de Andart Rectorem Eccleſiæ de Reigne Andegav. Diœceſis, ordinamus, facimus & conſtituimus.

Digitized by Google

Procuratores nostros, & quemlibet eorum in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupãtis, ad supplicandum & petendium à venerabilibus viris & discretis Decano & Capitulo Turonensi, sede Turon. vacante, & omnibus aliis quibus faciendum est, ut de meritis electionis in nostra Andeg. Ecclesia celebratæ de persona venerabilis & discreti Domini G. Majoris, Pœnitentiarij & majoris Capellani Episcopi; in nostrum & Andegav. Ecclesiæ Pastorem & Episcopum unanimiter electi, ac de meritis eligentium & electi, & forma electionis ipsius ritè & debitè cognoscentes, & moræ periculum evitantes, & electum confirmare dignum ducant, ac his factis consecrationis munus ipsi loco consueto Andegavis debitè & canonicè faciant impertiri, eo modo, & per quos fuerit faciendum: & ad supplicandum, petendum & faciendum omnia alia & singula quæ circa præmissa & ea tangentia necessaria fuerint, seu etiam opportuna, ratum & gratum habentes & habituri, quidquid per dictos Procuratores, & eorum quemlibet, in præmissis & præmissa tangentibus factum fuerit, seu etiam procuratum, quod præfatis venerabilibus viris Decano & Capitulo Turon. sede vacante, & omnibus aliis quorum interest significamus per præsentes litteras sigillis nostris sigillatas in testimonium veritatis. Datum & actum die Jovis ante Resurrectionem Domini, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

Quibus litteris Procuratorum Capitulo Turon. præsentatis, dicta supplicatione eidem Capitulo, sede vacante, facta, lecta fuit in Capitulo Turonen. quædam littera sigillis Decani & Capituli Andegav. sigillata, continens decretum electionis prædictæ, cujus litteræ tenor infrà scribitur:

In nomine Domini Amen. Nos Decanus & Capitulum Andegav. omnibus præsentes litteras inspecturis. Notum facimus, quòd bonæ memoriæ Domino Nicolao quondam Andegav. Episcopo die Lunæ ante Purificationem Beatæ Mariæ Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, viam universæ carnis

Digitized by Google

ingreſſo, corporéque ipſius in vigilia feſti ejuſdem Purificationis, prout moris eſt, Eccleſiaſticæ tradito ſepulturæ: denuntiatáque morte ejuſdem illis quibus erat denuntianda de conſuetudine Andegav. Eccleſiæ, & maximè venerabilibus viris Decano & Capitulo Turon. ſede Turon. vacante, petitáque licentiâ eligendi ab eis modo quo fuerat fieri conſuetum, & obtentâ, nos, Capitulum Andegav. Decano prædicto tunc abſente, & in remotis agente, ad electionem noſtri futuri Pontificis celebrandam, & alia quæ huic incumbunt negotio facienda, diem Martis ante Reſurrectionem Domini proximi in mane, horâ Capituli, cum ſequentibus diebus quo uſque electionis & proviſionis Eccleſiæ noſtræ de Epiſcopo negotium foret expeditum, duximus præfigendum: Citatis interim & legitimè vocatis omnibus qui de jure & conſuetudine debuerunt evocari, dicta die Martis adveniente pro congregando Capitulo, campanâ pulſatâ, in Capitulo noſtro prout moris eſt convenimus, & demum illuc exeuntes, Chori campanâ pulſatâ Chorum Eccleſiæ noſtræ intravimus, & inibi vocatis & præſentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commodè intereſſe; Sancti Spiritus gratiâ primitus invocatâ; viſis, lectis & diligenter conſpectis litteris & ſigillis ſuper vocationibus & citationibus, diligenti tractatu præhabito, aliquibuſque factis proceſſibus qui finalem efficaciam non fuerunt conſecuti, diem Martis prædictam continuavimus & prorogavimus ad diem Mercurij immediatè ſequentem, quâ die Mercurij prædicta continuatâ & exſpectatâ à die Martis prædicta, pulſatâ campanâ prout moris eſt ad Capitulum congregandum, præſentibus omnibus qui electioni prædictæ celebrandæ debuerunt, voluerunt & potuerunt commodè intereſſe, in Choro ipſius Andeg. Eccleſiæ prout moris eſt convenimus, de electione futuri Pontificis tractaturi, & alia quæ huic incumbunt negotio facturi, ſanctíque Spiritus gratiâ primitus invocatâ, univerſis tractatibus inter nos habitis ſuper his ſuper quibus debuerunt haberi, nobis omnibus & ſingulis placuit per viam

viam compromissi seu commissi procedere ad providendum nostræ viduatæ Ecclesiæ de Episcopo idoneo & Pastore, dedimúsque unanimi consensu viris venerabilibus & discretis; Ægidio Decano, Guillermo Thesaurario, Johanni Cantori, Gaufrido Transligerensi, & Roberto Transmeduanensi Archidiaconis, Johanni Scholastico, Girardo Archidiacono Transvigenensi in Ecclesia Turon. Philippo de Plesseiaco, Johanni de Bosco, Matthæo dicto Picot, & Johanni Agni, Concanonicis nostris ad hoc electis, potestatem eligendi nobis & Ecclesiæ nostræ Andegav. Episcopum & Pastorem de se ipsis vel de aliis, de gremio tamen Ecclesiæ supradictæ: promittentes nos concorditer illum recipere & habere in Episcopum & Pastorem, in quem ipsi omnes consentirent concorditer eligendum, & quem unus ex ipsis vice sua, & collegarum prædictorum, & nostra eligeret, & cujus electionem publicaret, solemniter in communi.

Ita quòd si aliquis de prædictis dissentiret, quod factum esset, non haberet aliquam firmitatem: potestate eisdem à nobis data & limitata usque ad consumptionem cujusdam candelæ, quam sibi accensam tradidimus, & tantumdem apud nos accensam retinuimus, duratura. Qui postmodùm secedentes in partem, super his ut debebant & poterant processerunt; & postea ad nos revertentes durante adhuc eorum potestate; prout nobis retulerunt unanimiter consenserunt in virum Venerabilem & discretum Dominum GUILLERMUM Majorem Concanonicum nostrum, Pœnitentiarium Andegav. & Episcopi Majorem Capellanum, in Pastorem & Episcopum eligendum, virum utique de legitimo matrimonio natum, sufficientis litteraturæ, & ætatis legitimæ, vitæ, morum & conversationis honestate pollentem, jura Ecclesiæ Andegav. scientem, & potentem cum Dei adjutorio defensare, in spiritalibus & temporalibus circumspectum, cui institutæ canonica suffragantur, nec in aliquo contradicunt. Quiquidem compromissarii seu commissarii à nobis, ut præmittitur, electi in præsentia Capituli constituti, potestatem nobis insinuandi consen-

Digitized by Google

ſum prædictum, & dictum Dominum Guillermum eligendi vice ſua & omnium Collegarum prædictorum, & totius Capituli, & nobis ipſam electionem publicandi, dederant venerabili viro & diſcreto Magiſtro Guillermo, Theſaurario Andegav. prædicto, qui ex poteſtate ſibi data, & ea durante nominibus & vice quibus ſuprà, præfatum Dominum Guillermum Majorem nominavit, & elegit in Epiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ noſtræ Andegav. in ſcriptis ſub forma quæ ſequitur:

In nomine Domini. Amen. Ego Guillermus Theſaurarius, &c. *ut ſuprà.*

Nos verò dictam electionem, ſic publicè & ſolemniter celebratam & publicatam, in communi ratam & gratam habentes recepimus & etiam approbavimus, & adhuc recipimus & approbamus; & prædictum dominum Guillermum, ut prætermittitur, electum requiſivimus cum inſtantia ut electioni de ſe factæ ſuum vellet præbere conſenſum, qui variis utens excuſationibus, tandem precum noſtrarum devictus inſtantia, non abſque magna difficultate offerens ſe Deo ſacrificium, dicens, VOLENS NOLO, NOLENS VOLO, prædictæ electioni ſuum aſſenſum præbuit & conſenſum, quem nos, ut decebat, hymnum hujuſmodi *Te Deum laudamus* ſolemniter decantantes, ad majus altare deportavimus, & campanis pulſatis, multitudini magnæ populi in dicta Eccleſia exiſtenti præſentavimus, & dictam electionem inſinuavimus ut moris eſt.

Quare ſupplicamus humiliter & devotè viris venerabilibus & diſcretis Decano & Capitulo Turon. Sede Turon. vacante, & omnibus aliis quibus eſt faciendum, quatenus de prædictis cognoſcentes, moræ periculum evitantes, electionem prædictam & electum confirmare dignum ducant, ac his factis conſecrationis munus loco conſueto Andegav. debitè & canonicè faciant impertiri eo modo, & per quos fuerit faciendum. Et nihilominùs ad ſupplicationes & petitiones ſuper his faciendas, tam dictis Decano & Capitulo, quàm aliis quibus fuerint faciendæ, & ad omnia alia & ſingula quæ circa præmiſſa

Digitized by Google

& ea tangentia necessaria fuerint, seu etiam opportuna, discretos viros Matthæum Decanum de Credonio Concanonicum nostrum, Guillermum Quadrigarium Capellanum in Ecclesia nostra, & Guillermum de Andart Rectorem Ecclesiæ de Reigne Andegav. Diœcesis, ordinamus, facimus & constituimus procuratores nostros, & quemlibet eorum in solidum; ita quòd non sit melior conditio occupantis, ratum & gratum habentes & habituri quidquid per dictos procuratores, & eorum quemlibet, in præmissis & præmissa tangentibus factum fuerit seu etiam procuratum. In cujus rei testimonium, Nos Ægidius Decanus & Capitulum sigilla nostra duximus apponenda: & nos nihilominùs, Guillelmus Thesaurarius, Johannes Cantor, Gaufridus Transligerensis, Robertus Transmeduanensis Archidiaconi, Johannes Scholasticus, Hugo Cortin, Guillermus Baril, Guarinus le Raale, Robertus Forrean, Odo de Genis, Petrus de Villa-mauri, Guillermus Archipresbyter de Burgolio, Girardus Archidiaconus Transgenensis in Ecclesia Turon. Guillermus Bili, Armericus le Biacle, Guillermus Decanus Sancti Martini, Johannes de Bosco, Johannes de Areolis, Philippus de Plessciaco, Johannes de Maura, Matthæus Picot, Johannes Agni, Clemens Ademari, Andreas de Hain, Olivarius de Marolio, & Gervasius Homo-Dei Canonici Andegavenses, & singuli nostrûm, sigilla nostra propria præsentibus duximus apponenda, excepto dicto Oliverio qui tunc sigillum proprium, ut dicebat, non habebat, qui ad petitionem ipsius præsentes litteras sigillo Curiæ Andegav. pro se obtinuit sigillari. Actum die Jovis ante Resurrectionem Domini prædictam, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo. Nos autem Officialis Andegav. ad petitionem dicti Oliverii sigillum Curiæ Andegav. præsentibus litteris duximus apponendum, datum die Jovis prædicta, anno ut suprà.

His sic factis, nobis Guillermo Episcopo prædicto in domo Decani Turon. postmodum examinato; & postea cognito de meritis electionis, & examinato diligenter

Digitized by Google

processu electionis ejusdem in Capitulo Turon. per Decanum vice sua & Capituli Turonensis, prædicta electio inventa canonica, exstitit confirmata. Super qua confirmatione confectæ sunt litteræ majori sigillo Capituli Turon. quarum tenor infra scribitur:

Universis præsentes litteras inspecturis G. Decanus & Capitulum Turon. Sede vacante, Salutem in Domino. Notum sit vobis omnibus, quòd nuper Ecclesiâ Andegav. post mortem recolendæ memoriæ Domini Nicolai quondam Episcopi Andegav. vacante, morte ejus, nobis ex parte venerabilis Capituli Andegav. nuntiatâ, petitâ ab eis & obtentâ à nobis licentiâ eligendi, & tandem electione facta postmodum in ipsa Andeg. Ecclesia de Venerabili viro & discreto Magistro GUILLERMO dicto Majore, Capellano Episcopi Andegav. nobis ex parte Venerabilium virorum Decani & Capituli Andeg. per procuratores eorum sufficienter instructos præsentata, & petito ut de electionis & electi prædictorum meritis cognoscentes, electionem tanquam canonicam auctoritate Metropolitana confirmaremus: eamdem nos de electionis & electi prædictorum meritis pleniùs cognito & discusso, & eis diligenter examinatis, electionem ipsam quam invenimus fore canonicam & electum prædictum auctoritate metropolitana confirmamus. Et hæc omnibus quibus significandum est significamus per præsentes litteras, sigillo nostro sigillatas. Actum palam & publicè in nostro Capitulo Turon. & datum die Martis post Festum Resurrectionis Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Hoc facto Decanus & Capitulum Turon. destinaverunt per proprium eorum nuntium litteras sigillis eorum sigillatas, suffraganeis Episcopis provinciæ Turon. pro convocando ipsos suffraganeos ad consecrationem electi Andegavensis: quarum letterarum tenor infra scribitur:

Venerabilibus in Christo Patribus Cenomanensi, Redonensi, Nannetensi, Macloviensi, Briocensi, Venetensi, Corisopitensi, Trecorensi, & Leonensi, Dei gra-

Digitized by Google

tiâ Episcopis, G. Decanus & Capitulum Turon. Sede vacante, Salutem in Domino. Cùm discretus vir Magister Guillermus dictus Major, Concanonicus, perpetuus Pœnitentiarius, & Major Capellanus Episcopi Andeg. Canonicè electus in Episcopum & Pastorem Ecclesiæ Andegav. per nos auctoritate Metropolitana ritè & canonicè fuerit confirmatus, vobis & vestrum cuilibet auctoritate prædicta mandamus, quatenus die Dominica proxima ante instans Festum Pentecostes, quam ad consecrationem ejusdem electi præfigimus, Andegavis in Monasterio Sancti Albini personaliter interfitis, vestrum in consecrationem ejusdem electi pro-ut incumbit ministerium impensuri: in signum receptionis præsentium, sigilla vestra apponi præsentibus facientes. Datum Turon. & sigillo nostro sigillatum die Martis post Resurrectionem Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo primo. 1291.

Quæ litteræ subscriptæ missæ fuerunt ad suffraganeos Episcopos per Decanum & Capitulum Turon. propriis expensis ipsorum Decani & Capituli Turonensis. Deinde à venerabili viro Domino RAGINALDO, Turon. Ecclesiæ in concordia electo, litteras obtinuimus quæ sequuntur:

RAGINALDUS permissione divina Turon. Ecclesiæ in concordia Electus, venerabili viro Magistro Guillermo dicto Majori, Electo in concordia Ecclesiæ Andeg. confirmato, Salutem & sinceram in Domino caritatem. Cùm Venerabiles viri Decanus & Capitulum Ecclesiæ Turonensis vos ac electionem de vobis factam à Venerabilibus viris Decano & Capitulo Andegav. tunc sede Turon. vacante, auctoritate Metropolitana duxerint confirmandam, confirmationem electionis prædictæ quantum in nobis est, gratam habemus & ratam. Diei verò Dominicæ ante instans Festum Pentecostes à Venerabilibus memoratis præfixæ super consecratione vobis impendenda nostrum benignè præbemus assensum: quidlibet super præmissis & ea contingentibus & dependentibus ab eisdem quantum ad nos attinet approban-

Digitized by Google

tes. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſenti-
1291. bus duximus apponendum. Datum apud Immotum die Dominica qua cantatur *Cantate*. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

Poſtmodum dictus RAGINALDUS Electus Turon. Eccleſiæ in concordia, Epiſcopo Redon. pro conſecratione prædicta direxit ſuas patentes litteras in hæc verba:

VENERABILI in Chriſto Patri Dei gratia Epiſcopo Redonenſi, R. Cancellarius Turonenſis in concordia Eccleſiæ Turon. Electus, Salutem & ſinceram in Domino caritatem. Ad conſecrationis munus, Venerabili viro Magiſtro Guillermo Majori Andegav. Eccleſiæ confirmato, hoc inſtanti die Dominica poſt Feſtum Aſcenſionis Domini in Monaſterio S. Albini Andegav. per vos principaliter impendendum, cæteris ſuffraganeis Eccleſiæ Turon. qui præſentes fuerunt, ſuum ad id miniſterium vobiſcum præſtantibus auctoritate Metropolitana vobis licentiam tribuimus, & concedimus facultatem. Datum apud Larcarium, die Martis ante Feſtum Aſcenſionis prædictæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

Item dictus Electus Turonenſis direxit litteras ſuas certis perſonis de Eccleſia Turon. ut vice dicti Electi Turon. accederent ad dictam conſecrationem, facturi id quod in ipſis litteris continetur, quarum tenor ſequitur in hæc verba:

RAGINALDUS Cancellarius Turonenſis in concordia Turon. Electus, diſcretis viris Archidiacono Tranſvigenenſi in Eccleſia Turon. Magiſtris GUILLERMO de Ruiſo, CLEMENTI Ademari & PETRO de Micariis Canonicis Turon. ſalutem in Domino. Cùm conſecratio Venerabilis viri Magiſtri GUILLERMI Majoris electi Eccleſiæ Andegav. confirmati, apud Monaſterium Beati Albini Andegav. hac inſtanti die Dominica poſt Feſtum Aſcenſionis Domini, auctoritate Metropolitana immineat facienda, vobis tenore præſentium committimus; quatinus hac vice vos omnes aut ſaltem duo veſtrûm ad dictum Monaſterium Sancti Albini vos perſonaliter

Digitized by Google

transferentes, prædictæ consecrationi loco nostri assistatis: iidem ac * nobis & Ecclesiæ Turon. Successoribusque nostris qui pro tempore fuerint Archiepiscopi Turon. subjectionis, reverentiæ & obedientiæ, & aliàs debitum juramentum vice nostra ab eodem Electo Andegav. ut fieri assolet, recipiatis, vobis super præmissis & super hiis quæ circa ea fuerint opportuna, auctoritatem tribuentes ac etiam facultatem: & quod super præmissis factum fuerit, nobis per vestras patentes litteras fideliter rescribatis, harum seriem continentes. Datum apud Larcaium die Martis ante Festum Ascensionis prædictæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

* f ac fidem

Deinde littera Regis Franciæ super deliberatione Regalium Ecclesiæ Andegav. facta Electo Andegav. confirmato, missis ad Regem Nuntiis, sequitur in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Custodibus Regalium Andegav. Salutem. Cùm nos procuratoribus seu nuntiis Guillermi Electi Andegav. Ecclesiæ & confirmati, prout per litteras Decani & Capituli Turon. Sede vacante apparebat, ad hæc specialiter destinatis, videlicet Gaufrido Archidiacono Transligerensi in Ecclesia Andegav. & Matthæo Decano de Credonio Canonico Andegav. reddiderimus Sabbato post Pascha ultimò præteritum circa horam Vesperarum Regalia Episcopatus Andegav. Mandamus vobis, quatinus dicta Regalia, & ea quæ ad ipsa pertinent, à die & hora prædictis deliberetis Electo & Confirmato antedicto. Actum apud Abbatiam Monialium juxta Meledunum dicta die Sabbati, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Sequitur littera Regis super juramento fidelitatis facto Regi per Electum Andegav. confirmatum, in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Universis præsentes litteras inspecturis, Salutem. Notum facimus quòd die Mercurii in octavis Translationis Sancti

Digitized by Google

Nicolai, apud Vicenas ad nos accedens dilectus ac fidelis noster Guillelmus Andegav. Electus nobis præstitit juramentum fidelitatis, prout alii Episcopi Andegavenses prædecessores sui Regibus Franciæ prædecessoribus nostris, hujusmodi juramentum fidelitatis hactenus præstiterunt. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum die & loco prædictis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Maio.

CAPUT 10. *Nunc restat de ministeriò consecrationis tractare; priùs tamen quàm ad ipsius consecrationis tractatum & officium descendamus, quædam tractata superiùs sub brevi epilogo perstringemus, & quædam à nobis gesta à die Electionis & confirmationis nostræ usque ad consecrationis diem præsenti libello ad informationem posterorum duximus inserenda, quæ incipiunt sic:*

1290. ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die Mercurii post Ramos Palmarum, videlicet tertia decima die exeunte Aprilis, Nos GUILLELMUS dictus Major Canonicus Andegavensis, Capellanúsque & perpetuus Pœnitentiarius Episcopi Andegav. vacante Ecclesia Andegav. per mortem bonæ memoriæ Domini NICOLAI Gellent quondam Episcopi Andegav. fuimus electi in Ecclesia Andegav. per viam compromissi, undecim Compromissariis, videlicet Ægidio Rigant Decano, Magistro Guillermo Bouet Thesaurario, Johanne Cantore, Gaufrido de Haya Archidiacono Transligerensi, Roberto dicto Tectore Archidiacono Transmeduanensi, Johanne Marambert Scholastico, Girardo de Monte-rebelli Archidiacono Transvigensi in Ecclesia Turonensi, Magistro Johanne de Bosco, Domino

Digitized by Google

mino Philippo de Plesseïaco Decano Ecclesiæ Beati Laudi Andegav. domino Johanne dicto Agno, Magistro Matthæo Picot Decano Credonensi, Canonicis Andegav. ad hoc electis & in nos unanimiter consentientibus, singulis postmodum totius Capituli concordantibus & consentientibus. Electione verò solemniter publicata deportati fuimus ad majus altare, Canonicis *Te Deum* solemniter decantantibus, campanísque per totam civitatem ad classicum pulsantibus, nobísque prostratis existentibus ante dictum altare, quousque *Te Deum* extitit præcantatum; quo finito, dictáque oratione cum versículo *A Domino factum est istud* per Decanum, ab illo loco usque ad pulpitum, in quo Epistola & Evangelium in diebus solemnibus solent legi, deducti fuimus, Decano ex una parte & Thesaurario ex altera nos tenentibus & ducentibus, ibíque ostensi fuimus populo & etiam præsentati, ipso Decano populum alloquente, qui populus audita pulsatione campanarum ibidem convenerat in multitudine copiosa. *Psal.* 117. 22.

Quo facto Capitulum intravimus cum dictis Decano & Thesaurario & aliis Canonicis, ibidémque quibusdam tractatis negotiis, eximus ad domum nostram accedentes, omnibus personis & Canonicis nobis facientibus comitivam. Nobis autem ingressis dictam domum, dictis Personis & Canonicis nos salutantibus, ad domos proprias recesserunt, exceptis venerabilibus viris, Gaufrido Archidiacono Transligerensi, domino Andrea fratre ejus, & domino Philippo de Plesseyaco Decano sancti Laudi, Canonicis Andegavensibus, qui nobiscum ad cœnam remanserunt, nobísque in dicta domo pernoctantibus, die crastina, scilicet die Jovis in mane ad Ecclesiam Andegav. accessimus, ibique liminibus sanctorum visitatis, Capitulum intravimus, licentiáque petita à Capitulo, nósque orationibus ipsorum recommendantes, villam Andegavensem exeuntes, & viam nostram versus Turonis dirigentes, *a Pré Brion* accessimus, ibidemque in domo Rectoris comedimus & pernoctavimus: & sequenti die Parasceves dictis loco & domo re-

Digitized by Google

manentes & comedentes dormivimus.

Die autem Sabbati in vigilia Paſchæ & in die Paſchæ apud Burgulium feſtivantes, die Paſchæ poſt prandium apud Langés acceſſimus & ibidem pernoctavimus. Die Lunæ ſequenti Turonis devenimus, penes Magiſtrum GIRARDUM Archidiaconum Tranſvigenenſem in Eccleſia Turonen. deſcendentes, comedentes & etiam pernoctantes. In qua die Lunæ Decano & Capitulo Eccleſiæ Turon. ſede vacante, præſentati fuimus in Capitulo Turon. ibidémque negotio noſtræ Electionis per Theſaurarium Andegav. propoſito, & decreto ejuſdem electionis perlecto, diem Martis ſequentem pro examinatione & confirmatione noſtra facienda dicti Decanus & Capitulum præfixerunt. Dicta verò die Martis nobis examinationem ſubeuntibus in domo prædicti Decani Turon. poſtea Capitulum Turon. intrantibus, dictus Decanus vice ſua & Capituli prædicti auctoritate Metropolitana munus noſtræ confirmationis nobis contulit.

Tunc verò confirmatione collata, incipiente Cantore *Te Deum* per Decanum fuimus ad majus altare deducti, & *Te Deum* finito, ac oratione dicta, nobíſque ab oratione erectis, iterum Capitulum prædictum intravimus, in quo prædicti Decanus & Capitulum Turon. diem conſecrationis noſtræ aſſignaverunt ſeu etiam præfixerunt ad diem Dominicam poſt Aſcenſionem Domini; & de Epiſcopis ſuffraganeis per dictos Decanum & Capitulum auctoritate Metropolitana, ſede vacante, convocandis cum illis fuimus ibidem collocuti. Quibus factis & accordatis, dictum Capitulum & Eccleſiam exivimus & ad domum prædicti Archidiaconi Tranſvigenenſis remeavimus, ac ibidem comedimus & pernoctavimus. Dicti autem Decanus & Capitulum Turonenſe miſerunt nuntium pro ſuffraganeis convocandis pecunia per eoſdem dicto nuntio miniſtrata. Die verò Mercurij ſequenti venerabiles viri Gaufridus Archidiaconus Tranſligeren. & Matthæus Picot Decanus Credonen. Canonici Andegav. Procuratores à nobis deputati pro quærendis

Digitized by Google

nostris Regalibus, à dicta civitate Turon. ad Regem Franciæ accesserunt : quæ quidem Regalia poteramus ex privilegio per nuntios procuratores requirere & habere.

Nobis dictam civitatem Turon. exeuntibus in mane, & apud Relleium* redeuntibus & ibidem comedentibus & pernoctantibus dicta die : Die Jovis sequenti apud Mellineis videlicet ad Monasterium dicti loci venimus, ut ibidem reficeremus, quo usque Regalia nostra recepissemus, ad quæ petenda & requirenda venerabiles viros Gaufridum Archidiaconum Transligerensem, & Magistrum Matthæum Picot Decanum de Credonio Canonicos Andegav. ad Regem Franciæ à civitate Turon. ut suprà scribitur, destinaveramus, qui à dicta Civitate Turon. pro dictis Regalibus quærendis recesserunt die Mercurij præcedenti. * Rillé.

De Gervasio Capellano de Ludio. CAPUT II.

DIe Veneris in festo Inventionis sanctæ Crucis injunximus apud Mellineis Priori de Ludio, quòd ipse diceret ex parte nostra Gervasio Rectori de Ludio Ecclesiæ, ut ipse infra Pentecosten Domini proximam quærat & habeat unum bonum & sufficientem Capellanum & Clericum idoneum, ad deserviendum & coadjuvandum eum in Ecclesia de Ludio prædicta, quæ ob defectum servitij & aliàs ob defectum Rectoris & Capellani multipliciter passa est & patitur quotidie detrimentum; alioquin eidem Rectori significaret ex parte nostra quòd ex tunc consilium apponemus ut justitia suadebit.

De Capellano de Basogiis.

ITem loquendum est cum Magistro Guillelmo Barit Rectore Ecclesiæ de Basogiis, super hoc quod ejus Capellanus de Basogiis, ut intelleximus, de novo exigit & extorquere nititur linteamina à Parochianis Ecclesiæ prædictæ, quando recipiunt extremam unctionem, nec

Digitized by Google

non & cum aliis Rectoribus ſuper ſimili facto eſt loquendum.

CAPUT 12. *Redditio litteræ ſubtractæ per Fratres Leproſariarum de Fixa.*

DIe Sabbati poſt Reſurrectionem Domini apud Mellineis incepimus facere inqueſtam, ſeu nos informare contra fratres Leproſariarum de Fixa, ſuper ablatione & ſubſtractione furtiva quarumdam litterarum dictæ Leproſariæ impoſita quibuſdam Fratribus dictæ domus; pluresque teſtes dicta die, & diebus Lunæ, Martis & Mercurij ſequentibus ſuper præmiſſis recepimus.

CAPUT 13. *Liberatio Regalium.*

DIe Veneris ſequenti Thomas & Michael Fratres dictæ Leproſariæ de Fixa dictas litteras nobis detulerunt & reſtituerunt, quas apud nos retinuimus. Dicta die venerunt ſeu reverſi ſunt ad nos ibidem dicti Archidiaconus Tranſligeren. & Matthæus Decanus Credon. & nobis litteras Regis Franciæ ſuper liberatione Regalium noſtrorum præſentaverunt: quæquidem Regalia fuerant liberata dictis nuntiis noſtris per dictum Regem & reſtituta die Sabbati ante *Quaſimodo* proximè præteritam circa horam veſperarum.

Littera Regis Franciæ ſuper deliberatione Regalium Eccleſiæ Andegav. facta Electo Andegav. Confirmato, miſsis ad Regem nuntiis, ſequitur in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Cuſtodibus Regalium Andegav. ſalutem. Cùm nos procuratoribus ſeu nuntiis GUILLERMI Electi Eccleſiæ Andegav. Confirmati, prout per litteras Decani & Capituli Turonen. ſede vacante apparebat, ad hoc ſpecialiter deſti-

Digitized by Google

natis, videlicet Gaufrido Archidiacono Transligeren. in Ecclesia Andegav. & Matthæo Decano de Credonio Canonico Andegav. reddiderimus Sabbato post Pascha ultimo præteritum circa horam Vesperarum Regalia Episcopatus Andegavensis. Mandamus vobis quatinus dicta Regalia, & ea quæ ad ipsa pertinent, à die & hora prædictis deliberetis Electo & Confirmato antè dicto. Actum apud Abbatiam Monialium Beatæ Mariæ juxta Meledunum dicta die Sabbati, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Procuratio Fabricæ B. MARIÆ *de Fixa.*

CAPUT 14.

1291.

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Veneris post *Quasi modo* deputavimus & constituimus JOHANNEM Roncin procuratorem fabricæ Ecclesiæ B. MARIÆ de Fixa, de consensu Prioris & quorundam majorum Parochianorum dictæ Ecclesiæ, quo ad recipiendum & exigendum redditus, obventiones & alia spectantia ad dictam fabricam, qui juravit se fideliter habiturum in præmissis & fidelem rationem nobis super præmissis redditurum, & Parochianis dicti loci quando fuerit requisitus, & tenentur Mauricius le Caorcin & ejus uxor eidem reddere decem libras, decem & octo solidos & sex denarios. Item sexaginta septem solidos quinque denarios & obolum. Item sexaginta quinque solidos. Et Thomas Carnifex viginti quinque solidos. Item Egidius de Ponte & ejus uxor quadraginta septem solidos, quando super hiis ab eodem fuerint requisiti. Quas pecuniæ summas confessi fuerunt dicti debitores coram nobis nomine & ratione Fabricæ memoratæ, de quibus habet dictus procurator memoriale sigillo nostro sigillatum, actum die Veneris prædicta. Dictus verò Roncin debebat dictæ Fabricæ sexdecim solidos, quos confessus fuit se recepisse nomine & ratione Fabricæ prædictæ.

Hæc est computatio facta per Audam uxorem Mauricij Caorcin coram nobis apud Mellin. de hiis quæ ha-

Digitized by Google

buit & recepit de oblationibus, cenſibus & redditibus, & aliis deputatis ſpectantibus ad Eccleſiam B. MARIÆ de Fixa, à duodecim annis citra: die Veneris poſt Quaſi modo anno quo ſupra aſſignata ad computandum & rationem reddendum ſuper præmiſſis, per juramentum ſuum præſtitum coram nobis die Mercurij præcedenti. Recepta facta per dictam Audam, expenſis & miſiis converſis in utilitatem & reparationem Eccleſiæ prædictæ deductis, quas æſtimat undecim libras, ſex ſolidos, quinque denarios: & habet apud ſe de queſtis factis per eamdem contemplatione dictæ Eccleſiæ decem libras, decem octo ſolidos, ſex denarios. Item de trunco * & Reliquiis à Feſto Annuntiationis Dominicæ quod fuit anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo, habet ſexaginta ſeptem ſolidos, quinque denarios obol. De partibus receptarum & miſiarum alias non recolit. Item debentur de dictis queſtis ſexaginta ſolidi, quos debet Thomas le Borrelier, quos eidem Thomæ dicta Auda mutuò tradidit: ſumma totius receptæ cum debito, decem ſeptem libras, decem ſolidos, undecim denarios, ob. Guillermus de Curia dicta die computavit.

Vulgò *, *le tronc.*

Die autem Sabbati ſequenti deſtinavimus & miſimus dictos Archidiaconum, & Decanum de Credonio, & JOHANNEM Rectorem Eccleſiæ de Banneio fratrem noſtrum, Andegavos, ut ipſi ex parte noſtra litteras ſuper liberatione & reſtitutione dictorum Regalium Decano & Capitulo Andegav. & Magiſtro Johanni de Montmartin deputato ex parte Regis Franciæ pro Regalibus cuſtodiendis & recipiendis præſentarent. Qui quidem Archidiaconus, Decanus & frater prædictus dictas litteras eiſdem Capitulo Andegav. Decano abſente, & dicto Magiſtro Johanni præſentaverunt. Dictus verò Magiſter litteris prædictis viſis & receptis, Palatium noſtrum Andegav. in quo tunc manebat deliberavit eiſdem nomine noſtro, & mandavit per maneria & villas, Epiſcopatui Andegav. & nobis ratione & nomine Epiſcopatûs ſpectantia, in quibus erant Cuſtodes nomine dicti Regis Franciæ ratione dictorum Regalium, ut dicti Cuſ-

Digitized by Google

todes omnia nobis deliberarent, & restituerent omnia recepta & habita de dictis Regalibus, à dicta hora vesperarum diei Sabbati prædictæ, qua nobis fuerunt dicta Regalia deliberata per dictum Regem Franciæ, ut supra scribitur, & quod à dictis locis recederent: quæ ipsi fecerunt.

Item deliberavit idem Magister Johannes seu restituit nobis pissides nostras seu boestas quas Andegavis habemus, & omne emolumentum à dicta hora dictæ diei Sabbati receptum usque ad dictum tempus receptionis dictarum litterarum, & omnia alia ad dicta Regalia spectantia deliberavit & deliberari mandavit, visis litteris supradictis, exceptis lignis & arboribus sciissis in nemoribus de Chalonua, videlicet de margerie, & explectamento eorum; & nemoribus quibusdam villæ Episcopi, in quibus dicebamus dictum Magistrum Johannem Ecclesiæ Andegav. magna damna intulisse & injustè, cùm Regi ratione Regalium præmissa non competerent, cùm dicta nemora non essent cædua, sed antiquissima, & usui Episcopi Andegav. deputata, de quibus Episcopi Andegav. vendere nullatenus consueverant: dicto Magistro Johanne contrarium affirmante, retenta etiam Regi executione super debitis eidem Regi ratione Regalium prædictorum de tempore retroacto. Robertus verò Archidaconus Transmeduanensis in Capitulo Andegav. locum Decani & Capituli præsentis dictis litteris receptis sigilla Curiæ Andegav. dicto Fratri nostro, & etiam Archipresbytero Burgulienſi procuratoribus ad hoc à nobis constitutis reddidit & restituit.

Prima visitatio per nos facta post confirmationem nostram, videlicet in Monasterio Mellinensi. CAPUT 15.

DIE Dominica sequenti, qua cantatum fuit *Misericordia Domini*, Monasterium Mellinense visitavimus, & in Capitulo prædicavimus, & in Ecclesia dicti loci Missam solemniter celebravimus: nam illa die Re-

Digitized by Google

ligiosi dicti loci habebant festum suum de Beato Johanne *Ante portam Latinam ;* & ibidem convenerant multi Priores & Fratres ordinis dicti Monasterii. Ibidémque injunximus Abbati dicti Monasterii ut Monachos Monasterii sui qualibet die certa hora competenti consueta & determinata insimul comedere faceret qualibet die in Refectorio : & quòd inhiberet eisdem, & nosmet eis inhibuimus visitantes, ne ipsi in Cameris carnes comederent, ubi silentium non tenent, & multa illicita committunt : maximè cùm non sit eis prohibitum secundùm ordinem Beati Augustini, quem observare debent, comedere carnes in Refectorio prædicto.

Item injunximus visitantes Canonicis dicti Monasteriis, ut ipsi alii Canonicis ejusdem Ordinis Sancti Augustini se & habitum suum conformantes, de cetero tunicam albam & supertunicale nigrum, prout alii ejusdem Ordinis nostræ Diœcesis, induant & publicè deferant, & talibus vestibus utantur de cetero, seu etiam induantur. Qui Canonici præmissis gratanter acquieverunt. Post hæc verò ibidem populo publicè prædicavimus. Item dicta die quædam alia ibidem fecimus, quæ supra scripta sunt, & ipsa die ibidem comedimus. Eadémque die post comestionem ad Manerium nostrum de villa Episcopi accessimus, in quo Manerio nostro de villa Episcopi dicta die pernoctavimus.

Item anno quo supra, Dominica qua cantatum fuit ; *Misericordia Domini*, permisimus usque ad Pentecostes Domini Synodum Rectori Ecclesiæ de Diceio fratrem Guillermum Canonicum Mellinensem de consensu Abbatis sui, ad serviendum in officio Cappellani in Ecclesia prædicta usque ad Synodum prædictam tantummodò, injungentes quod extunc alium quærat idoneum Capellanum.

De

Digitized by Google

De Radulfo Tuebof quondam Capellano de Diceio. CAPUT 16.

ITEM non est tradendum oblivioni de Radulfo dicto Tuebof* quondam Capellano de Diceio, qui Julianam dictam la Torace ejus concubinam, quam ibidem diu tenuerat, transtulit apud Bremium* super Aution, & eam dicitur tenere ibidem.

j * *Tueleuf*

f * Brionium, *Brion*

Die lunæ sequenti apud Brolium Monialium prope Andagav. accessimus à manerio nostro de Villa-Episcopi mane, & cum Magistro Johanne de Domno-Martino dictorum Regalium Custode super multis tractavimus, præsentibus Guillelmo Thesaurario, Gaufrido Archidiacono Transligerensi domino Philippo de Plessëiaco, Guillermo Archipresbytero Burgulienſi, Magistro Johanne de Areolis, Canonicis Andegav. & pluribus aliis: & inter cætera cum dicto Magistro Johanne, nuperdictorum Regalium Custode accordavimus, quòd de Clericis & viduis tailliandis apud Sanctum Alemandum inquirèremus pro Rege & pro nobis veritatem, & si inveniremus eos non tailliandos fore, à taillia Regis remanerent immunes: pro qua taillia si contrarium appareret, plegios posuerant dicti Clerici erga dictum Magistrum, & dictam tailliam se soluturos promiserant in illum eventum.

Iterum ibidem tractavimus de constituendo Officialem in curia nostra Andegav. videlicet de discreto viro Magistro Stephano de Burgulio Legum Professore, quem Magistrum Stephanum dicta die ad dictum officium Curiæ nostræ Andeg. de consilio proborum retinuimus.

Post hæc verò à dicto Brolio recedentes, fecimus dari Monialibus dicti loci viginti solidos de eleëmosyna nostra, & apud Villam-Episcopi rediimus, ipsa die comedentes & pernoctantes ibidem.

Dicta verò die cum ROBERTO de Chaufurno accordavimus, quòd si jus habebat in manerio de Esven-

Digitized by Google

tart ratione dominii vel proprietatis, quòd Guillelmus Thesaurarius Andegav. & Magister Gervasius Homo-Dei Canonicus Andegav. super hoc inquirerent, & super dicto jure si eidem Roberto competeret, satisfactionem decernerent: & istud accordavimus si Capitulo Andegav. placeret, sine cujus Capituli consensu nihil intenderamus facere in præmissis.

Die Martis sequenti in mane, David de Suisdomibus, Ballivus Andegav. pergens Cenomanis venit per nos apud villam Episcopi, & super pluribus negotiis tractavit nobiscum: coram quo Ballivo constitutus dictus Robertus de Chaufor dixerit, quòd non opponebat se, quominùs possemus intrare & nanciscì possessionem dicti manerii de Esventart; & hoc dixit similiter Mauricius dictus de Beuson. Quibus actis jussit dictus Ballivus cuidam servienti suo, quòd diceret ex parte dicti Ballivi quibusdam servientibus Comitis Andegav. dictum manerium custodientibus ad procurationem dictorum Roberti & Mauricii, quòd ipsi dictum manerium exirent & permitterent nos liberè intrare manerium prædictum, & nanciscì possessionem ejusdem.

CAPUT 17. *Iter ad Regem Franciæ pro juramento fidelitatis.*

DIE Mercurii sequenti à villa Episcopi recessimus, iter nostrum dirigentes ad Regem Franciæ, ut eidem sacramentum fidelitatis faceremus. GUILLELMO Thesaurario Andegav. & Matthæo Decano Credon. ac Domino GERVASIO Homine-Dei Canonicis Andegav. nobiscum venientibus ad dictum Regem: & ipsa die in manerio nostro de Morenna descendimus & comedimus pernoctantes ibidem. Die Jovis sequenti in mane à villa Morennæ recessimus iter nostrum arripientes, & viginti quinque equitaturas in totâ viâ eundo & redeundo habuimus in societate nostra vel circa, unà cum summariis, & nobiscum quadringentas & quatuor viginti libras vel circa, pro via & necessariis quærendis detuli-

Digitized by Google

mus; de quibus parum reportavimus. Die Mercurii post *Jubilate* Regem Franciæ apud boscum de Vicennes invenimus, & juramentum fidelitatis eidem fecimus, nihil Chambellano suo persolventes quamvis viginti quinque libras petiisset. Cujus juramenti fidelitatis per nos dicto Domino Regi facti forma inferiùs sequitur.

Forma juramenti fidelitatis facti Regi Franciæ.

ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Mercurii post Festum Beati Nicolai æstivale, fecimus nos GUILLELMUS Major Andegav. Ecclesiæ Electus, & auctoritate Metropolitana confirmatus, Domino PHILIPPO Dei gratia Francorum Regi juramentum fidelitatis in hunc modnm; videlicet quòd stola nobis ad collum posita in modum crucis ante pectus, & manu ad pectus missâ, libro Evangeliorum coram posito, dixit nobis de mandato Regis Dominus Petrus de Chamberri Miles: Vos juratis Domino Regi fidem & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum post eum; & quòd servabitis eisdem corpora, membra & vitam, & jura sua & honorem suum temporalem; & si petat à vobis consilium bonum & fidele, sibi dabitis. Ita juratis? Et nos respondimus, Ita juro.

Quibus factis, quibusdam gravaminibus Ecclesiæ Andegav. Sede vacante illatis coram eo propositis, & de requisitione facta de renovando litteram continentem juramentum fidelitatis, quod Episcopi Andegav. debent Domino Regi Franciæ facere & sigillo suo sigillandum. Serviens quidam ipsius Regis à nobis viginti quinque libras Parisienses ratione prædicti juramenti fidelitatis petiit, videlicet centum solidos pro Rege, & viginti libras pro Camerariis: cui & alii & hoc iterato petenti responsum datum fuit, quòd littera nostra prædicta nos super hoc liberabat, in qua inter cetera continebatur, quòd ratione prædicti juramenti fidelitatis nihil novi oneris Episcopo Andegav. poterat imponi, & hoc

Digitized by Google

novum onus existeret, cùm illud onus alii Andegav. Episcopi aliàs minimè præstitissent: & ita post hæc à dicta petitione cessarunt.

Sequitur tenor litteræ renovatæ per Regem Franciæ, super juramento fidelitatis facto eidem Regi à D. Guillermo dicto Majore Andegav. Ecclesiæ Electo.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd nos litteras inclytæ recordationis præcarissimi Domini & progenitoris nostri Philippi Francorum Regis vidimus in hæc verba:

Philippus filius S. Ludovici.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd nos litteras felicis memoriæ præcarissimi Domini & genitoris nostri Ludovici Francorum Regis vidimus in hæc verba:

S. Ludovicus.

LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, Nos inclytæ recordationis Regis Ludovici genitoris nostri inspexisse litteras in hæc verba:

Ludovicus Pater S. Ludovici. Is Guillelmus erat de Bello-Monte dictus.

LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex universis litteras inspecturis, salutem. Noveritis quòd fidelis & dilectus noster GUILLERMUS Andegav. Episcopus præstitit nobis sacramentum fidelitatis; sicut alii Episcopi Regni nostri nobis faciunt, & nos recognovimus ei, quòd non tenetur ire in exercitum vel equitatum nostrum in propria persona, vel aliquem mittere sumptibus suis; neque occasione hujusmodi juramenti ullum onus novum vel gravamen imponetur ei vel Ecclesiæ suæ, sed ipse & Ecclesia ejus manebunt in illis libertatibus quas habuerunt tempore bonæ memoriæ PHILIPPI quondam Regis Franciæ genitoris nostri, & HENRICI & RICHARDI quondam Regum Angliæ. Item recognovimus ei, quòd quando Electus Andegav. Ecclesiæ

Philippus Augustus Sancti Ludovici avus.

Digitized by Google

erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui potestatem habebit confirmandi, nos reddemus ei Regalia sua per nuntios deferentes litteras patentes confirmationis ejus: ipse tamen Electus tenebitur bona fide nos adire si fuerimus in Regno infra quadraginta dies post susceptionem Regalium, & nobis juramentum fidelitatis præstare, & si infra quadraginta dies ad nos, sicut dictum est, non venerit, nos poterimus sesire Regalia sua, & ea tamdiu tenere, quousque nobis fecerit dictam juramenti fidelitatem. Sciendum est etiam, quòd si futuris temporibus Comitatus Andegav. separaretur à Regno, Episcopus Andegav. non teneretur facere Comiti Andegav. hujusmodi juramentum.

Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo tertio mense Novembri. Nos autem ea quæ superiùs continentur rata & accepta habentes, & à nostris successoribus ea volentes in posterũ inviolabiliter observari, ad petitionem dilecti & fidelis nostri NICOLAI Andeg. Electi in hujus rei testimonium litteris præsentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo mense Februario. Et nos prædicta quæ superiùs continentur rata & accepta habemus & à nostris successoribus ea volumus imposterum inviolabiliter observari. In cujus rei testimonium ad petitionem dilecti & fidelis nostri præfati NICOLAI Andegav. Episcopi præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Lochas anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto mense Septembri.

In cujus rei testimonium nos ad petitionem dilecti & fidelis nostri GUILLERMI Andegav. Electi præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicennas anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Maio.

Quibus actis, salutato à nobis Rege pro recessu, & nobis per eum licentiatis recessimus à nemore de Vicennis, in quo in domo Fratrum Grandimontensium in Ecclesia & Capella eorumdem præfata omnia facta fue- CAPUT 18.

Digitized by Google

runt. Postmodum statim Parisius in nomine Domini revertentes, & ibidem tribus diebus manentes emimus mitram pulcram, & quamdam parvi pretij, pannos sericos duos vel tres, quædam necessaria pro Capella, ornamenta Episcopalia, & alios pannos pro nobis, pro octo valetis seu armigeris; item sellas, fræna & alia pro equis & summariis necessaria, & quædam alia. Quibus factis versus patriam revertentes die Jovis post *Cantate*, per villam de Lerigneio transeuntes audivimus ibi Missam & ibidem fecimus infra scripta. Ipsa die Jovis apud villam Episcopi accessimus ac ibi comedimus pernoctantes.

Die Jovis ante Festum Beati Urbani transeuntes per villam de Lerigneio invenimus Johannem Rectorem Ecclesiæ dicti loci excommunicatum pro decima Ecclesiæ suæ non soluta à Nativitate Domini ultimò præterita, cui injunximus quòd intra diem Martis proximam faceret se absolvi, & nobis suam ostenderet absolutionem, quod facere promisit; quámque postmodùm nobis ostendit.

Item ibidem ipsum correximus super frequentatione tabernarum, inhonesta conversatione, incontinentia & aliis, qui promisit nobis se emendare super præmissis. Item injunximus & commisimus socio Prioris dicti loci, ut de Cura dictæ Ecclesiæ se intromitteret donec ipsum ab hoc prohiberemus; & hoc idem Priori dicti loci commisimus propter vitandum periculum animarum. Item injunximus dicto Priori, quòd ipse diligenter adverteret quomodò idem Rector de cetero se haberet, & ejus conversationem nobis significaret: ut contra ipsum Rectorem, si malè se habuerit, procedamus prout justitia suadebit.

CAPUT 19.

Abjuratio Michaelis Fornil.

ITem anno quo supra die Sabbati, post *Cantate*, abjuravit apud villam Episcopi Michael dictus Fornil, de Parochia sancti Petri de Præcigneio, Agatham filiam

defuncti Johannis Medietarij absentem tunc, ejusdem Michaëlis consanguineam propinquam; cui injunximus tres processiones * solemniter faciendas, unam in die Ascensionis Domini, secundam in Festo Pentecostes, tertiam in Festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præter aliam pœnitentiam spiritalem; & ipsum ab hujusmodi incestu absolvimus. Item dicta die Rectori Ecclesiæ Beati Petri de Præcigneio litteratoriè mandavimus ut ad nos venire faceret dictam Agatham, quamcitius de puerperio in quo jacebat surrexisset, mandatum nostrum audituram. Item de eadem Parochia sunt in incestu notorio Colinus le Foreſtier, & Catarina consanguinea uxoris suæ defunctæ in secundo gradu. Sequenti die Dominica comedimus ad convivium cum Philippo Rectore Ecclesiæ de villa Episcopi.

*Idest, * peregrinationes.*

Radulfus Capellanus de Corzeio correctus.

ITem die Lunæ post *Vocem jucunditatis* apud villam Episcopi correximus Radulfum Capellanum de Corzeio de Bituria oriundum, ut dicebat, super fornicatione quam commiserat cum Johanna filia Stephani Beraut: injungentes eidem Radulfo, quòd ultra Pentecosten Domini proximam in Ecclesia de Corzeio in officio Capellani non serviret, nec ampliùs in Andegavia moraretur, quod facere promisit, maximè cùm idem Radulfus dicat se habere in partibus Ecclesiam curatam.

Item dicta die excommunicavimus dictum Morgenest, & dictam la Ligerote ejus consanguineam in secundo gradu, in incestu notorio manentes. Item dictam Catarinam excommunicavimus dicta die propter defectus suos, quod ipsa citata non comparuit coram nobis.

Item die Martis sequenti apud villam Episcopi, dicta Johanna filia Stephani Beraut abjuravit coram nobis solemnitate qua decuit dictum Radulfum Capellanum de Corzeio.

Item anno quo supra die Mercurij in vigilia Ascensionis Domini, abjuravit coram nobis Colinus Foreſtier de

Digitized by Google

Parochia ſancti Petri de Præcigneio Catarinam conſanguineam defunctæ uxoris ſuæ in ſecundo gradu, pœna centum ſolidorum appoſita, committenda & nobis perſolvenda, ſi de cetero ad eamdem redierit: cui injunximus ſub pœna juramenti ſuper hoc præſtiti, quòd ipſe die Pentecoſtes Domini proxima publicè in Eccleſia Beati Petri de Præcigneio peram & baculum à Sacerdote dictæ Eccleſiæ, ut moris eſt, accipiat, inde iturus nudis pedibus ad Montem Beati Michaelis in Monte Tumba: qui Sacerdos exponet ibidem populo cauſam quare dictus Colinus ſic vadit in Montem Beati Michaelis, & quod eſt ei ex parte noſtra injunctum in pœnam dicti publici inceſtus. Item injunximus eidem Colino, quòd ipſe ultra taxationem ſibi impoſitam ſolvat infra feſtum Beati Michaelis quindecim ſolidos ad reparationem dictæ Eccleſiæ campanarum ſancti Petri. Dicta autem Catarina non venit, ſed ob contumaciam fuit excommunicata.

Anno quo ſupra die Mercurij in vigilia Aſcenſionis Domini abjuraverunt ſe ad invicem Matthæus Beloin & Johanna filia Herberti de Bermicon, pœnâ unius marchæ argenti appoſitâ contra eum committendâ, & nobis ad uſus pauperum ſolvendâ, ſi de cetero ad invicem inter ſe carnaliter commiſceantur.

CAPUT 20.

Vigilia noſtræ conſecrationis.

DIe Sabbati poſt Aſcenſionem Domini, videlicet in Vigilia conſecrationis noſtræ, de villa Epiſcopi bene mane ſurgentes verſus Andegavis iter noſtrum direximus: occurrentibúſque nobis fratre JOHANNE Abbate Monaſterij Beati Sergij Andegav. & aliis venerabilibus perſonis de Eccleſia Andegav. in via, ad Monaſterium S. Sergij prædicti more prædeceſſorum noſtrorum acceſſimus; ibidémque comedimus, & proviſi fuimus expenſis Abbatiæ, & ibidem à quampluribus Nobilibus aliiſque perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus fuimus viſitati. Dictis autem per nos Veſperis & Completorio,

Digitized by Google

pletorio, dicta die recepimus nos in camera nostra, quæ in Monasterio prædicto dicitur Camera Abbatis, ibidémque rasâ barbâ & coronâ, ablutóque capite ibidem dicta die fuimus balneati. Quo facto nocte sequente circa *ignitegium** intravimus majorem Ecclesiam ipsius Monasterij, & ibidem ante altare Beatæ MARIÆ totum Psalterium perlegimus singulariter & submissè. Quo perlecto Matutinas incepimus & complevimus, sociis & Capellanis nostris nos juvantibus. Quibus actis circa mediam noctem ad nostram cameram redeuntes, lectum intravimus, & ibidem requievimus usque mane.

* Gal. *couvrefeu: id est, tempus quo focus seu ignis domesticus tegi solet.*

Sequitur dies consecrationis nostræ factæ & celebratæ in Ecclesia Beati Albini Andegav. ut infra scribitur. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

CAPUT 21.

1291.

Die autem Dominica post Festum Ascensionis Domini summo mane ipsius diei Dominicæ surgentes, ad Monasterium Beati Albini Andegav. cepimus dirigere iter nostrum, munus consecrationis nostræ recepturi ibidem.

Nota officium D. de Briençon ad quod tenetur circa portas, & officium janitoris ratione dictorum feudorum.

Circa autem majorem portam ipsius Monasterij seu Abbatiæ, per quam ingressi fuimus eamdem Abbatiam adstitit nobis nobilis vir Dominus BRIENCIUS de Monte Johannis, Dominúsque de Briençon, fidelis & vassallus noster pro terra de Briençon, iter faciens ante nos & arcens turbam ac multitudinem hominum, unà cum multis militibus & armigeris quos secum advexerat ad juvandum ipsum in servitio, in quo nobis dicta die tenebatur ratione dicti feudi de Briençon & sancti Johannis de Malveretis; ratione cujus feudi dicta die consecrationis Episcopi Andegav. apud Monasterium Beati Albini, & etiam apud Ecclesiam Beati Mauritij, & apud Palatium tenetur onus janitoris subire, portásque custodire,

Digitized by Google

& in via à dicto Monasterio sancti Albini usque ad Eccle-siam Andegav. iter Episcopo Andeg. consecrato facere & turbas arcere: quæ omnia tam per se quàm per com-plices suos, quos ad hoc secum adduxerat, dicta die nobis bene & fideliter exhibuit & implevit.

Postquam ante magnam portam ipsius Abbatiæ priùs dictam ingressi fuimus (quam portam idem Miles nobis aperiri fecit per armigeros & servientes suos, qui eam-dem portam intus custodiebant;) Nobis de palefredo no-stro descendentibus cui insidebamus, idem Dominus de Briençon ipsum palefredum capi fecit, quòd suus erat ratione obsequii & servitii, quod in die consecratio-nis nostræ nobis debebat & exhibere tenebatur, & quia exhibuit, ut est dictum, & ut sequitur.

Ab illo autem loco ubi descendimus pedes ivimus ad Ecclesiam Monasterii antedicti, dicto milite Domino de Briençon cum suis complicibus & adjutoribus nos præ-cedente, viam faciente, & turbam arcente cum baculis & aliis necessariis ad hujusmodi officium faciendum. Ip-sam autem majorem dicti Monasterii Sancti Albini por-tam cum magna difficultate propter turbam & homi-num multitudinem copiosam transeuntes, ante maius al-tare dictæ Ecclesiæ prostrati orationem fecimus; & ex-inde ad Capellam Abbatis ivimus, & postmodùm in quadam Camera ipsius Monasterii secessimus, & ibidem aliquantulum pausavimus. Et tunc Decanus, Thesaura-rius, Archidiaconus Transligerens. Scholasticus, & alii magni viri Ecclesiæ Andegav. cœperunt cum venerabili-bus viris Magistro GIRARDO de Monte-rebelli Ar-chidiacono Transvigenensi in Ecclesia Turonensi, Ma-gistro PETRO de Micariis, & Domino CLEMENTE Ademari Legum Professore, Canonicis Turonensibus, Vicariis Reverendi Domini Domni RAGINALDI de Monte-Basonis tunc Electi Turon. in concordia, qui pro negotio dictæ consecrationis missi à dicto Electo vene-rant, & qui die præcedenti, scilicet dicta die Sabbati, in ipso Monasterio Sancti Albini comederant, pernoc-taverant, ac etiam provisi fuerant cum omni familia &

Digitized by Google

equitaturis suis ad sumptus & expensas nostras, tractare cœperunt de professione à nobis Ecclesiæ & Archiepiscopo Turon. facienda. Et tandem post multas altercationes & disputationes super hoc habitas, in hanc formam concordaverunt quæ talis est:

Ego GUILLERMUS sanctæ Andegav. Ecclesiæ nunc ordinandus Episcopus, subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm præcepta Canonum, ut moris est, sanctæ Sedi Turonensis Ecclesiæ Dominóque RAGINALDO Electo concorditer Turon. ejúsque successoribus Canonicè substituendis, perpetuò me exhibiturum promitto, & super sanctum Altare propria manu firmo & subscribo.

Nota hîc de AMAURICO *filio primogenito Domini de Credonio & de Brioleto, se offerente nobis ad officium faciendum, ad quod pater suus tenetur ratione feudi de Brioleto, dicto patre tunc absente.*

INTEREA autem ad nos in dicta Camera accedens AMAURICUS, filius primogenitus & heres nobilis viri Domini MAURICII Domini de Credonio & de Brioleto, puer undecim annorum vel circa, Domino Matthæo Quatre-barbes Milite pro dicto puero verba faciente, obtulit se nobis ad faciendum servitium & officium, in quo pater suus nobis & Ecclesiæ Andegav. tenebatur ratione feudi, videlicet ad portandum nos una cum vassallis nostris, qui ad hoc tenentur post munus consecrationis nostræ, ab Ecclesia Sancti Albini usque ad majus altare Ecclesiæ Beati Mauricii Andegav. & ad serviendum nobis de cupa in mensa gerendo officium pincernæ, proponens & asserens se ad hoc admitti debere, cùm pater suus in Anglia esset absens etiam ante tempus electionis de nobis factæ, maximè ex causa Legationis sibi impositæ à Rege Franciæ ad Regem Anglo-

Digitized by Google

rum, ut dicebat: nobis reclamantibus & nos opponentibus in præmissis, asserentibúsque illud officium & servitium adeò esse personale, quia non nisi per Dominum de Brioleto fieri & impleri poterat vel debebat; unde cùm dictus puer nondum esset Dominus de Brioleto ac vassallus Ecclesiæ Andegav. ad illud servitium non debebat admitti, præcipuè cùm adhuc esset idem puer tam teneræ & imbecillis ætatis, quòd per se dictum servitium & officium implere non posset.

His & aliis propositis hinc & inde nihil cum effectu super hoc accordato, ad Capellam ante dictam rediimus; in qua tunc cœpimus nos ornamentis Episcopalibus de bougran, exceptis mitra, anulo, baculo pastorali, & chirothecis, ornare & parare, Reverendis Patribus Dominis THEOBALDO Dolensi, & ALANO Corisopitensi Episcopis nobis assistentibus & juvantibus ad ornandum & parandum.

Consecratur Episcopus.

Parati autem & revestiti, à dicta Capella accessimus ad Majorem Ecclesiam ipsius Monasterii, & ante majus altare dictæ Ecclesiæ munus consecrationis nostræ recepimus à Reverendo Patre GUILLERMO Episcopo Redonensi, Reverendis in Christo Patribus Dolensi, Venetensi, Macloviensi, Corisopitensi & Leonensi Episcopis assistentibus & ministerium in dicta consecratione præbentibus, ceteris suffraganeis Turonensis Provinciæ se excusantibus. Item professionem fecimus in forma suprascripta super altare prædictum. Finito autem consecrationis & Missæ officio, benedictionem super populum effudimus ut est moris. Quibus omnibus sic peractis, in eodem Monasterio paratam habuimus cathedram duobus palliis sericis coopertam & paratam ad deportandum nos, ut superiùs continetur.

Digitized by Google

Nota hîc qui tenentur deportare Epiſcopum conſecratum uſque ad majus altare Beati Mauricii in Cathedra, ſcilicet Barones infra ſcripti.

PRÆSENTIBUS & ſe ad hoc nobis offerentibus Baronibus & vaſſallis noſtris, qui ad dictam deportationem tenentur, videlicet Domino GUIDONE de Camilliaco Milite, qui ratione terræ & feudi de Camilliaco tenebatur nos portare, & portavit ex parte anteriori ad ſiniſtram. (Cùm Dominus de Brioleto ſi præſens eſſet teneretur ex parte anteriori ad dexteram ratione feudi de Brioleto.) Item Domino HUGONE de Baucey Domino de Blodio tenebatur nos portare & portavit ex parte poſteriori ad dextram. Item Domino JOHANNE de Bellomonte, Domino de Gratequeſſe, qui ratione feudi de Gratequeſſe tenebatur nos portare & portavit ex parte poſteriori ad ſiniſtram. Dicto AMAURICO filio Domini de Credonio & de Brioleto primogenito ſe præſentante ac ſe cum inſtantia importuna offerente & ingerente ad ſervitium pro patre ſuo faciendum, & ad nos portandum ex parte anteriori ad dextram. Nobis reclamantibus & nos opponentibus in præmiſſis ac proteſtantibus coram dictis Reverendis Patribus Dolenſi & Redonenſi Epiſcopis, quòd ejuſdem Amaurici ſervitium non admittebamus, niſi de jure admittere teneremur, proteſtantes quòd per talem ingeſtionem & quaſi violentiam non intendebamus Eccleſiæ aliquod præjudicium generari. Super qua proteſtatione à dictis Reverendis Patribus Dolenſi & Redonenſi litteras obtinuimus in hæc verba:

Univerſis præſentes litteras inſpecturis & audituris, G. permiſſione divina Redonenſis Epiſcopus ſalutem in Domino. Noveritis quòd anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, die Dominica poſt Aſcenſionem Domini, munere conſecrationis à nobis Re-

Digitized by Google

donensi Episcopo, Reverendo in Christo Patri GUILLERMO Dei gratiâ Andegav. Episcopo solemniter impertito, Reverendis in Christo Patribus G. Leonensi, R. Macloviensi, N. Corisopitensi, H. Venetensi, miseratione divina Episcopis, suffraganeis Ecclesiæ Turonensis, nobis ad hoc ministerium præbentibus in Monasterio Beati Albini Andegav. missâque solemniter per dictum Reverendum Patrem Andegav. Episcopum in Ecclesia Andegav. celebrata, nobisque omnibus cum dicto Reverendo Patre Andegav. Episcopo in suo Palatio ad mensam in convivio sedentibus, AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto nomine patris sui, & pro eo obtulit se dicto Patri Reverendo, ad servitium faciendum de cupa in dicta mensa, ad dandum sibi primum potum, ad quod servitium pater ejus personaliter, ut dicitur, tenebatur; dicto Reverendo Patre dicente & expressè protestante quòd servitium dicti filii admittere non volebat nomine patris sui, cùm ad hoc servitium impendendum idem pater suus personaliter teneretur, ut dicebat. Quibus propositis non obstantibus dictus Amauricus nomine dicti patris sui, & pro eo unà cum pluribus sibi assistentibus accepit cupam *, & fecit infundi vinum, & obtulit eidem Domino Episcopo potum nomine patris sui, ratione servitii ante dicti: cui respondit idem Dominus Episcopus: Fili mi, non recipimus à vobis dictum potum ratione servitii ante dicti, seu nomine patris vestri. Episcopus accepit cupam & bibit, & postea dictus puer accepit cupam, & dixit quòd sibi debebatur ratione patris sui & servitii ante dicti: dicto Reverendo Patre dicente; Nos non admittimus servitium vestrum: & protestante expressè, ut dicebat, quòd dictam cupam contra suam voluntatem idem Amauricus deportabat, neque sibi debebatur quòd pater suus non impenderat servitium prædictum, ad quod ut dicebat personaliter tenebatur. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum ad supplicationem dicti Reverendi Patris. Datum die & anno quibus supra.

Gal.* *coupe*

Digitized by Google

Sequuntur litteræ Episcopi Dolensis super protestatione in hæc verba:

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis & audituris. THEOBALDUS miseratione divina Dolensis Episcopus salutem in Domino. Nòveritis quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Dominica post Ascensionem Domini nobis in Ecclesia Beati Albini Andegav. unà cum Reverendis in Christo Patribus, Redonensi, Macloviensi, Corisopitensi, Leonensi, Venetensi Episcopis, ac venerabilibus viris Domino Girardo de Monte-Rebelli, Archidiacono Transvigen. & Magistro Petro de Micariis Canonicis in Ecclesia Turonensi Vicariis venerabilis viri Magistri Raginaldi de Monte Basonis Electi, in concordia in Ecclesia Turon. & dictæ Ecclesiæ Turon. congregatis nobis suffraganeis dictæ Ecclesiæ Turonensis, ad dictam diem specialiter convocatis pro munere Consecrationis impendendo Reverendo Patri Domino Guillermo divinâ providentiâ Andegav. Episcopo, munere consecrationis dicto Reverendo Patri solemniter impertito à Domino Episcopo Redonen. dictis Reverendis Patribus & nobis eidem ministerium præbentibus, omnibúsque ritè peractis quæ in talibus debent & consueverunt observari. Cùm dictus Reverendus Pater, ut moris est, ad Ecclesiam Andegav. per suos homines, vassallos & fideles suos & Ecclesiæ Andegav. deberet deportari, ut ibidem Missam solemniter celebraret, AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto in nostra præsentia se exhibuit & se obtulit cum magna comitiva Nobilium dicto Patri Reverendo, ad eumdem deferendum ad Ecclesiam Andegav. nomine patris sui & pro eo; volens dictus Amauricus & se offerens admitti ad servitium faciendum eidem Episcopo nomine patris sui & pro eo, ad quod idem pater suus dicto Reverendo Patri personaliter, ut dicitur, tenebatur, & eumdem Patrem Reverendum ad dictam Ecclesiam Andegav. nomine patris sui & pro eo deferre nitebatur, ma-

Digitized by Google

ximè cùm dictus Dominus de Credonio pater ſuus abſens eſſet in Anglia, ut dicebat, ex cauſa Legationis ſibi impoſitæ ab Illuſtri Rege Franciæ, qui ſibi imponere poterat dictam legationem, ut dicebat, cui obtemperare neceſſariò tenebatur: dicto Reverendo Patre Andegav. Epiſcopo ejuſdem filii nomine quo ſuprà ſervitium expreſsè renuente, & aſſerente ſervitium dictâ die ſibi debitum à dicto Domino de Brioleto adeò eſſe perſonale; quòd per alium quàm per ipſum dominum ſibi impendi non poterat nec debebat; maximè cùm de pluribus prædictis ex parte dict Amaurici propoſitis non conſtaret; & cùm dictum ſervitium ſibi à Domino de Brioleto perſonaliter deberetur: & licet Amauricus ejuſdem Domini eſſet filius; vivente tamen patre ſuo, ipſo in ejuſdem patris poteſtate exiſtente, nullatenus Dominus de Brioleto eſt cenſendus: & quia idem Amauricus adeò juvenis & in minori ætate conſtitutus eſt, quòd non eſt habilis ad dictum ſervitium faciendum. Pluribus altercationibus habitis hinc & inde, dictus Amauricus unà cum magna comitiva hominum, præſente maximè Ballivo Andegavenſi, quorum potentiæ, ut dicebat, idem Epiſcopus reſiſtere non valebat, ſe obtulit ad dictum Patrem Reverendum deportandum ad Eccleſiam antedictam contra voluntatem dicti Reverendi Patris expreſsè reclamantis & proteſtantis, quod ſervitium ejuſdem filii pro patre ſuo nullatenus admittebat, niſi appareret quòd de jure teneretur; proteſtantis etiam quòd in quantum in ſe erat, & contradicere poterat & contradicere tenebatur, delationi & portationi dicti filii & ſuorum complicium contradicebat & etiam reſiſtebat; maximè cùm per eorum importunitatem promptam & imminentem poſſet divinum officium, quod ad diem ſibi incumbebat, in Eccleſia Cathedrali impediri & ſibi & Eccleſiæ Andegavenſi magnum præjudicium generari in futurum. Et hoc omnibus quorum intereſt & quibus ſignificandum eſt ſignificamus per præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillatas, ad ſupplicationem dicti Reverendi Patris ſigillatas, in teſtimonium veritatis. Datum anno & die ut ſuprà.

Hic

Digitized by Google

Hîc Episcopus consecratus deportatur ad Ecclesiam Beati Mauricij Andegaven. per Barones homines & Vassallos suos & Ecclesia Andegav. in cathedra.

CAPUT 22.

HIs autem nonobstantibus idem puer Amauricus super humeros cujusdam armigeri equitans ex parte anteriori Cathedræ ad dextram, tangens dictam Cathedram sic dictum servitium conabatur implere, Domino THEOBALDO Domino de Matefelon in ipsa parte dextra Cathedræ loco ipsius pueri nos sustinente & portante, & sic egredientes habentes librum Evangeliorum ad pectus, omnibus ornamentis Pontificalibus etiam casula & mitra albis, videlicet de bougran revestiti, & etiam propter unctionem cucufati* quadam magna *cucufa* subtus mitram: sic humeris dictorum Baronum & Vassallorum deferebamur per villam, signantes populum à dextris & à sinistris. Et per hunc modum populorum innumera multitudine circumstante ad portam Andegavinam devenimus sic delati; quam portam invenientes clausam per Capitulum & firmatam, ibidem traximus longam moram, & post hoc aperto guicheto dictæ portæ, Gaufridus Archidiaconus Transligeren. ex parte Capituli veniens pro se & Capitulo à nobis quoddam juramentum exegit.

* Vulgò *coïeffés*. cucufa. *coëffe*.

Nota hîc juramentum quod facit Episcopus Andeg. consecratus Capitulo & Ecclesiæ Andegavensi ad portam civitatis, quæ dicitur Porta Andegavina, antequàm intret civitatem & Ecclesiam post ejus consecrationem.

AD nos verba dirigens idem Archidiaconus sub hac forma, *Vis tu jurare te non infeudaturum de novo?*

Digitized by Google

Ad quod respondimus: *Volo.* At ipse, *Iura:* & nos, *Iuro.* Item idem Archidiaconus ad nos verba dirigens: *Vis tu jurare* jura & consuetudines antiquas Andegav. Ecclesiæ approbatas servare? At nos respondimus: *Volo.* Et ipse; *Iura.* Et nos, *Iuro.* Quibus sic actis dictâ portâ Andegavinâ reseratâ & apertâ per dictos Barones & Vassallos per modum supradictum, usque ad portas Andegav. Ecclesiæ fuimus deportati: & dum fuissemus in porta Portalli, idem Archidiaconus ad nos verba dirigens talem interrogationem formavit: *Estne ingressus tuus pacificus?* Et nos: *Pacificus.*

Quo facto nobis sic deportatis, & ipsam Ecclesiam ingredientibus, occurrit nobis processio capis sericis ornata, & cæperunt cantare Responsorium quod incipit, *Beatus Mauricius*; & sic usque ad majus altare per eosdem Barones & Vassallos fuimus deportati; & dum descendissemus de Cathedra in qua fueramus deportati, Thesaurarius Andegav. accepit duo pallia quibus erat dicta Cathedra cooperta, & ea retinuit quia sibi erant debita: & ante dictum altare in oratione prostrati fuimus, quousque dictum Responsorium fuit percantatum. Quo completo surgentes, diximus illum versiculum; *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, cum oratione de Martyribus, *Deus qui nos concedis.*

Quibus actis inchoata fuit Missa de die, scilicet, *Exaudi Domine vocem meam*, sicut est. Dum autem ad oblationem ventum fuit, intravimus unam cuvam, ne pressura * hominum in oblatione currentium gravaremur, & tunc nobis oblata fuerunt multa vasa argentea & deaurata, quæ in aliis scriptis nostris continentur. In tota autem Missa non amovimus cucufam neque mitram in quibus fuimus consecrati, nec etiam tota ipsa die, quo usque intravimus lectum nostrum, qua hora solam mitram amovimus, cucufa remanente. Post *Agnus* ante convivium more solito fecimus benedictionem solemnem de Festo Ascensionis, quæ competebat diei.

Gal. * la presse.

Digitized by Google

Missâ celebratâ in die consecrationis, Episcopus intrat palatium ut sequitur.

CAPUT 23.

FInito itaque Missæ officio, *Palatium* nostrum cum omnibus indumentis, in quibus Missam celebraveramus, propter effrenatã multitudinem & nimiam pressuram hominum cum difficultate intravimus, & sic cameram nostram ingressi, vestimenta omnia deposuimus in quibus Missam celebraveramus, & aliud rochetum novum accepimus, & supertunicale, & mantellum, habentes in capite mitram & cucufam memoratas, & sic parati ad prandium in Palatio ivimus.

Cùm autem ipsum Palatium intrassemus, & manus vellemus abluere, præsentavit se nobis Dominus JOHANNES de Bello-monte, Dominus de Gratequesse, vassallus noster ligius futurus ratione feudi de Gratequesse, qui fudit nobis aquam super manus ad lavandum in bacinis argenteis, quos fieri feceramus ex proposito ad istud officium, de pondere quatuor marcharum argenti, licet bacini prædecessoris nostri non fuissent nisi trium marcharum, ut in scriptis suis vidimus contineri: qua ablutione facta dictus Dominus Johannes de Bellomonte dictos bacinos habuit, & manutergia quibus tunc tersimus manus nostras, quæ sibi ratione dicti feudi & servitii nobis dicta die ab ipso exhibiti debebantur. Quibus actis benedictionem fudimus super mensas, qua benedictione facta, sedimus in cathedra magni scamni palatii nostri, nobiscum sedentibus à dextris & à sinistris in mensa. Reverendis Patribus Redon. Maclov. Veneten. Corisopiten. & Leonens. Episcopis, & prædictis Vicariis Electi Turon. Nobis autem assisitis*, venit nobilis Miles Dominus Guido de Camilliaco in tunica, gerens mappam supra collum, quam ante nos supra mensam posuit, ministris suis eum coadjuvantibus; quâ positâ, manibus propriis duos panes coram nobis posuit, & alios panes in dicta mensa in qua sedebamus, quod officium eidem incumbebat ratione feudi de Camilliaco, quod tenet à

Gal.* assis.

Digitized by Google

nobis; unde dicta die officium Paniſtarij* ſubire tenebatur, quod per ſe & per ſuos dicta die in prandio & in cœna decenter exercuit per totum palatium, & alia loca in quibus homines comedebant, videlicet in Eccleſia, Clauſtro & Refectorio: ratione cujus officij, finito prandio, omnes mappas dictorum locorum habuit, quia jus ſuum erat. In ſecunda autem & tertia aſſiſia & cœna eas cum magna difficultate commodavit. In ſero autem de reſiduo panis quod de dicto feſto remanſerat contendit, aſſerens ſuum eſſe ratione officii ſui prædicti, noſtris hoc negantibus & ſe opponentibus in præmiſſis, & tandem illud reſiduum panis non habuit, ſed nobis remanſit. Item obtulit ſe ad dandum pauperibus fragmentum, quod tamen non fecit, ſed fuit per noſtros erogatum.

* Panitarii, *Gal. Panetier.*

Nota hîc officium Domini de Blodio.

DUm ſic autem ſederemus in menſa, pane & vino ſuperpoſitis, venit Dominus HUGO de Bauceio Dominus de Blodio, homo noſter Ligius futurus ratione dicti feudi de Blodio, & primum ferculum in duabus ſcutellis argenteis una ſubtus, altera ſupra attulit, & coram nobis ſupra menſam poſuit, cum ſapore in aliis duabus ſcutellis minoribus una ſubtus, altera ſupra; & dictas quatuor ſcutellas argenteas, duas magnas & duas parvas habuit ratione dicti ſervitij, & de omnibus aliis fereulis poſt primum, de quo ipſe ſervivit in propria perſona coram nobis, fecit per Dominum GUILLELMUM de Corcillon Militem coram nobis uſque ad finem convivij deſerviri. Ultra autem quatuor ſcutellas argenteas, petebat à noſtris potos & calderias coquinarias, ſed de his nihil habuit; cùm ſuper hoc nos non potuerit informare.

His factis, miniſtrato nobis primo ferculo, dum bibere vellemus, ſupradictus puer AMAURICUS filius Domini de Credonio & de Brioleto ſe obtulit, offerens nobis cupam noſtram deauratam cum vino, ad quod officium pater ſuus ſi præſens fuiſſet nobis tenebatur

Digitized by Google

ratione feudi de Brioleto, cùm in dicto festo consecrationis officio pincernæ fungi teneatur; quod tamen servitium de manu dicti pueri non duximus recipiendum rationibus ante dictis: & sic dictus puer dictam cupam supra mensam posuit, & quidam de servientibus nostris illam nobis porrexit: & cùm bibissemus, & dictam cupam posuissemus supra mensam, dictus puer dictam cupam cepit, & eam asportavit; quod jus patris sui erat, si dictum servitium prout debebat expleviſſet; nobis nos opponentibus dicto puero & reclamantibus in præmissis, & de jure nostro & Ecclesia Andegav. protestantibus, sicut supra: de qua reclamatione & protestatione litteras dicti Episcopi Redon. obtinuimus, quarum tenor sequitur in hæc verba:

Universis præsentes litteras inspecturis & audituris, GUILLERMUS miseratione divina Redon. Episcopus, &c. ut suprà.

Hîc finitur prandium in die Consecrationis.

FInito autem prandio, gratias egimus, & benedictionem super populum fudimus, & postea cameram nostram intravimus & abluimus manus nostras. Prædicti autem Vicarij nobiscum, ut dictum est, in palatio comederunt, sed illis de familia sua qui apud sanctum Albinum remanserant, & eisdem Vicariis pro cœna serotina & toti familiæ & equis eorum de nostro ministravimus omnes sumptus. HUGO de Bauceio Dominus de Blodio decem libras, quatuordecim solidos, & sex denarios, quia comedit in villa & cum eo Dominus JOHANNES de Bellomonte Dominus de Gratequesse, & cum eo multi Milites. Item pro expensis Domini prædicti de Gratequesse quatuor libras, quatuor solidos, & quatuor denarios. Item pro expensis Domini de Camilliaco octo libras septem solid. Item pro Domino de Monte Johannis Domino de Brienconio VI. libr. VII. solid. & VIII. denar. pro expensis Domini de Credonio Dominique de Brioleto nihil, quia præsens non erat, ut dictum est. Expensæ Baronum.

Digitized by Google

Summa expensarum pro Baronibus viginti novem libr. tredecim solid. & IX. denar. Item nota hîc expensas Vicariorum Domini Rag. Electi Turon. quarum summa est centum septem quinque solidorum.

CAPUT 24. *Nota hìc diversionem Episcopi consecrati in die crastina suæ consecrationis à civitate Andegav. ut infra sequitur.*

ANno quo supra, die Lunæ post Ascensionem Domini, videlicet in crastino consecrationis nostræ, recessimus à palatio nostro Andegav. summo mane, & eques ivimus ad chalondum subtus castrum Andegav. in quo chalondo fuimus deportati per aquam usque ad Chalonnam: ibi verò de chalondo descendimus ante Ecclesiam Beati Mauricij.

Et eamdem Ecclesiam intravimus, & ibidem Missam celebravimus cum cucufa & mitra consecrationis; & post dictam Missam celebratam, ad manerium nostrum dicti loci eques ivimus cum cucufa & mitra prædictis, quas cucufam & mitram dicta die ante prandium deposuimus, & caput nostrum lavari fecimus, quæ quidem cucufa & *le coton* fuerunt combusta. Postea verò dicta die in dicto manerio nostro apud Chalonnam prandidimus & pernoctavimus, & in crastino similiter videlicet die Martis sequenti; qua die Martis assignavimus hominibus nostris dicti loci diem Jovis sequentem ad faciendum nobis homagium & juramentum, ad quæ faciendum nobis tenentur.

Postmodùm verò, quibusdam visitationibus à nobis factis, & pluribus aliis, quæ in libro visitationum nostrarum continentur, ad præsens prætermissis.

Digitized by Google

Nota hîc de visitationibus nostris quas fecimus Turonis in Ecclesia Beati Mauricii & in Ecclesia Beati Martini, anno quo supra.

CAPUT -,.

DIE Sabbati in crastino Apostolorum Petri & Pauli anno quo supra apud Langez comedimus & pernoctavimus, & maxima tonitrua ac coruscationes terribiles ibidem audivimus. Die dominica sequenti, videlicet in Octavis beati Johannis Baptistæ, nobis occurrentibus quampluribus venerabilibus personis Ecclesiæ Turonen. ad civitatem Turonis devenimus causâ visitandi Ecclesiam Turonis, cùm nos more majorum nostrorum teneremur infra tres menses à tempore consecrationis nostræ prædictam Turonen. Ecclesiam visitare, & nos liminibus beatorum Mauricii & Gatiani præsentare; & in domo Archiepiscopi descendentes, postmodum ad fores ipsius Ecclesiæ honorificè processionaliter fuimus recepti, & ad majus altare dicta processione comitante, & unum responsorium cantante deducti; orationéque dicta, & benedictione per nos facta, ad revestorium ivimus, & ibidem sandaliis & omnibus pontificalibus ornamentis fuimus revestiti, & pòst ad majus altare dictæ Ecclesiæ Missam celebravimus ad supplicationem Decani & Capituli, ac de licentia Vicariorum Domini RAGINALDI de Montebasonis Electi Turon. in concordia, acolythos per Decanum & Capitulum ac Vicarios nobis præsentatos ordinavimus, quorum nomina inter alios à nobis ordinatos continentur. Et fuit prædicta Ecclesia & chorus in dicta receptione nostra palliis & pannis sericis ornata, ad quam ornaturam in receptione nostra tenebatur & tenetur dicta Ecclesia, ac in receptione Episcopi Cenoman. quamvis in receptionibus aliorum suffraganeorum Provinciæ Turon. ad id non teneatur, ut à pluribus dicebatur. Missâ verò celebratâ, in dicta domo Archiepiscopi Turon. fuimus recepti, ac in ciba-

Digitized by Google

riis & aliis neceſſariis pro nobis & noſtris procurati & proviſi ad expenſas Turon. Electi. Nobis in prandio aſſiſtentibus, & nos concomitantibus majoribus perſonis & in dignitatibus conſtitutis, nec-non & Canonicis Eccleſiæ Turon. ad hoc ex parte dicti Electi ſpecialiter invitatis, & aliis quamplurimis perſonis in dicta domo comedentes, cœnantes & pernoctantes, unà cum ſociis noſtris, familia & equitaturis ad ſumptus & expenſas dicti Electi.

Die Lunæ ſequenti in domo Archiepiſcopi pluribus de civitate & Diœceſi Turon. tonſuras Clericales impendimus ſeu contulimus ad ſupplicationem dictorum Vicariorum. Et dicta die comedimus & pernoctavimus invitati penes Magiſtrum GIRARDUM de Monte-rebelli Archidiaconum Tranſvigen. in Eccleſia Turon.

Dicta die venit ad nos apud Rideriam manerium dicti Archidiaconi Religioſus vir Abbas Majoris Monaſterii Turon. & cum eo tractavimus de negotio quod vertitur inter Dominum de Camilliaco ex una parte, & Priorem dicti loci ex altera; quod negotium nos & Eccleſiam Andegav. tangit. Et finaliter fuit accordatum, quòd ipſe Abbas pro dicto Priore mandaret, & ſuper hoc cum eo tractaret, ac plenius inquireret veritatem.

Die Martis ſequenti in mane ad præſentationem & ſupplicationem dictorum Vicariorum pluribus civitatis & Diœceſis Turon. tonſuras primas contulimus clericales, computatis & numeratis inter alios ad tonſuram promotos in Regiſtro noſtro contentos.

Item Gaufrido de Malliaco Rectori Eccleſiæ de Ulmis, ad preces venerabilium virorum Johannis Archidiaconi Tranſligeren. Girardi Archidiaconi Tranſvigenen. in Eccleſia Turon. & Magiſtri Johannis Gedoin Canonici Turon. conceſſimus licentiam ſuper reſidentia in ipſa Eccleſia per ipſum Gaufridum non facienda uſque ad finem unius anni; ita tamen quòd diebus ſolemnibus in dicta Eccleſia perſonaliter debeat intereſſe.

Poſt hoc ipſa die apud Sanctum Coſmam de Inſula comedimus & pernoctavimus ad ſumptus noſtros, exceptâ

Digitized by Google

ceptâ cœnâ, qua die Fratres dicti loci, absente tunc Priore, honorificè nos receperunt, & nos ad cœnandum duxerunt ultra aquam Ligeris ad sumptus Prioris in domo seu manerio Molendinorum.

Die Mercurii in festo Translationis Beati Martini æstivalis in mane, cum Abbate de Aqua-viva accordavimus, quòd nos cum Abbate Mellinensi & Fratribus de non mutando antiquo habitu tractaremus; cùm idem Abbas de Aqua-viva quasdam rationes allegaret quare à dicto habitu non debeant resilire, quamvis in habitu cum Fratribus sui ordinis non concordent, Abbate Mellinensi & Fratribus supertunicale album & albam tunicam deferentibus, alii tunicam albam & supertunicale nigrum; quamvis antea cum dicto Abbate & Fratribus de conformatione habitus tractassemus.

Nota hîc adventum Episcopi Andegav. ad Ecclesiam Beati Martini Turon. post ejus consecrationem.

CAPUT 26.

POST hæc dicta die Mercurii à Prioratu Sancti Cosmæ recessimus, & inde accedentes Turonis, pluribus venerabilibus personis & Canonicis Ecclesiæ Beati Martini Turonis nobis in via occurrentibus, ut nos usque ad dictam Ecclesiam comitarentur, ad quam Ecclesiam Beati Martini Turonensis accedebamus, ut inibi more & jure prædecessorum nostrorum reciperemur in Canonicum & in Fratrem; qui prædecessores nostri in primo eorum adventu ad dictam Ecclesiam post eorum consecrationem recepti fuerunt, & nos similiter recepti fuimus in ipsa Ecclesia in Canonicum & in Fratrem, & ut limina Beatissimi Martini visitaremus in domo à Capitulo Beati Martini nobis deputata in Claustro Beati Martini descendimus, & post parvam moram à nobis ibidem factam, Ecclesiam Beati Martini prædictam intravimus, Capitulo ipsius Ecclesiæ processionaliter usque ad portas ipsius Ecclesiæ nobis occurrentibus & recipientibus so-

Digitized by Google

lemniter in dicta Ecclesia, & unum Responsorium cantando usque ad majus altare dictæ Ecclesiæ nos honorificè deduxerunt, oratione verò dicta & benedictione à nobis data, in Capitulum ejusdem Ecclesiæ non mutato habitu nostro nos duxerunt, ibidémque Capitulo congregato, Decano absente, & Subdecano locum ejus tenente, primò Ecclesiæ & personis nos recommendavimus, asserentes nos debere recipi in Canonicum & in Fratrem: dictus verò Subdecanus respondit, quòd nos ratione Episcopatus Andegav. Canonicus Ecclesiæ Beati Martini prædictæ eramus, adjiciens quòd si aliqua nobis necessitas immineret, ad ipsos in Claustro Beati Martini declinare possemus, in quo domum & alia necessaria sicut uni Canonico ministrarent, quamvis ab aliquibus diceretur, quòd in illo casu non sicut Canonico tantùm, immò sicut Episcopo ministrare tenerentur. Quibus actis idem Subdecanus exhibuit quēdam librum antiquum in quo forma juramenti sub littera antiqua erat contenta, quòd juramentum ipsi Ecclesiæ facere tenebamur sicut alii Prælati Canonici ejusdem Ecclesiæ, videlicet Episcopus Pictav. Archiepiscopus Bituricensis, Archiepiscopus Senonensis. Quæ quidem forma juramenti talis est:

Nos (talis) juramus, quòd fideles erimus isti Ecclesiæ Beati Martini, & maximè de rebus existentibus in diœcesi nostra: & quòd ipsi Ecclesiæ & Capitulo fidele consilium præstabimus quod melius credemus, quotiescumque fuerimus requisiti; & quòd consilia Capituli non revelabimus, unde damnum vel dedecus possit ipsi Ecclesiæ vel Capitulo provenire. Sic nos Deus adjuvet & hæc sancta verba.

Quo quidem juramento à nobis exhibito, recepti fuimus in ipsa Ecclesia in Canonicum & in Fratrem; indutíque nobis habitu competenti, in dextra parte chori fuimus installati. Quibus actis majorem Missam ad majus altare celebravimus: quâ celebratâ, ad domum prædictam rediimus, ibidem comedentes ferè cum totius Capituli Ecclesiæ Beati Martini prædictæ venerabili comitiva; cœnantes postmodum ibidem ac pernoctantes

Digitized by Google

ad sumptus dicti Capituli & expensas; ad quas nobis tenebantur in receptione hujusmodi, ut ipsimet confitebantur. Qua die socius Magistri Johannis Bordean in Ecclesia de Noiento Andegav. diœcesis Rector, pro parte ipsius Ecclesiæ à nobis super residentia licentiam obtinuit usque ad Synodum S. Lucæ. Ita tamen quòd interim idoneum Sacerdotem habeat pro se in dicta Ecclesia continuè residentem.

Sequuntur quædam facta notabilia & memoria digna nostro tempore emergentia, quæ causa memoriæ perpetuæ redigi fecimus in scripturam.

CAPUT 27.

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die Veneris ante Festum B. Lucæ Evangelistæ, Nobis GUILLERMO Episcopo Andegav. in Prioratu Sancti Melanii propè Brach. causa visitandi pernoctantibus, ad nos pervenit, quòd cùm Pons-Seii à villa nostra S. Maurilli de Esma usque ad domum seu Prioratum Fontis-Ebraudi ibi prope existentis protensus, in quadam parte sui reparatione indigens, speraretur in crastino propter indigentiam dictæ reparationis fieri inhabilis ad meandum, & quòd Egidius Castellanus de Ponte-Seii minabatur in fluvio Ligeris in ea parte se positurum charreriam nomine Comitis Andegav. ad transvehendum homines per dictum flumen transvehi volentes una cum equis suis, ratione & occasione habendi & exigendi pontonagium seu emolumentum, ratione præmissorum consuetum reddi & solvi ab hominibus supradictis transvehi volentibus ibidem. 1291.

Nos attendentes Episcopos Andegav. qui pro tempore fuerint, nomine & ratione Episcopatûs Andegav. fuisse maximè ab antiquo, & adhuc esse in possessione, vel quasi, ita quòd nullum alium, habendi & ponendi charreriam & *chalondum* in fluvio Ligeris in dicta parte ipsius fluvii, prout dictus pons protenditur à villa præ-

Digitized by Google

dicta Sancti Maurilii usque ad domum seu Prioratum prædictum, ad transvehendum & transportandum homines, jumenta, & alias res transvectione & transportatione indigentes, & habendi ac recipiendi pontonagium seu passagium, & quodcunque aliud emolumentum obveniens occasione præmissorum, eo videlicet tempore quo pontem prædictum propter rupturam, refectionem, reparationem seu aliàs fieri contigit inhabilem ad meandum: volentes futuris periculis obviare super præmissis taliter duximus providendum: quòd nos die Sabbati bene mane sequenti Magistros Gervasium Hominem-Dei de la Martiniere socium nostrum, & Matthæum Decanum de Credonio, Canonicos Andegav. Marsilium de Pratis Senescallum nostrum, Petrum de Valeiis Presbyterum familiares nostros, & alios quamplures, ad ponendum seu poni faciendum in dicto fluvio Ligeris charreriam ad transvehendum & transportandum homines, & res prædictas, & ad recipiendum pontonagium, passagium & aliud quodcumque emolumentum obveniens ratione præmissorum, & ad conservandum & defendendum nostram possessionem vel quasi prædictam, duximus destinandos; Nec-non & Mauricio Archipresbytero Andegav. per litteras nostras dedimus in mandatis ut ad locum prædictum accederet, & dicto Castellano inhiberet ac eumdem moneret ex parte nostra sub forma quæ sequitur:

Guillelmus permissione divina Andegav. Episcopus discreto viro Mauricio Archipresbytero Andegav. salutem in Domino. Cùm Episcopus Andegav. pro tempore, nomine & ratione Episcopatus Andegav. fuerit maximè ab antiquo & adhuc sit nomine quo supra in possessione vel quasi, ita quòd nullus alius habendi & ponendi cherreriam & chalondum in fluvio Ligeris ex parte villæ nostræ Sancti Maurilii de Esma effluente quando pons protensus seu extensus, à dicta villa Sancti Maurilii usque ad domum seu Prioratum Fontis-Ebraudi ibidem propè existentis, rumpitur, reficitur, vel aliàs redditur inhabilis ad meandum, ad transvehendum &

Digitized by Google

transportandum homines, jumenta & alias res transvectione & transportatione indigentes, & habendi ac recipiendi pontonagium seu passagium, & quodcumque aliud emolumentum tunc temporis obveniens occasione præmissorum; quæ præmissa adeò sunt notoria quòd non possunt aliqua tergiversatione celari in partibus illis; & dictus pons ad præsens refici & reparari dicatur adeò quòd inhabilis ad meandum existit; sícque casus se offert quo possumus & debemus uti possessione vel quasi præmissa: & nos intellexerimus quòd EGIDIUS Castellanus de Ponte-Seii in prædicta possessione vel quasi nos nomine quo supra perturbare, molestare & impedire nititur & conatur in nostri & Episcopatus prædicti præjudicium & gravamen: Vobis mandamus, quatinus inhibeatis ex parte nostra dicto Egidio sub pœna excommunicationis, & quibuscunque aliis personis impedimentum apponere nitentibus in præmissis, ne ipsi vel alter eorum nos nomine quo suprà in prædicta possessione vel quasi impedire vel præturbare persumant: & si ipsi vel alter eorum aliquod impedimentum appossuerint in præmissis, moneatis eosdem & ipsorum quemlibet super hoc culpabilem, ut prædictum impedimentum amoveant indilatè, & quòd nos nomine quo supra permittant uti possessione vel quasi præmissa pacificè & quietè. Quòd si inhibitioni & monitioni prædictis ipsi vel alteri eorum non obtemperaverint, seu parere noluerint, contra præmissam possessionem nostram vel quasi aliquid temerè attentando, & vobis constiterit de præmissis, vel altero eorum quod sufficiat præmissorum, ipsos quos ob hoc ex tunc in scriptis excommunicamus, publicè denuntietis excommunicatos: quo facto litteras reddite sigillatas pro inhibitione prædicta dicto Egidio facta in secunda cauda, pro monitione eidem facta; in tertia pro excommunicatione, si eam incurrerit in quarta. De nominibus verò aliorum impedientium, si qui fuerint, nos certificare curetis; & nihilominùs quid super præmissis feceritis nobis fideliter rescribatis. Datum die Sabbati ante festum Beati Lucæ Evangelistæ, anno

Digitized by Google

Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

Quibus actis, ut præmittitur, prædicti ex parte noſtra ad dictum locum deſtinati ad ipſum locum die Sabbati prædicta bene mane accedentes perſonaliter cum magna multitudine hominum ponte prædicto inhabili ad meandum in fluvio Ligeris, in parte prædicta charreriã quamdam noſtro nomine poſuerunt & poni fecerunt, & homines ibidem cum rebus ſuis tranſvehi volentes in dicta charreria tranſvehi fecerunt, nec non pecuniam nomine paſſagii ſeu pontonagii ab hominibus ſic tranſvectis nomine noſtro receperunt & habuerunt, præſente, ſciente & vidente Archipreſbytero prædicto; qui quidem Archipreſbyter dicto Caſtellano nitenti nos & allocatos noſtros prædictos nomine noſtro in dicta poſſeſſione vel quaſi turbare & impedire inhibuit dicto Caſtellano, ac ipſum Caſtellanum ex parte noſtra monuit ſub forma prædicta, ſuper quibus monitionibus & inhibitionibus ac proceſſibus per ipſum ſuper præmiſſis factis nos certificavit, ſeu nobis reſcripſit ſuper præmiſſis in forma quæ ſequitur:

Reverendo Patri ac Domino G. Dei gratia Andegav. Epiſcopo MAURICIUS Archipreſbyter Andeg. ſalutem cum omni reverentia & honore tamquam Patri ac Domino debitis & devotis, litteras veſtras recepimus in hæc verba. Guillelmus permiſſione divina Andeg. Epiſcopus diſcreto viro Mauricio Archipreſbytero Andegav. ſalutem in Domino, &c. *ut ſuprà*. Nos igitur volentes mandatum veſtrum nobis directum, ut tenemur, executioni debitæ demandare, ad locum prædictum perſonaliter accedentes die Sabbati prædicta præfato Egidio Caſtellano ſecundùm formam & tenorem mandati veſtri prædicti ore ad os inhibuimus, ne ipſe vos in prædicta poſſeſſione vel quaſi ponendi & habendi charreriam & chalondum in fluvio Ligeris ex parte dictæ villæ Sancti Maurilii defluentis, ad tranſvehendum & tranſportandum homines, jumenta & alias res tranſvectione & tranſportatione indigentes, & habendi & recipiendi pontonagia ſeu paſſagia, & quodcunque aliud emolumentum quod obvenire

Digitized by Google

poterat occaſione præmiſſorum, perturbaret vel quomodolibet impediret. Verùm quia tam per rei evidentiam, quàm aliàs legitimè nobis conſtitit atque conſtat, Ponte-Seii prædicto tunc reparatione indigente & exiſtente inhabili ad meandum : quòd idem Caſtellanus ſpreta inhibitione prædicta vos exiſtentes in poſſeſſione vel quaſi præmiſſorum, nec-non pontonarios & alios homines allocatos veſtros charreriam nomine veſtro habentes, & prædictam aquam ducentes, & reducentes ad tranſvehendum & tranſportandum homines, jumenta & alias res, & tranſvehentes eoſdem cum rebus ſuis, nec-non recipientes nomine veſtro pecuniam ratione pontonagii ſeu paſſagii ab hominibus ſic tranſvectis, ac poſſeſſione prædicta vel quaſi nomine veſtro utentes perturbavit & etiam impedivit, inhibendo ex parte Comitis Andegav. de facto, cùm de jure non poſſet, hominibus dictam charreriam ducentibus & aliis ibidem nomine veſtro exiſtentibus, ne ipſi aliquam perſonam vel aliàs in dicta charreria tranſveherent, ducerent vel tranſportarent, & eis multipliciter comminando, nec non & firmando portas Caſtri de Ponte-Seii, & per hoc impediendo quamplures ne ipſi per dictam charreriam tranſire volentes poſſent tranſvehi per eamdem, & quominus vos & allocati veſtri nomine veſtro pontonagium ſeu paſſagium poſſent habere pacificè & recipere ab hominibus tranſire volentibus per eamdem. Præfatum Ægidium Caſtellanum legitimè monuimus quòd ipſe impedimenta prædicta amoveret, & ab eiſdem deſiſteret & ceſſaret, permitterétque vos & allocatos veſtros nomine veſtro uti poſſeſſione præmiſſorum pacificè & quietè. Et quia Caſtellanus prædictus à nobis ut præmittitur inhibitus & monitus, prædictis inhibitioni & monitioni obtemperare noluit, in dictis perturbationibus & impedimentum contumaciter perſiſtendo, ipſum Egidium Caſtellanum ob hoc auctoritate veſtra denuntiavimus publicè excommunicatum. Et hoc vobis & omnibus quorum intereſt ſignificamus per præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillatas. Datum die Lunæ ante dictum feſtum Beati Lucæ

Digitized by Google

Evangeliſtæ anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

Et quia idem Caſtellanus prædictæ inhibitioni non paruit, ſed eâ ſpretâ nos & allocatos noſtros impedire & perturbare præſumpſit, prout in relatione Archipreſbyteri prædicta ſeu ſupra ſcripta continetur, dictus Archipreſbyter ipſum Caſtellanum ob præmiſſa denuntiavit excommunicatum auctoritate noſtra. Et licet idem Caſtellanus in dicta perturbatione & impedimento quantum in ſe erat perſiſteret, prædicti tamen allocati noſtri nos in poſſeſſione prædicta vel quaſi conſervarunt & defenderunt per totam ipſam diem Sabbati, quouſque eadem die Sabbati dictus pons circa horam nonam reparatus, factus fuit habilis ad meandum.

Demum poſt multas altercationes & tractatus ſuper præmiſſis & ratione præmiſſorum inter nos ex una parte, & David dictum de Suis-domibus, tunc temporis Ballivum Andegav. nomine Comitis Andegaviæ ex altera, habitos, die Martis poſt feſtum Omnium Sanctorum anno quo ſupra in camera noſtra in palatio noſtro Andegav. ſuper præmiſſis ordinatum extitit, & ipſa ordinatio in ſcriptis redacta in forma quæ ſequitur:

Accordé eſt entre Guillaume Eveſque d'Angers & Davy de Ses-maiſons Baillif d'Anjou, que Gilet Chatelein dou Pont de Seey vendra * à certein jour avant que il ſeit aſſous au Pont de Seey ſus le pont, & es autres leus où il miſt empéchement en la poſſeſſion que les gens l'Eveque d'Angers diſeint que il aveient de metre & de aveir la charriere en Leire à paſſer les gens quand le pont fut depecié, le Semady devant la Saint Lucas darrerement paſſée, & de receveir & aveir le pontonage & le moliment des gens & des chouſes qui eſteint paſſées en la chariere. Et dira ledit Chatelein ileques en apert, que ce que il fiſt d'empécher & de troubler la charriere audit Eveſque, & de i mettre l'empeſchement que il y miſt, que il l'oſte & le rapelle, veut eſtre pour nul dou commandement dou Baiſif, ne ne veut ne n'entent que ledit empeſchement face prejudice à la poſſeſſion doudit Eveque eſdites

* viendra

Digitized by Google

esdites choses; ne cest rapel ne fera prejudice au Comte en son dreit se il y a.

Præsentibus ad hoc in camera nostra Andegav. palatio nobis GUILLERMO Episcopo Andegav. prædicto, Davide Ballivo Andegav. Magistro Guillermo de Marcilleio & Guidone Clericis Comitis Andegav. Gaufrido Transligerensi, & Roberto Transmeduanensi in Ecclesia Andegav. Archidiaconis, Magistris Gervasio Homine-Dei, & Matthæo Picot Canonico Andegav. Gaufrido Archipresbytero de Ludio, Johanne de Mulceio Cantore Ecclesiæ Beati Maurilij Andegav. Mauricio Archipresbytero Andeg. Marsilio de Pratis Senescallo nostro, Johanne dicto Guillet Rectore Ecclesiæ de Cepia.

Qui Castellanus Pontis-Seij dictam excommunicationis sententiam in ipsum à nobis ob præmissa latam sustinuit à dicto tempore ipsius excommunicationis latæ usque ad diem Martis post Festum Beati Nicolai hiemalis, anno quo supra, & etiam pòst. Qua die Martis post dictum festum ad requisitionem Magistri Roberti de Dordan subballivi Andegav. & dicti Egidii Castellani apud Pontem-Seij misimus loco nostri discretum virum Magistrum Gervasium Hominem-Dei Canonicum, socium nostrum commensalem, Petrum de Valleiis Canonicum, socium nostrum commensalem, Petrum de Valleiis Canonicum Ecclesiæ Beati Petri Andeg. & Johannem Guillet Rectorem Ecclesiæ de Cepia Capellanos nostros, pro videndo & audiendo loco nostri revocationem & amotionem impedimenti facti & appositi in dicta charreria, ut supra scribitur, fieri per ipsum Castellanum, publicè in locis in quibus dicta perturbatio & impedimentum facta & apposita fuerant per eumdem, eo modo videlicet quo continetur in cedula, cujus tenor in Gallico superiùs est insertus.

Qua die præsentibus dictis Missis ex parte nostra, dictus Castellanus primò in capite Pontis-Seii, quod caput est contiguum villæ nostræ Sancti Maurilij de Esma, ac deinde prope aliud caput dicti Pontis ex alia parte aquæ ante & juxta Prioratum Fontis-Ebraudi

Digitized by Google

Pontis-Seii, dictam perturbationem & impedimentum revocavit & amovit publicè & palam, Raginaldo Clerico dicti Subballivi Andegav. ad hoc missso, ibidem ex parte dicti Subballivi in quolibet dictorum duorum locorum alta voce in præsentia dicti Castellani, & de mandato ipsius, priùs tunc legente Gallicè contenta in cedula prædicta. Qua cedula sic perlectâ in quolibet dictorum duorum locorum, dictus Castellanus tunc statim dicebat alta voce & publicè : Ego revoco & amoveo perturbationem & impedimentum quæ apposui in charreria Domini Episcopi Andegav. ponenda per dictum Episcopum & suos hîc in ista aqua quando pons rumpitur vel aliàs efficitur inhabilis ad meandum ; prout continetur in cedula hîc statim lecta. Et volo dictam perturbationem & dictum impedimentum haberi pro nullis secundùm tenorem dictæ cedulæ. Et hoc facio & dico de mandato Ballivi Andegav. & peto absolvi à sententia à Domino Episcopo Andegav. in me lata ratione seu occasione dictæ perturbationis & impedimenti.

Qui Castellanus in quolibet dictorum duorum locorum repetiit & repetebat quampluries verba prædicta vel consimilia, ad dictam revocationem seu amotionem dictæ perturbationis & impedimenti facientia, ad instantiam & requisitionem dictorum Missorum ex parte nostra. Præsentibus ad præmissa dicto Castellano Egidio, Raginaldo Clerico Subballivi Andegav. Petro de Cainone, Petro Moysant Priore Pontis-Seii, Gervasio Homine-Dei Canonico Andegav. Petro de Valeiis, Matthæo de Lubleio, & Johanne dicto Guillet Presbyteris, Matthæo Dynoie Clerico, Petro dicto Fabro Clerico, Johanne Burgundo, Yvone Britone, Petro Picardo, Johanne Polinet, Rogerio Britone, Theophania Barbitontrice, Radulfo Sohier Mareschallo, &c.

Digitized by Google

Sequitur absolutio Egidij Castellani Pontis-Seii à sententia excommunicationis à nobis Guillermo Episcopo Andegavensi.

Die autem Lunæ in vigilia Nativitatis anno Domini anno quo supra coram nobis comparens idem Castellanus in Camera nostra Andegav. petiit absolvi à prædicta excommunicationis sententia: cui diximus, quòd juraret stare mandatis Ecclesiæ, qui aliquantulum renuens juravit, tactis sacrosanctis Evangeliis, stare Ecclesiæ mandatis. Quo juramento præstito ipsum absolvimus, & eidem injunximus in virtute præstiti juramenti, quòd jura Comitis Andegav. fideliter conservaret, & jura nostra ac possessiones & Andegav. Ecclesiæ non invaderet, aut aliàs perturbaret scienter: quibus idem Castellanus acquievit & hoc observare promisit.

Nota hîc de Concilio Provinciali à viris Venerabilibus Decano & Capitulo Turonensi, Domino Raginaldo eorum Electo confirmato adhuc in Curia Romana agente, Andegavis auctoritate Apostolica convocato.

CAPUT 28.

ANno quo suprà convocatum fuit Concilium Provinciale à Venerabilibus viris Decano & Capitulo Turonensi auctoritate Apostolica, pro negotio Terræ sanctæ Andegavos, die Dominica ante Purificationem Beatæ MARIÆ Virginis, in Festo videlicet Beati Juliani. In quo Concilio octo Episcopi convenerunt, videlicet, Redonensis, nos Andegav. Nannetensis, Dolensis, Macloviensis Venetensis, Corisopitensis, & Leonensis, & Petrus dictus le Royer Electus Cenoman. & auctoritate Metropolitana confirmatus; & quamplurimi Ab-

Concilium Provinciale Andegavis celebratum.

Digitized by Google

bates, Priores, Decani, Archidiaconi, Archipreſbyteri, aliíque Eccleſiarum Prælati tam Regulares quàm ſæculares ibidem affuerunt. Die autem Dominica prædicta in navi Majoris Eccleſiæ dictum Concilium conſedit innumeroſa multitudine populorum circumſtante, quæ dictum Concilium non modicùm perturbavit, & propter hoc aliis die continuatis, videlicet diebus Lunæ Martis, Mercurii, & Jovis, quibus duravit Concilium uſque ad horam tertiam dictæ diei Jovis, dictum Concilium in Capitulo Andegav. convenit & conſedit. Ipſa autem die Dominica prædicta Nos Andegav. ſermonem fecimus propoſito themate de Beato Juliano, ſumpto in Eccleſia & Capitulo: *Quaſi ſol refulgens ſic effulſit in templo Dei.* Die autem Lunæ ſequenti omnes ſupradicti Pontifices & Cenomanenſis Electus, Decani Turonenſ. & Cenoman. multæque aliæ perſonæ honorabiles Provinciæ Turonenſ. & omnes ferè Abbates qui in dicto Concilio convenerunt, multíque alii venerabiles viri tam ſæculares quàm Religioſi nobiſcum in noſtro Palatio comederunt.

Eccli. 50. 7.

Sequitur tenor litterarum nobis à Decano & Capitulo Turonenſ. & ipſis à Sede Apoſtolica directarum ſuper dicto negotio & Concilio convocando, in hæc verba:

VEnerabili in Chriſto Patri Dei gratia Epiſcopo Andegavenſi, ſeu ejus locumtenentibus, G. Decanus & Capitulum Turon. ſalutem in Domino. Noveritis nos anno Domini milleſimo ducenteſimo nonagegimo primo, die Mercurii ante Nativitatem Domini litteras ſanctiſſimi Patris & domini D. NICOLAI divina providentia Papæ quarti, recepiſſe, formam quæ ſequitur continentes.

NICOLAUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Turonenſ. & ejus ſuffraganeis, ac dilectis filiis Electis, & Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis, Archidiaconis, & aliis Ec-

Digitized by Google

clesiarum Prælatis, Capitulis & Conventibus universis cujuscunque ordinis Turonensis provinciæ salutem & Apostolicam Benedictionem. Diræ amaritudinis * calicem nuper nobis de Syriæ partibus propinatum non sine lacrimarum profluvio degustantes, in amara nimis & tristia valdè prorumpere cogimur, &c. *

* Has litteras iisdem verbis ad Rempub. Genuensem missas videbis apud Raynald. an. 1291. n. 13.

Cùm igitur ad recuperationem celerem dictæ terræ, prout ejus urgentissima necessitas exigit, ferventibus studiis intendamus, vias & modos diversos & varios per nos & alios sollicitiùs exquirentes, ut juxta desiderii nostri fervorem terra ipsa recuperari valeat, & recuperata in posterum conservari: Universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, quatinus convocatis per te, Frater Archiepiscope, ac per eos quibus id commiseris; & si opus fuerit Ecclesiasticâ censurâ coactis ad provinciale Concilium provinciæ tuæ Prælatis tam regularibus quam sæcularibus, tam exemptis (quibus ex convocatione tua nullum volumus quoad libertates & immunitates eorum in posterum præjudicium generari, nullúmque ipsis contra convocationem & coactionem hujusmodi, quantum ad hunc spectat articulum, ex privilegiis vel adminiculis libertatum exemptionúmve suarum excusationis seu exceptionis provenire præsidium) quàm etiam non exemptis: celeriter convenientes in unum, & diligenter considerantes, & sollertiùs attendentes, quòd etsi hujusmodi negotium universis fidelibus debeat propensiùs esse cordi; Prælati tamen Ecclesiæ Dei tenentur & debent arctiùs & ab intimis affici circa illud, opem & operam impendendo sollicitam, ut optatum exitum sortiatur: deliberando sollicitè, providè, & attentè super toto negotio supradicto, & præcipuè qualiter & quomodo circa recuperationem eamdem celeriter auctore Domino proventuram, & continuationem subsidii dictæ terræ ac impugnationem suorum hostium faciendam, & etiam circa alia negotium ipsum tangentia, possit quantociùs & utiliter sicut expedit provideri: & quod

* Huc usq; extant apud Raynaldum litteræ Nicolai PP.

Digitized by Google

ſuper præmiſſis deliberatum fuerit in Concilio memorato, nobis per viros idoneos providos & diſcretos ac ſufficienter inſtructos, & à vobis plenum mandatum habentes ſuper præmiſſis etiam faciendi quæ vos præſentes facere valeretis, ad Sedem Apoſtolicam uſque ad feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis primò venturum ſtudeatis quantociùs intimare, per quos nobis ſuper omnibus ſupradictis veſtræ circumſpectionis voluntas & conſilium innoteſcant, quorúmque communicato conſilio ſedes ipſa provida deliberatione ſtatuat, diſcutiat, diſponat & ordinet quod in tam arduo Chriſtianitatis negotio publicæ ſalutis utilitas poſtulabit.

Noſtræ præterea voluntatis exiſtit, ut vos juxta datam vobis ex Alto prudentiam viros ſubditos ad pacem & concordiam ſollicitè reducentes, ipſos ad devotionem ac reverentiam Salvatoris noſtri continuam, & ad ejus injuriam ulciſcendam, ac etiam ad ipſius ſubventionem negotii in tantæ neceſſitatis articulo excitare, inducere ac hortari ſollicitè procuretis; illam in hiis diligentiam & efficaciam impenſuri, ut à Domino cujus negotium agitur, æternæ beatitudinis conſequi præmia non immeritò valeatis. Vóſque proinde veſtræ devotionis promptitudine condignis laudibus attollamus.

Si verò te, Frater Archiepiſcope, abeſſe, vel quod abſit, deeſſe contingat; vos filii Turon. Capitulum auctoritate freti Apoſtolica hæc omnia exſequi procuretis. Datum apud Urbem-veterem xv. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Item alias litteras, quarum tenor talis eſt:

NICOLAUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri Archiepiſcopo Turon. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dura nimis & amara valde diſcrimina Terræ Sanctæ, quæ ſibi prout dolentes referimus nuper intulit vis hoſtilis, præſentium tibi non duximus exprimenda relatibus, cùm illa tuæ prudentiæ per alias noſtras litteras ſerioſiùs referamus. Sanè ad recuperandam de manibus Impii Terram ipſam ferventibus ſtudiis prout ejus urgentiſſima neceſſitas exigit intendentes &

Digitized by Google

cupientes, ut illa recuperata stabiliter conservetur, ad laudem Divini nominis & honorem, vias & modos varios & diversos exquirimus, per quos nostrum in hac parte desiderium valeat adimpleri. Unde cùm fide dignorum pandat assertio, quin potiùs communis vox habeat, quòd dilectos filios Fratres Hospitalis Sancti Johannis & Militiæ templi Jerosolymitani ad unius ordinis unitatem, seu Religionis unionem, auctoritate Apostolica reducamus, ut sinceriùs & uniformiùs in vinculo caritatis & pacis tendentes ad unum, efficacius possint prosequi negotium memoratum; super quorum unione hactenus etiam tempore Lugdunen. Concilii specialis mentio & collatio facta fuit. Volumus & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatinus cum suffraganeis tuis in provinciali Concilio, quod à te fieri volumus, prout tibi per alias litteras nostras injungimus, habito super hoc consilio diligenti, & exacta cum illis deliberatione secuta, nobis quod per te ac eosdem suffraganeos deliberatum fuerit in hac parte, plenè, fideliter, seriatim & expressè per tuas litteras harum seriem continentes, tuóque sigillo munitas procures quantociùs intimare. Datum apud Urbem-veterem xv. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Nos itaque volentes prædictum mandatum Apostolicum devotè exequi, ut tenemur, absente, & in Romana Curia agente venerabili viro & discreto Domino RAGINALDO Cancellario nostro Electo, in concordia Ecclesiæ Turonens. confirmato, Auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, in virtute obedientiæ vobis districtè præcipiendo mandamus, quatinus vocatis exemptis omnibus, & non exemptis vestrarum civitatis & Diœcesis, qui secundùm formam mandati Apostolici prædicti fuerint evocandi, & si opus fuerit ad id per censuram Ecclesiasticam coactis, vos & ipsi instanti die Dominica ante festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, cum diebus sequentibus donec tractatus nostri immò Apostolici deliberatio finem debitum sortiatur, Andegavis in majori Ecclesia; quem locum

Digitized by Google

tanto negotio idoneum, & ad conveniendum facilem deliberatione habita duximus eligendum; compareatis, & ibidem nobiſcum conveniatis, ſuper contentis in mandato Apoſtolico efficaciter proceſſuri. Ita quòd nec vos nec nos poſſimus de remiſſu ſeu inobedientia in aliquo reprehendi de nominibus ante citatorum & vocatorum, nec non & de receptione præſentium, & quid inde feceritis nobis fideliter reſcribatis cum veſtrarum teſtimonio litterarum. Originalia autem litterarum Apoſtolicarum vobis propter viarum pericula non mittimus, ſed formam & continentiam earumdem, & dicta die Dominica in Concilio vobis præſentibus eas legi faciemus, & etiam ſi opus fuerit publicari. Datum dictis die Mercurii & anno.

Caput 29. *De Venatione & fuga ferarum nemoris de Boucheto.*

ANno quo ſupra die Jovis poſt inventionem Beati Stephani, ad Caſtrum Andeg. accedentes ſuper certis negotiis noſtris & Eccleſiæ Andegav. cum Magiſtro Laurentio Vicini Capicerio Carnotenſi, & Domino Johanne de Deniſi Milite Conſiliariis Domini Caroli Comitis Andegav. tractaturi, intuentes Stephanum Segrearium dicti Comitis, qui nuper nobis denuntiaverat, quòd ſi nos in boſco noſtro de Boucheto juxta villam Epiſcopi venaremur, ibidem venantes caperet. Inter cetera diximus eidem in præſentia dictorum Conſiliariorum, quòd nos in dicto boſco noſtro venaremur, quoniam videremus expedire: eſto quòd Comes præſens eſſet, cùm in dicto boſco dictus Comes nihil juris habeat, utpote cùm de Regalibus illuſtriſſimi Regis Franciæ exiſtat, & ad ipſa Regalia ſpectare inter cetera dignoſcatur. Qui quidem Conſiliarii nobis reſponderunt: quòd ſi crederemus nobis jus competere in præmiſſis, audacter venaremur in boſco prælibato, præſentibus ad hoc Guillermo Theſaurario Andeg. Davide Ballivo, Rag. Abbate Sancti Florentii, Domino Guillermo,

Digitized by Google

mo de Marcill. Gaufrido & Roberto Archidiacon. in Ecclesia Andegav. Subball. Andegav. Guillermo Archipresbytero Burgul. Gaufrido Archipresbytero de Ludio, Johanne Rectore de Bauve, Johanne Rectore de Cepia, dicto Stephano Segreario, Godefredo, Johanne de Coceio allocatis Comitis, & pluribus aliis. Parum autem postea, videlicet die Mercurii ante Festum Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, aliqui de nostris de mandato nostro ad dictum boscum accedentes, cum canibus, retibus, arcubus & sagittis, & aliis pro venatione necessariis, in eo palam & publicè & magnis clamoribus venati fuerunt, & duas cervas repererunt, quæ ruptis quibusdam retibus evaserunt. Dictæ venationi interfuerunt Petrus de Rocha Miles, Petrus de Valleiis Presbyter, Forrerius de Villa Episcopi, Rag. de Charnace Clerici, Johannes de Plessa.

Eodem autem anno dudum postea, parum ante Natale Domini cùm aliqui de nostris palam & publicè in dicto bosco cum canibus, cornubus & retibus venarentur, ibidem Stephanus Segrearius Domini Comitis veniens, dictos venatores alloquens quæsivit ex parte cujus venabantur ibidem; qui responderunt, quòd ex parte Domini nemoris, videlicet Episcopi Andegav. Qui quidem Stephanus dixit ad illa verba: Et ego capio vos ex parte Domini Comitis. Et tunc quidam de dictis venatoribus ad illum Stephanum verba dirigens, quæsivit ab eo: Domine si inveniretis nos capientes vos, vel alios servientes Comitis in terra ipsius Comitis, vel al. sergentantes, quid nobis faceretis? Et respondit, certè ego caperem vos. Et tunc alter: Nos igitur pari ratione capimus vos, quia nos capitis, & capere vultis, ac sergentatis in terra Domini Episcopi Andegav. in qua feudum nec retrofeudum habet Comes. Et tunc præcepit eidem Stephano quòd redderet se in prisione Domini Episcopi Andegav. apud villam Episcopi: quod fecit idem Stephanus, & fuit ibidem in Castro per unum diem & unam noctem; & postea ad mandatum Domini Episcopi exivit & liberatus fuit. Ad hoc præsentes fuerunt Matthæus

Digitized by Google

de Lubleio Presbyter, Rag. de Charnace Clericus, Petrus Ferrarius, Stephanus de la Rousſiere, Matthæus le Nigrous*, & Rad. Badier, & quamplures alii.

* J. *le Négres.*

1293. Sequenti verò anno, videlicet anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, die Sabbati poſt feſtum Beati Barnabæ Apoſtoli, aliqui de noſtris cum quibuſdam aliis ſibi aſſociatis ad dictum boſcum de Boucheto venandi cauſa circa primam diei horam palam & publicè cum canibus, cornubus, arcubus & retibus accedentes; dimiſſis abire & quærere feras in dicto boſco canibus venaticis, magnis clamoribus vocum & cornuum prædictorum canibus excitandis, & ad meliùs quærendum provocandis, dictum boſcum quærentes & inveſtigantes, protenſis undique retibus feram aliquam non invenerunt ibidem, & inde recedentes ad boſcum alium qui dicitur Laudinaye pervenerunt, ut ibidem feras quærerent, ibidémque retia ſua pro feris capiendis tetenderunt, & dimiſſis abire canibus venaticis in dicto boſco, dicti canes dictum boſcum quærentes unum magnum cervum & pinguem ſignatum de xiv. de dicto boſco levari fecerunt, quem cervum dicti venatores inſequentes cum dictis canibus & magnis clamoribus vocum & cornuum, eumdem cervum uſque ad dicta retia perduxerunt, & eum captum & retentum ibidem in uno rete mactaverunt; & apud villam Epiſcopi in manerio noſtro in quadam quadriga palam & apertè per villam prædictam circa horam diei tertiam, audientibus & videntibus qui audire & videre volebant, liberè & abſque contradictione & reclamatione cujuſquam aſportaverunt eumdem, habentem ſerta de roſis circa cornua, quia tempus roſarum erat: quem cervum Girardus de Soucelle & Petrus de Rocha Milites & quidam alii in prædicto manerio deformaverunt ſeu *deffirent*, nobis Guillermo Andegav. Epiſcopo, Guillermo Theſaurario Andegav. & pluribus aliis præſentibus & videntibus: prædictæ autem venationi interfuerunt.

Digitized by Google

Littera gratiæ domino Regi concessæ in Concilio Salmurienſi.*

Caput 35.

Concilii Salmurienſis epiſtola. 1294.

* *Extat id Concil. poſt hiſt. Arch. Turon. à Iohanne Maan. p. 70. minimè verò epiſtola.*

EXtollenda dignis laudum præconiis benedicti Regni Francorum mira devotio, ineffabilíſque Regum ejuſdem Regni benignitatis ac liberalitatis in Eccleſias munificentia, Clerum Regni memorati, ac omnem Eccleſiaſticum ordinem naturalis rationis inſtinctu provocat & inducit ipſum Regnum proſequi ſincero caritatis affectu, eidem cura vigilantiori conſulere, ejuſdémque neceſſitatibus non tantùm orationum ſuffragiis, ſed etiam bonorum temporalium ſubſidiis, conditione temporis exigente, liberaliter ſubvenire: ipſum nempe Regnum, præ cæteris Regnis ubique terrarum longè latéque diffuſis, ſemper ſacræ Religionis exſtitit fundamentum, columna, & ſcutum Eccleſiæ, tutamentum fidei, fons ſapientiæ irrigans totum Orbem fluentis pleniſſimis Scripturarum; cujus & Principes, videlicet Chriſtianiſſimi Francorum Reges, præ cunctis terræ Regibus puriori fidei lumine radiantes, fundaverunt Monaſteria, mirificè dotaverunt Eccleſias, eas multiplicibus immunitatum ac libertatum privilegiorúmque inſigniis decorando. Et quia ſemper præ cunctis terræ Principibus Deo & Eccleſiæ devoti & humiles perſtiterunt, Deum piè colendo, Eccleſias & Eccleſiæ Miniſtros ſicut decet Principem Chriſtianum devotiùs honorando, glorioſus Princeps Regum terræ, per quem ceteri Reges regnant, eis recompenſavit etiam in hac vita, Regnum Francorum per feliciora ſucceſſivis temporibus incrementa ſuper omnia Regnorum climata ſublimando, eiſdem victoriam & triumphum de hoſtibus largiendo, terráſque ipſorum hoſtium in ipſos ſua irrefragabili potentia transferendo.

Cùm itaque quidam iniquitatis filii totius Chriſtianitatis ac fidei Catholicæ turbatores, quorum Rex Anglorum ore vulgi celebrante, ac fama celebri referente, noſcitur eſſe caput; Regni memorati felicibus proſ-

Digitized by Google

peritatis proventibus invidentes, ac venenum, quod diutiùs venenatis viſceribus latuit, modernis temporibus evomentes, ipſum Regnum multifariis conſpirationum & conjurationum factionibus adhibitis, impugnare & ſubvertere præſumptione damnabili moliuntur; jam in diverſa ipſius Regni loca inſanienti furiâ hoſtiliter irruentes, quorum perverſis ac viroſis machinationibus niſi maturiùs obvietur, eorum callidam ac ſubdolam dementiam armorum potentiâ repulſando, ipſi Regno & ejus habitatoribus non tantùm Laïcis, ſed etiam Clericis ac Eccleſiis univerſis poſſet grave periculum imminere. Quocirca nos neceſſitatem Regni ac Eccleſiarum ejuſdem pariter attendentes, Illuſtriſſimo Domino PHILIPPO Francorum Regi ob defenſionem dicti Regni & Eccleſiarum ejuſdem nimiis expenſarum oneribus prægravato, cui ad onera ſupportanda ſine Regnicolarum ac Eccleſiarum ſubſidio propriæ non ſufficerent facultates, de bonis noſtris mobilibus dignum duximus ſuccurrendum. Concedimus itaque dicto domino Regi hac vice communi conſenſu Cleri noſtri in noſtro Provinciali Concilio apud Salmurium nuperrimè celebrato, congregati ſuper hoc accidente, ob neceſſitatem dicti Regni, ut præmittitur, veriſimiliter imminentem, & propter defenſionem & tuitionem Regni, Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, & bonorum earumdem, de bonis mobilibus noſtris & perſonarum Eccleſiaſticarum noſtrarum Diœceſum non exemptarum, uſque ad biennium dumtaxat, tantam pecuniæ ſummam quantam à nobis & aliis perſonis Eccleſiaſticis prædictis, nomine decimæ pro tempore quo decimam habebat, ex conceſſione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ deductis ſumptibus percipere conſuevit: ita tamen quòd per iſtam conceſſionem nullum præjudicium Eccleſiis, nobis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis generetur; nec aliqua ſervitus domino Regi in prædictis Eccleſiis acquiratur.

Et quòd ſi durante tempore conceſſionis prædictæ decimam ſeu majus onus aut ſimile in eodem Regno per

Digitized by Google

sedem Apostolicam concedi vel imponi contigerit, vel jam etiam sit concessum, seu Domino inspirante, cui non est difficile disjuncta conjungere, pax inter dictos Reges durante dicto biennio reformetur, & tunc cessabitur à solutione concessionis supradictæ. Si verò dicto tempore treugam inter dictos Reges iniri contigerit, pro illo tempore quo treuga duraverit antedicta, hujus concessionis præstatio ex tunc totaliter suspendetur. Et si Duces, Comites aut Barones dictarum Diœcesum vellent durante dicto tempore aliquam subventionem vel subsidium non debitum ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis prædictis exigere vel habere, dominus Rex faceret ipsos cessare cum effectu.

Et colligetur dicta summa per illos quos nos prædicti Archiepiscopus & Episcopus quilibet in sua Diœcesi ad hæc duxerimus deputandos, terminis infrascriptis, ita quòd medietatem in instanti Festo Resurrectionis Dominicæ, & aliam medietatem in Festo Omnium Sanctorum postea subsequente; & eisdem terminis anni immediatè sequentis, præfatis receptoribus quilibet & modo quo supra solvere teneatur: & si fortè aliqui in prædictis terminis portionem ipsos contingentem solvere distulerint, ad id per censuram Ecclesiasticam & aliter compellentur; nec justitiarii sæculares Regales, vel alii, se de hoc ullatenus intromittent, nisi à nobis vel à receptoribus super hoc à nobis deputandis specialiter fuerint requisiti. Iidémque receptores pecuniam quam inde exegerint & receperint nobis tradent, ut eam domino Regi possimus postmodum assignare.

Actum apud Salmurium durante prædicto Concilio Provinciali, die Martis post Festum Beati Michaëlis in Monte-Gargano, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto. Datum hujus litteræ die Sabbati & anno prædicto. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum.

Digitized by Google

Caput 36. ***Sequuntur littera per nos impetrata à Rege.***

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex Ballivo Turonen. ſalutem. Dilectus & fidelis noſter Andegav. Epiſcopus nobis fecit exponi, quòd tu de die in diem ad captionem bonorum Andegav. Eccleſiæ pro tuæ voluntatis arbitrio nulla cauſa rationabili ſubſequente procedis: quod in gravem, ut aſſerit, frequenter ipſius redundat læſionem. Quocirca mandamus tibi, quatinus id facere de cetero non præſumas abſque noſtro ſpeciali mandato, niſi caſus tantam accelerationem requireret, quòd nos de facili non poſſes adire. Actum apud Pontiſaram die Mercurii in Vigilia Beati Martini hiemalis, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto.

1294.

Sequitur alia Littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Andegav. ceteríſque Præpoſitis & Juſtitiariis Andegav. ſalutem. Ex conqueſtione dilecti & fidelis noſtri Epiſcopi Andegav. accepimus, quòd vos terras ipſius, poſſeſſiones & jura, feuda ſeu retrofeuda ad Regalia jura noſtra ſpectantia occupatis, uſurpatis, ac in terris ipſius in quas omnimodam juriſdictionem ſe habere aſſerit, ſerjantare ac juſtitiare præſumitis, licet vobis nullum jus competat talia attentandi. Quocirca mandamus vobis, quatinus à præmiſſis uſurpationibus & indebitis novitatibus deſiſtatis omninò, talia de cetero nullatenus præſumentes, alioquin Ballivo noſtro Turonenſi dabimus tenore præſentium in mandatis, ut quæ circa hoc invenerit indebitè eſſe facta, ad ſtatum debitum faciat revocari, & coërceat, prout faciendum fuerit, contrarium præſumentes; viſis præſentibus eas reddatis Latori. Actum apud Pontiſaram die Mercurii in Vigilia Beati Martini hiemalis. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto.

Digitized by Google

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ſalutem. Ex conqueſtione dilecti & fidelis noſtri Andegav. Epiſcopi accepimus; quod Servientes cariſſimi germani & fidelis noſtri Comitis Andegavenſis plures moleſtias eidem Epiſcopo inferunt in terra ipſius ad Regalia noſtra ſpectante, ſerjantando & juſtitiando ibidem, licet nullam ibi juriſdictionem habere noſcantur. Et ſi aliquando contra tales fiant proceſſus aliqui in foro Eccleſiaſtico, tu per captionem temporalium ipſius eumdem compellere niteris ad proceſſus hujuſmodi revocandos. Quocirca mandamus tibi, quatinus non permittas quòd gentes dicti Comitis juſtitient, vel aliquam cohibitionem faciant in terra Epiſcopi ſupradicti. Nec Epiſcopum ipſum impedias, nec permittas per gentes dicti Comitis impediri, quin juriſdictione ſua liberè poſſit uti, ſuáſque ac Eccleſiæ ſuæ libertates atque franchiſias ſibi ſervari facias illibatas. Actum, &c. *ut ſupra.*

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Seneſcallis Ballivis, Præpoſitis, ceteríſque Juſtitiariis noſtris, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem. Intellectis gravaminibus quæ dilecto & fideli noſtro Andeg. Epiſcopo ac ſuæ Andegav. Eccleſiæ aliiſque Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis ſuæ Diœceſis aſſeruntur illata, & quæ de die in diem à gentibus noſtris ut dicitur inferuntur injuſtè. Mandamus vobis, quatenus ipſum Epiſcopum, Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ſibi ſubditas in pace & quietè fovere & ſervare curetis, eos mitiùs & curialiùs pertractando, ab eorum indebita moleſtatione ceſſantes & ceſſari prout ad vos pertinuerit facientes. Actum, &c.

Digitized by Google

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ſalutem. Ex parte dilecti & fidelis noſtri Andegav. Epiſcopi Nobis eſt intimatum, quòd Ballivus & gentes cariſſimi germani noſtri KAROLI Andegav. Comitis, terras ipſius, poſſeſſiones & jura, feuda & retrofeuda ad Regalia noſtra ſpectantia occupant & uſurpant, ac in terris ipſius, in quas omnimodam juriſdictionem habere dicitur, ſerjantare ac juſtitiare præſumunt, licet ipſis nullum jus competat talia faciendi. Quocirca mandamus tibi quatinus ipſos à præmiſſis uſurpationibus & indebitis novitatibus deſiſtere facias & ceſſare; & ſi quid circa hæc inveneris indebitè eſſe factum, ad ſtatum debitum reduci facias & reponi, & coërceas prout faciendum fuerit contrarium attentantes, &c.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turonen. ſalutem. Intelleximus quòd Receptores & Servientes deputati ad levandum decimam quondam nobis conceſſam & ejus reliquias, multa extorſerunt & adhuc extorquent à pauperibus perſonis Eccleſiaſticis Diœceſis Andegav. exigendo ultra quàm debeant, & eorum bona minùs rationabiliter devaſtando. Quocirca mandamus tibi, quatenus (ſi eſt ita) tales exactores punias ſecundùm quod ipſos inveneris in hujuſmodi deliquiſſe, compellens ipſos de plano ad taliter extorta reddendum, & à talibus extortionibus deſiſtendum. Actum apud Abbatiam Beatæ MARIÆ juxta Pontiſaram, &c.

Sequitur

Digitized by Google

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Mandamus tibi quatinus non permittas quòd Lombardi, & Servientes deputati ad colligendum pecuniam legatorum indistinctorum in Diœcesi Andegav. intromittant se de cognitione hujusmodi legatorum, quæ sint & quæ non indistincta, sed illi ad quorum spectat officium de talibus cognoscant, & de legatis indistinctis, quæ durante quadriennio nobis concesso per negligentiam gentium nostrarum non fuerunt exacta, non permittas executores vel heredes defunctorum de cetero molestari; & super illis quæ per fugam & malitiam ipsorum executorum vel heredum non fuerunt levata, illi ad quorum officium id pertinet, jus nostrum prosequantur & conservent absque sacrorum violatione locorum. Actum apud Abbatiam Beatæ MARIÆ juxta Pontisaram, &c.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ceterisque Justitiariis nostris ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Mandamus vobis quatinus dilectum & fidelem nostrum Episcopum Andegav. & ejus Officiales non impediatis, quominus ipsi cognitione sua Ecclesiastica & spirituali gladio possint uti contra raptores & invasores Ecclesiasticarum rerum, & incendiarios ac violatores Ecclesiarum, nec impediatis eos quominùs ipsi per se vel per Ministros suos possint capere flagitiosos Clericos in civitate & Diœcesi Andegav. ubique, maximè secundùm quod hactenus exstitit usitatum, &c.

Digitized by Google

Caput 37.

Sequitur Littera domini Regis.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ſalutem. Conqueſti ſunt nobis dilectus & fidelis noſter Epiſcopus, ac Decanus & Capitulum Andegav. in noſtra ſpeciali garda exiſtentes, quòd cùm ſuper revocandis gravaminibus, & indebitis novitatibus, quæ ſibi per Ballivum, & alios Officiales & Miniſtros cariſſimi germani, & fidelis noſtri KAROLI Comitis Andeg. in præjudicium gardæ noſtræ inferri contingit, noſtra eiſdem Ballivo, Officialibus & Miniſtris mandata per te diriguntur interdum, tu ipſos ad revocationem gravaminum & novitatum hujuſmodi compellere non curas, niſi per dictos Epiſcopum, Decanum & Capitulum, parte fundata ſuper hiis in figura judicii procedatur. Ideóque mandamus tibi quatinus ad revocationem gravaminum prædictorum non in forma vel figura judicii, ſed ſummariè & de plano procedas, cùm in hoc caſu ex veſtro ſit officio procedendum. Actum Pariſius Sabbato ante feſtum Sancti Nicolai, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-quinto.

1295.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ſalutem. Mandamus tibi & diſtrictè præcipimus, ſicut & aliàs mandaſſe meminimus, quatinus Miniſtris & ſervientibus cariſſimi germani & fidelis noſtri Karoli Comitis Andegav. inhibeas, ne in locis & feodis, in quibus dilectus & fidelis noſter Andegav. Epiſcopus omnimodam juſtitiam habere dignoſcitur, cùm Epiſcopus ipſe in noſtra ſpeciali garda exiſtat, ſergentare aut juſtitiare præſumant; ipſos ſi ſecus fecerint animadverſione debita puniendo. Actum Pariſius Sabbato poſt octavam hiemalis Feſti Sancti Martini, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto.

Digitized by Google

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. salutem. Exposuit nobis dilectus & fidelis noster Andegav. Episcopus, quòd tu ipsum & ejus Officiales indebitè impedis Jurisdictione sua uti inter Curatum Ecclesiæ de Jarzeye Jametum de Rogeyo, & quosdam alios homines Parochiales Ecclesiæ prædictæ suæ Diœcesis, & justitiam facere inter ipsos super decimis non feodalibus, occasione quarumdam litterarum nostrarum ad dictorum Jameti & hominum Parochialium prædictorum * tibi directarum, continentium quòd compelleres ipsos Episcopum, Officiales & Curatum desistere per captionem bonorum suorum temporalium, attrahendo & molestando ipsos homines super decimis feodalibus coram ipso Episcopo & ejus Officialibus. Quare tibi Mandamus, quatinus occasione ipsarum litterarum dictum Episcopum, & ejus Officiales inter præfatas personas justitiam facere, & jurisdictione sua uti super decimis non feodalibus impedire quomodolibet non præsumas. Actum Parisius in die Cinerum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto.

* *Deest verbum aliquod.*

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quòd cùm dilectus & fidelis noster Episcopus, Decanus & Capitulum Andeg. & alii dignitates in ipsa Ecclesia habentes, pro necessitate urgente & eminente totius Regni nostri, ad defensionem Regni ipsius & incolarum ejusdem, consenserint, ut valorem partis centesimæ bonorum hominum suorum Laïcorum, in feodis & retrofeodis suis existentium, haberemus levandam per manus eorumdem, dummodò ultra decem libras ab aliquo non levaretur, nobis ad dictam causam seu mandato nostro assignandum: Nolumus quòd per hoc ipsis, eorum suc-

Digitized by Google

cessoribus, dignitatibus, hominibus & Ecclesiæ aliquod præjudicium nunc vel in posterum generetur, nec nobis vel successoribus nostris jus novum contra ipsos acquiratur. Actum Parisius die Mercurii ante Brandones, Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo-quinto.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ceterisque Justitiariiis & Ministris nostris, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sicut vobis aliàs injunxisse recolimus, iteratò districtè præcipiendo mandamus, quatinus dilectum & fidelem nostrum Episcopum, nec non & Ecclesiam Andegav. in nostra speciali garda existentes, manuteneatis in suis justis & antiquis possessionibus, ac libertatibus & immunitatibus conservetis, & defendatis ab injuriis & violentiis manifestis, & novitatibus indebitis, prout justum fuerit & ad vos noveritis pertinere. Ipsum Episcopum & gentem ejus in his quæ nobiscum habent vel pro tempore habuerint facere benigniùs audientes curialiter pertractantes, & favorem impendentes eisdem quem poteritis absque justitiæ læsione. Datum apud Ferrar. die XIII. Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo quinto.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. ceterisque Justitiariis nostris, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Mandamus vobis quatinus in terra dilecti & fidelis nostri Episcopi Andeg. in qua omnimodam habet altam & bassam Justitiam, aliquos Servientes nostros morari continuè nullatenus permittatis, nec ad justitiandum in terram prædictam mittatis eosdem, nisi in casibus ressorti, vel aliis ad nos pertinentibus: Et tunc cum patentibus litteris casum

Digitized by Google

exprimentibus propter quem fuerint specialiter destinati. Actum apud Vicennas die VIII. Augusti, Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto. 1296.

Sequitur alia littera.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. vel ejus locum tenenti, ceterisque Justitiariis & subditis nostris, ad quos litteræ præsentes pervenerint, salutem. Ex conquestione dilecti & fidelis nostri Episcopi Andegav. accepimus, quòd licèt per alias nostras litteras vobis mandaverimus, quòd Servientes vestros sergentare non permitteretis, aut morari in terra ipsius, ubi omnimodam altam & bassam habet justitiam, nisi in casibus ressorti vel superioritatis ad nos spectantibus cum litteris nostris continentibus specialiter illos casus: vos nihilominùs mandatum prædictum ad domania & feoda propria dicti Episcopi restringentes: ad retrofeoda verò ipsius, quamvis in eis omnimodam habeat justitiam & ressortum hujus, mandatum nostrum extendere denegatis injustè. Quare mandamus vobis, quatenus si est ita, mandatum nostrum prædictum ad terram totam dicti Episcopi, & ab ipso moventem, in qua omnimodam ut præmittitur habet justitiam & ressortum, faciatis extendi: | Non permittentes in dicti Episcopi præjudicium contra hujus mandati nostri tenorem aliquid attentari, immo attentata si quæ sint ad statum debitum revocantes. Datum Vicennæ XII. die Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. 1312.

Digitized by Google

Caput 38. *Forma juramenti quod debet facere Episcopus Andegav. Ecclesiæ sancti Laudi Andeg. in primo adventu dictæ Ecclesiæ.*

NOverint universi, quòd cùm inter nos Guillermum Divina permissione Episcopum Andegav. ex una parte, & venerabiles viros Decanum & Capitulum Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. ex altera, quædam ambiguitas verteretur super quodam juramento, quod in prima visitatione nostra Ecclesiæ sancti Laudi prædictæ juxta morem prædecessorum nostrorum, ut dicti Decanus & Capitulum asserebant, facere tenebamur; Nobis respondentibus, quòd parati eramus dictæ Ecclesiæ facere juramentum, si & prout Prædecessor noster fecerat, super hoc sufficienter ex parte ipsorum informati fuissemus: tandem productis testibus ex parte dictorum Decani & Capituli coram examinatore Curiæ nostræ Andegav. de communi concordia plenè & sufficienter probatum exstitit, quòd Prædecessor noster in prima sua visitatione dictæ Ecclesiæ ante portas ipsius Ecclesiæ, antequàm ingrederetur eamdem, memoratæ Ecclesiæ quoddam præstiterat sacramentum, sed sub qua forma factum fuisset, ignorabant testes super hoc producti & examinati, ut prædicitur, & sic de juramento constitit, formâ ejusdem non probatâ & in dubio remanente. Super forma autem dicti juramenti à nobis dictæ Ecclesiæ faciendi diutiùs altercato, finaliter de voluntate & consensu Capituli nostri Andegav. & dicti Capituli sancti Laudi, in nostra prima visitatione quam in eadem Ecclesia sancti Laudi fecimus die Mercurii post
1296. Epiphaniam Domini, anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, ante fores ipsius Ecclesiæ sancti Laudi clausas antequàm ingrederemur eamdem, quoddam juramentum fecimus sub hac forma:

Nos GUILLELMUS Episcopus Andegav. juramus nos præstituros bonum consilium & fidele pro posse nostro

Digitized by Google

Ecclesiæ sancti Laudi Andegav. cùm ex parte Decani & Capituli ejusdem Ecclesiæ fuerimus requisiti; præsentibus ad hoc ibidem venerabilibus viris Egidio Decano Ecclesiæ Andegav. Johanne de Bosco Scholastico Andegav. Guillermo Archipresbytero de Burgulio, Gervasio Homine Dei, Stephano de Burgulio Officiali Andegav. Andrea de Haya, Magistro Matthæo Piquot Canonicis Andegav. Hugone Odardi Archipresbytero de Salmuro socio nostro, Domino Philippo de Plesseiaco Decano sæpedictæ Ecclesiæ sancti Laudi, Johanne Agni Canonico ejusdem Ecclesiæ, & Herberto Rectore Ecclesiæ de Chatelein Capellano nostro, multísque aliis ibidem congregatis.

Littera anathematis.

Caput 39.

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris GUILLERMUS permissione Divinâ Andegav. Episcopus salutem & sinceram in Domino caritatem. Prout sacrorum Canonum & sanctorum Patrum protestatur auctoritas, Pastoris necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Prælati præcipuè curam animarum habentes summam deberent habere curam de hiis qui pereunt, quatinus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, tamquam ovis scabiosa à caulis, & velut membrum putridum à corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, separentur, ne eorum contagione sive consortio grex fidelium corrumpatur: ferro enim excommunicationis abscindenda sunt vulnera, & putridæ carnes corporis resecandæ, quæ fomenta non sentiunt medicinæ. Cùm itaque David de Domibus-suis Ballivus Andegav. & Darianus dictus Bidoyn Subballivus Andegavis, eorum Matrem Andegav. Ecclesiam

Digitized by Google

more prolis viperæ crudeliter lacerantes, eámque tam ſpiritualitate, quàm temporalitate ſua exheredare conantes, eídemque inenarrabiles injurias, gravamina & moleſtias inferentes, tam ex parte noſtra, quàm Officialis noſtri pluries requiſiti & moniti reſipiſcere noluerint à præmiſſis, ſed tamquam incorrigibiles, & in ſua malitia perſeverantes, & dictæ Eccleſiæ ſemper pejora prioribus inferre non ceſſantes, pluribus excommunicationum ſententiis tam auctoritate Canonum, quàm Conciliorium Provincialium, quàm etiam Officialis noſtri prædicti fuerint & adhuc ſint innodati, & à corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, tamquam oves morbidæ & membra putrida ſegregati, pro eo maximè quòd noſtram Juriſdictionem Eccleſiaſticam impediendo & perturbando, Johannem dictum le Chapelier civem Andegav. occaſione litis motæ ex parte ipſius coram Officiali noſtro prædicto ſuper hiis, de quibus ad nos tam de jure, quàm de antiqua, & approbata conſuetudine, Juriſdictio dignoſcitur pertinere, ceperunt & capi fecerunt, & adhuc ipſum detinent carceri mancipatum.

Ac iterum dictus Ballivus pro eo quòd in terris noſtris de Villa Epiſcopi, & de Banneio in quibus omnimoda Juriſdictio tam temporalis, quàm ſpiritalis ad nos nomine Epiſcopatus Andegav. pertinet pleno jure, Mathæum de Vineis hominem noſtrum, manſionarium & eſtagiarium in dicta terra de Villa Epiſcopi, & penes quoſdam alios manſionarios & eſtagiarios noſtros dictæ terræ, duos boves & quædam alia bona mobilia, ac Michaëlem carnificem hominem noſtrum manſionarium in dicta terra de Banneio cepit & capi fecit, & adhuc captum detinet & detentum, nitendo de novo Juriſdictionem temporalem in dictis terris noſtris uſurpare, & eaſdem terras noſtras de novo ſubjicere & ſupponere Juriſdictioni temporali domini Comitis Andegaviæ, in præjudicium & exheredationem Epiſcopatus & Eccleſiæ prædictæ.

Ac

Digitized by Google

Ac insuper dictus Ballivus pro eo quòd cùm dictus Officialis noster occasione præmissorum contra ipsum, & contra quosdam alios allocatos & servientes domini Comitis Andegaviæ prædicti super multis violentiis & injuriis nobis, & Episcopatui Andegav. prædictis ab eisdem illatis, per nostram Jurisdictionem Ecclesiasticam procederet secundùm quod eidem Officiali incumbebat, & facere poterat, & debebat tam de jure, quàm de antiqua consuetudine obtenta & approbata à tempore cujus memoria non existit, temporalitatem nostram quam habemus nomine Episcopatus prædicti apud Bustam, & in hallis Andegav. per manum Regiam capi & se siri fecit & procuravit, & adhuc captam & sesitam facit & procurat detineri injustè.

Et iidem Ballivus & Subballivus dictas excommunicationis sententias diu damnabiliter sustinentes, cum solemnitate qua decet, & quæ consuevit in Andegav. Diœcesi in talibus observari fuerint aggravati; dictásque excommunicationis & aggravationis sententias diu sustinuerint, & adhuc sustineant cordibus & animis induratis, claves Sanctæ Matris Ecclesiæ vilipendentes in suis malitiis obstinati; offensionem Divinam incurrere, & in eadem perseverare non verentes, immo pro suis nisibus accumulantes mala malis, Dei timore postposito, contra nos & dictam Andeg. Ecclesiam occcasione dictarum sententiarum manum Regiam, & suam de die in diem aggravent & procurent aggravari, maximè faciendo nos bonis nostris omnibus temporalibus, & quod gravius est spiritualibus, scilicet decimis spoliari, & à maneriis nostris, ibidem custodibus ex parte domini Regis appositis ipsis procurantibus, relegari, adeóque extra civitatem Andegav. non habemus ubi caput reclinare possimus.

Nos attendentes ipsos Ballivum & Subballivum in profundo malorum constitutos, & quòd invasores rerum Ecclesiasticarum collatarum Ecclesiis pro remedio peccatorum, tamquam sacrilegi sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi, ut quos

Digitized by Google

timor Dei à malo non revocat, saltim coërcere debeat severitas Ecclesiasticæ disciplinæ: cum Capitulo nostro deliberatione præhabita diligenti, dolentes & cum cordis amaritudine cum istis duodecim probis viris & honestis Sacerdotibus indutis Sacerdotalibus ornamentis, lucernas in manibus ardentes tenentibus, assistentibus nobis in Pontificalibus constitutis in hac nostra præsenti Synodo, quam hodie in hac nostra Andegav. Ecclesia celebramus, præsente Clero & populo, eosdem Ballivum & Subballivum secundùm Sanctorum Patrum instituta, tamquam exsortes à Regno Dei, à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio omnium fidelium, & totius cœlestis curiæ eliminantes & excludentes, ipsósque Sathanæ tradentes in interitum carnis, ut eorum spiritus in die judicij salvi fiant, in his scriptis anathematizamus cum solemni pulsatione campanarum, ipsas candelas accensas in terram projicientes, ac pedibus conculcantes & extinguentes, ac anathematizatos, & à communione Dei, & Sanctorum, Sanctæ Matris Ecclesiæ, & omnium fidelium separatos publicè nuntiamus, & in Ecclesiis civitatis & Diœcesi Andegav. præcipimus publicè & solemniter nuntiari. Præsentibus ad hoc Clero in dicta Synodo congregato, & populo civitatis Andegav. voce præconia * specialiter ad hoc evocato, & specialiter Religiosis viris Johanne Sancti Sergij, Michaële omnium Sanctorum Andeg. Gaufrido de Rota, & Matthæo de Mellineys Monasteriorum Abbatibus, ac venerabilibus Egidio Decano, Johanne Cantore, Gaufrido Transligeren. Archidiacono in Ecclesia Andegav. necnon Stephano de Ludio, Hugone Salmurienſi, Gaufrido Burgulienſi, Mauricio Andegav. & Johanne de Fixa Archipresbyteris, Matthæo de Credonio, & Petro de Intersartam & Meduanam Decanis, & aliorum virorum & mulierum multitudine copiosa. In cujus rei testimonium ad perpetuam memoriam posterorum præsentem litteram sigillo nostro, unà cum pluribus sigillis dictorum Abbatum, & venerabilium virorum, & Archipresbyterorum, & Decanorum superiùs

Synodus Andegav. an. 1298.

* i. voce præconis.

Digitized by Google

nominatim expressorum fecimus consignari. Datum & actum die Synodi prædictæ, quæ fuit die Jovis post festum Beati Lucæ Evangelistæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo-octavo. 1298.

Sequuntur litteræ Regiæ impetratæ ab Archiepiscopo Turonensi.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Turon. & Cenomanensi Ballivis, vel eorum loca tenentibus salutem. Ex dilectorum nostrorum Archiepiscopi Turon. ejúsque suffraganeorum gravi querimonia ad nostrum pervenit auditum, quòd vos & alij Justitiarij, Ministri & Officiales nostri in nostris constituti Balliviis ipsos, Ecclesias, & personas Ecclesiasticas Provinciæ Turonensis, molestationibus & oppressionibus variis contra immunitatem Ecclesiasticæ libertatis incessanter opprimitis, & diversis jugiter injuriis & gravaminibus molestatis. Nos autem qui in eorum quiete quiescimus, ipsos à prædictis gravaminibus præservari, & libertatem hujusmodi, Regiminis nostri temporibus illibatam servari plenis desideriis affectantes, Mandamus vobis, quatinus si temporalitas Prælati per Curiam nostram sesiri ex causa mandetur, sitis à principio sesinâ unius manerij vel alterius paucæ partis contenti, nisi ad majorem forsitan partem successivè postmodùm sesinam extendi indurata contumacia vel protervitas inobedientis exposcat. Non tamen ad sesiendum totam temporalitatem procedentes, nisi in nostris litteris de tota contineatur expressè, vel nisi facti atrocitas hoc requirat. Quòd si Custodes in talibus sesinis poni contingat, uno sitis contenti à principio, nisi magna rebellio aliud requirat, vel de pluribus in litteris nostris expressa mentio habeatur. CAPUT 40.

Ab his & similibus processibus & gravaminibus abstineri, in sesinis temporalitatis aliarum personarum Ecclesiasticarum prædictæ provinciæ, facientes, attentiùs

Digitized by Google

proviſuri, ut in ſeſinis hujus Servientes ponatis ita providos & fideles, ne de ipſorum adminiſtrationibus atque geſtis à vobis ratio exigatur, vel ſuper hoc aliàs poſſitis redargui vel puniri.

Subditis quoque noſtris non inhibeatis, quin in caſibus ad juriſdictionem Eccleſiæ de jure vel conſuetudine ſpectantibus, ſuos adverſarios coram Eccleſiaſticis Ordinariis locorum conveniant, nec aliquos per captiones corporum vel bonorum ad impetrandum pro adverſariis ſuis abſolutiones compellatis, nec compelli etiam permittatis: neque litteras Eccleſiaſticorum judiciorum deferentes incarceretis, nec verberetis propter portationem ipſarum, nec litteras ipſas auferatis eiſdem. Quòd ſi apertâ litterâ & indubitatâ Ordinariorum Eccleſiaſticorum locorum judicium, majorem excommunicationem continens, vobis oſtendatur præ manibus, & non fuerit appellatum, excommunicatos ad agendum vel patrocinandum non recipiatis, ubi conſuetum eſt hoc ſervari, id eſt excommunicatos, ſiquidem obſtinatos, ad petendum abſolutionem ad requiſitionem Ordinariorum compellatis, ſicut ab antiquo fuerit conſuetum.

Perſonas inſuper Eccleſiaſticas ad nova pedagia, vel inconſueta ſolvi à perſonis Eccleſiaſticis de fructibus beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, ſolvenda compelli minimè permittatis. Cuſtodes autem Regalium per nos poſitos, vel ponendos, exceſſus vel uſurpationes facere prohibemus. Hujuſmodi ergo mandatum noſtrum ſit diligenter & fideliter exequi procuretis, quòd tam ipſi Prælati, quàm Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ ſupradictæ, injuriarum & moleſtationum quarumlibet turbinibus relegatis, pacis Actori, cujus mancipantur obſequiis, eo devotiùs quo tranquilliùs debitum impendere valeant famulatum. Nóſque ipſorum in hac parte ceſſantibus querimoniis & querelis, quarum revera iterata delatio noſtrum turbaret acerbiùs & offenderet animum, obedientiam & ſollicitudinem veſtram proinde meritò commendare poſſimus, præſentes litteras præ-

Digitized by Google

dictis Prælatis vel eorum mandato reddentes. Actum apud Angleur. die Jovis poſt Feſtum Reſurrectionis Dominicæ, Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono. 1299.

Sequuntur littera exſecutoria ad præmiſſa.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Dilectis Magiſtro Radulfo Rouſſeloti Clerico noſtro, & Gaufrido de Aniſeyo Vicecomiti Bajocenſi ſalutem & dilectionem. Ex dilectorum noſtrorum Archiepiſcopi Turon. ejuſque ſuffraganeorum gravi querimonia ad noſtrum pervenit auditum, quòd Collectores decimæ & annalium Eccleſiaſticorum beneficiorum nobis pro Regni noſtri defenſionis ſubſidio conceſſorum, & alij Officiales & Miniſtri noſtri ſuperintendentes negotio collectionis hujuſmodi, & aliàs in ejuſdem & aliarum ſubventionum impoſitarum diverſis retroactis temporibus pro negotio defenſionis prædictæ collectionis Officio, illúdque contingentibus, in Turonenſi Provincia deputati, plus illicitis quæſtibus & propriis commodis inhiantes, quàm utilitati & executioni fideli negotiorum ſuæ fidei commiſſorum, & aliàs poteſtate ſibi tradita nequiter abutentes, Prælatos, Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas Provinciæ Turon. ac homines eorumdem ſub umbra ſubventionum hujuſmodi, indebitis exactionibus, extortionibus & rapinis diverſimodè gravaverunt: Quódque tam prædicti quàm alij Officiales, Juſtitiarij & Servientes noſtri Balliviarum ipſarum, Prælatos, perſonas Eccleſiaſticas, & homines ſupradictos moleſtationibus & oppreſſionibus variis contra immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis, & ordinationes noſtras ſuper his editas, opprimere, & diverſis injuriis & gravaminibus afficere præſumſerunt, & alias graves & enormes priſcis temporibus commiſerunt, & jugiter committere non verentur exceſſus.

Digitized by Google

Nos autem qui in eorum quiete quieſcimus, prædicta gravamina eis, ut præmittitur, jam illata moleſtè ferentes, & cupientes ab his quæ inferri poſſent in poſterum præſervari; vobis de quorum induſtria & fidelitate plenam in Domino fiduciam gerimus, præſentium tenore committimus, & mandamus, quatinus ad partes illas vos perſonaliter conferentes, de exactionibus, extortionibus, rapinis, gravaminibus, injuriis & exceſſibus antedictis inquiratis, vocatis evocandis, ſummariè & de plano, diligenter & ſollicitè veritatem: quæ taliter inveneritis extorta, plenè reſtitui, damna reſtaurari, injurias emendari, & gravamina ſubmoveri, prout juſtum fuerit facientes: & quos in præmiſſis conſtiterit deliquiſſe, caſtigatione debita, etiam per privationem ipſorum ab officiis vel ſervitiis ſuis perpetuò, vel ad tempus, & aliàs, prout expedire videritis, taliter punientes, quòd eorum pœna tam ſibi, quàm aliis præſumptionis ſimilis interdicat exempla. Illos etiam quos culpabiles inveneritis in hac parte, ad refundendum prædictis Prælatis & alias expenſas, quas ipſos in hujus proſecutione negotij feciſſe conſtiterit, ratione prævia compellatis.

Hujuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic diligenter & fideliter exſequi procuretis, quòd tam ipſi Prælati, quàm Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ ſupradictæ, injuriarum & moleſtationum quarumlibet turbinibus relegatis, pacis Actori * cujus mancipantur obſequiis eo devotiùs, quo tranquilliùs debitè impendere valeant famularum. Nóſque ipſorum in hac parte ceſſantibus querimoniis & querelis, quarum revera iterata delatio noſtrum turbaret acerbiùs & offenderet animum, obedientiam & ſollicitudinem veſtram proinde meritò commendare poſſimus. Damus autem fidelibus Juſtitiariis & ſubditis noſtris tenore præſentium in mandatis, ut vobis in præmiſſis, & ea tangentibus diligenter & efficaciter pareant & intendant. Actum apud Angleur. die Jovis poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-nono.

ſive * Autori.

Digitized by Google

Sequuntur alia Litteræ domini Regis.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Turon. vel ejus locum tenenti, salutem. Mandamus tibi, quatinus Petrum de Bonayo Servientem nostrum, ad reddendum de iis, quæ de terra dilecti & fidelis nostri Episcopi Andegav. quæ ad manum nostram ratione dissensionis inter ipsum & carissimum germanum, & fidelem nostrum K. Comitem Andegav. exortæ, sesita & aliquandiu retenta exstitit, per eum & deputatos ab ipso levata & recepta fuerint, plenam, fidelem & integram rationem, & ad reddendum eidem Episcopo levata & recepta hujusmodi, deductis rationabiliter deducendis, summariè & de plano compellas. Actum apud Angleur. die Jovis post Festum Resurrectionis Dominicæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo-nono.

Quadam Responsio facta domino Regi à Prælatis Provinciæ Turonensis. CAPUT 41.

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris R. Dei gratiâ Archiepiscopus Turon. R. Cenom. G. Andegav. H. Nanneten. B. Maclovien. N. Coriso-piten. & G. Briocen. eâdem gratiâ Episcopi, salutem & sinceram in Domino caritatem. Noveritis quòd nos ab Excellentissimo Principe domino Philippo Dei gratiâ Rege Francorum Illustri, anno Domini millesimo trecentesimo-primo, Dominicâ in Passione Domini Parisius evocati, super quibusdam negotiis ipsum Regem & statum Regni, ut dicebat, tangentibus nostra consilia præbituri, & super eisdem negotiis pro eodem, aliisque Prælatis, & ipsius Regni Proceribus tractaturi; expositisque dicta die ex parte ipsius Regis negotiis super quibus fueramus, ut prædicitur, evocati, petitóque à nobis ex parte ipsius Regis præsentis, ut ipsum juvare ad

1301.

Digitized by Google

defenſionem jurium ſuorum, ac honoris & Regni ſui, ſuper expoſitis negotiis curaremus. Die Lunæ ſequenti convenientes in unum, communicato conſilio, ac deliberatione præhabita diligenti, proteſtato ante omnia à nobis, quòd per prædictum tractatum & reſponſionem noſtram non intendebamus nos nec Eccleſias noſtras in aliquo de novo ſubjicere vel ſubmittere: ipſi Regi reſpondimus in hunc modum, videlicet quòd ipſum ad defenſionem jurium, ſtatúſque & honoris ſuorum & Regni, ſalvis juribus & libertatibus Eccleſiarum noſtrarum, ſtatibus noſtris, animarúmque ſalute, in quantum poſſemus commodè juvaremus. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Actum Pariſius die Lunæ & anno prædictis.

Littera miſſa domino Bonifacio Papæ VIII. à Prælatis Regni Franciæ.

Hortantur Papam ut à jure quod prætendebat in Regem & Regnũ Franc. proſequendo deſiſtat, quòd graviſſima inde mala Eccleſiæ eveniant.

SAnctiſſimo Patri ac domino ſuo cariſſimo domino BONIFACIO Divinâ providentiâ ſacro-ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, ſuî humiles ac devoti, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores Conventuales, Decani, Præpoſiti, Capitula atque Collegia Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, Regularium & ſæcularium totius Regni Franciæ Pariſius congregati, devotiſſima pedum oſcula beatorum. Non abſque dolore cordium, & amaritudine lacrymarum beatitudini veſtræ ſignificare compellimur, quòd Sereniſſimus Princeps, dominus noſter cariſſimus, PHILIPPUS Dei gratiâ Franc. Rex Illuſtris, auditis quæ per venerabilem virum Archid. Narbonenſem, Notarium & Nuntium veſtrum nuper ſibi ex parte veſtra relata fuerunt, ac inſpectis Apoſtolicis litteris clauſis, ei per eumdem Archid. præſentatis, & quibuſdam (licèt paucis) de Baronibus ſuis tunc ſibi adſiſtentibus earum communicato tenore; ex his tam dominus Rex, quàm Barones ipſi, ingenti admiratione & vehementi

Digitized by Google

menti turbatione commoti, statim idem dominus Rex de Baronum ipsorum consilio Barones ceteros tunc absentes, ac nos, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores Conventuales, Decanos, Præpositos, Capitula, Conventus atque Collegia Ecclesiarum tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Regularium & sæcularium; necnon Universitates & Communitates Villarum Regni sui ad suam mandavit præsentiam evocari, ut Prælati, Barones, Decani, Præpositi, ac duo de prioribus uniuscujusque Collegiatæ vel Cathedralis Ecclesiæ personaliter, ceteris verò per Oeconomos, Syndicos, ac Procuratores idoneos cum plenis & sufficientibus mandatis, statutis loco & termino * curaremus. Porrò nobis ceterisque personis Ecclesiasticis supradictis, necnon & Baronibus, Oeconomis, Syndicis & Procuratoribus Communitatum & Villarum, & aliis, sic juxta præmissæ vocationis formam ad mandatum Regium hac die Martis, decima præsentis mensis Aprilis, in Ecclesia Beatæ MARIÆ Parisius in præfati Regis præsentia constitutis, idem dominus Rex proponi fecit cunctis audientibus, palam & publicè, sibi ex parte vestra fuisse inter alia per prædictos Archidiaconum & litteras intimatum, quod de Regno suo, quod à solo Deo ipse & Prædecessores sui tenere hactenus recognoscunt, temporaliter vobis subesse, illúdque à vobis tenere deberet: nec contenti verbis hujusmodi sic mirabilibus, sicque novis & inauditis à sæculo apud incolas dicti Regni, sed ea perducere satagentes exsecutionis in actum, Prælatos dicti Regni, ac Magistros in Theologia, & Professores utriusque juris, oriundos de Regno prædicto, pro corrigendis excessibus, necnon & pro culpis, insolentiis, injuriis atque damnis, quæ Prælatis, Ecclesiis, Ecclesiasticísque personis Regularibus & sæcularibus in Regno constitutis eodem, & alibi, per ipsum dominum Regem & Officiales, seu Ballivos suos, ac Paribus, Comitibus, Baronibus aliisque Nobilibus, Universitatibus & populo dicti Regni inferri prætenditis; emendandis, ad vestram præsentiam evocastis, ut

* adesse *aut quid simile.*

Digitized by Google

sic Regnum præfatum pretiosis jocalibus, incomparabilibúsque thesauris, clipeis fortium præferendis, sapientiâ videlicet Prælatorum & sapientum etiam aliorum, quorum fideli maturitate consilii, ac providentiâ circumspectâ regi habet & dirigi Regnum ipsum, firmari fides, Sacramenta Ecclesiastica exhiberi, ministrari justitia, & per eos facultatibus & divitiis vacuatum penitus & exhaustum, dubii casus eventibus miserabilis ruinæ periculis, & desolationis extremæ dispendiis exponatur.

In quibus, & aliis diversis gravaminibus, quæ per vos & Romanam Ecclesiam sibi, Regno, & Ecclesiæ Gallicanæ tam in reservationibus & ordinationibus voluntariis Archiepiscopatuum & Episcopatuum, & collationibus beneficiorũ insignium dicti Regni personis extraneis & ignotis, & nonnumquam suspectis, nullo tempore residentibus in Ecclesiis vel beneficiis supradictis; ex quibus divini cultus diminutio sequitur, & fundantium seu donantium voluntates propulso pietatis officio defraudantur, pauperibus dicti Regni eleemosynarum largitio consueta subtrahitur, Regni depauperatio provenit, & Ecclesiæ jacturam deformationis incurrunt; dum stipendiorum perceptione subtracta obsequiis destitutæ remanent servitorum, earum proventibus exterorum commoditatibus deputatis; & Prælati dum non habent quid pro meritis, immo retribuant Nobilibus, quorum progenitores Ecclesias fundaverunt, & aliis litteratis personis, non inveniunt servitores; ac ex causis hujusmodi, devotione tepescente fidelium, non est hodie qui ad Ecclesias manum liberalitatis extendat, & aliàs in præmissis pernicioſum præbetur exemplum.

Necnon pensionibus novis & censibus Ecclesiis de novo impositis immoderatis servitiis, aliisque exactionibus & extorsionibus variis; præjudicialibus siquidem & damnosis novitatibus, ex quibus generalis status Ecclesiæ immutatur, Prælatis superioribus dandi coadjutores suffraganeis Episcopis, & aliàs tam ipsis quàm suffraganeis ea quæ ad suum spectant officium exequendi

Digitized by Google

facultas adimitur, ut pro eis ad Apostolicam sedem cum muneribus recurratur, aliisque diversis casibus & nonnullis articulis à longè retrolapsis, & vestris præsertim temporibus illata fuisse, & continuè inferri conqueritur suam & successorum suorum & Regni exheredationem tam enormem & gravem, támque manifestam, sui & Regni honoris dispendium & evidens detrimentum: nec intendens, sicut nec poterat, diutiùs tolerare, & se certum asserens, quòd superiorem in temporalibus, sicut nec sui progenitores habuerant, prout est toti mundo notorium, non habebat; ac fovere in præsenti negotio, sicut Doctorum in Theologia, Magistrorum in utroque jure de Regno suo oriundorum & aliorum, qui inter Doctores alios & peritos orbis peritiores & famosiores habentur, relatione concordi, habuerat justam causam. Nos universos & singulos tam Prælatos, quàm Barones, & alios instantiùs requisivit; præcepit ut dominus, rogavit & precibus institit ut amicus, ut nobiscum ad conservationem libertatis antiquæ, honoris & status Regni prædicti, ac incolarum ipsius relevationem gravaminum prædictorum, reformationem Regni, Ecclesiæ Gallicanæ, de nostro & Baronum ipsorum consilio, ad laudem Divini nominis, exaltationem Catholicæ fidei, honorem universalis Ecclesiæ, & Divini cultus augmentum, salutaria disponat inire concilia & efficacem operam adhibere, præsertim circa gravamina per Officiales suos & alios de Regno prædicto, Ecclesiis Ecclesiasticísque personis illata.

Super quibus debitæ correctionis remedium ante adventum præfati Archidiaconi ordinaverat adhibere, quod jam duxisset in executionis effectum, nisi quòd id ex metu vel ad mandatum vestrum feciisse forsan aliquibus videretur, id quod nobis adscribere non possetis; & ad hoc non solùm omnia quæ in bonis forent ipsius, sed & personam & liberos si casus exigeret exponendo; similiter in his in quibus singulariter omnium & generaliter singulorum res agi dignoscitur, causa provehitur, & proprium uniuscujusque tangitur interesse, prout ex

Digitized by Google

debito fidelitatis adstringimur, curaremus adesse consiliis & auxiliis opportunis, petens sibi statim super hiis ab universis & singulis præcisè ac finaliter responderi.

Barones verò cum syndicis & procuratoribus supradictis, secedentes in partem, ac demum deliberato consilio redeuntes, præfato domino Regi de hujusmodi suo laudabili proposito, & beneplacita voluntate, ad multa laudum præconia & gratiarum actiones exuberes assurgentes unanimiter responderunt, se ad ea paratos nedum exponere res, & bona quæ ex tunc ad hoc totaliter offerebant, sed & personas usque ad mortis supplicium, tormentorum quorumlibet genera non vitando. Adjicientes expressiùs una voce, quòd etsi præfatus dominus Rex præmissa, quod absit, eligeret tolerare, vel sub dimulatione transire, ea ipsi nullatenus sustinerent.

Itaque subsequenter à nobis responsione petita, licèt longiores inducias postulantes, ipsum dominum Regem & Majores ex Baronibus memoratis, quòd non ea intentione ad eumdem dominum Regem Apostolicæ litteræ processissent, ut vestræ voluntatis existeret in Regni præfati libertatem impingere, vel quidquam honori Regio contrarium in hac parte, vel quomodolibet innovare: multa lenitate verborum, persuasionibus studiosis, & multiplicatis excusationum præsidiis, nisi fuimus informare: ipsum Regem ad servandum speciale vinculum unionis, quod inter sanctam Romanam Ecclesiam & prædecessores suos, & ipsum Regem usque ad hæc tempora viguisse dignoscitur, multipliciter inducendo: ulteriori dilatione negata, ac prædicto patenter & publicè universis, quòd si quis voluntatis contrariæ appareret, ex tunc pro inimico Regis & Regni notoriè habebatur, consultiùs attendentes, & conspicientes apertiùs, quòd nisi dominus Rex & Barones prædicti ex nostra forent responsione contenti, præter alia pericula & scandala gravia, quorum non esset numerus neque finis, tam Romanæ quàm Gallicanæ Ecclesiæ devotio & obedientia omnimoda Laïcorum, & totius populi ex tunc irrecuperabiliter tollebatur; non sine mul-

Digitized by Google

tæ prolixitatis angustia sic duximus respondendum, quòd ipsi domino Regi in conservatione personæ suæ suíque terreni honoris, ac libertatis & jurium dicti Regni, prout quidam nostrum, qui Ducatus, Comitatus, Baronias, feoda, & alia membra nobilia dicti Regni tenemus, ex forma juramenti, & ceteri quasi omnes debito sumus fidelitatis astricti, adessemus eidem consiliis debitis & auxiliis opportunis, eidem domino Regi humiliter supplicantes, ut cùm Apostolicæ sanctitati ad obedientiam teneamur, ad beatitudinis vestræ pedes juxta præmissæ vocationis vestræ tenorem permitteret nos conferre. Ex parte cujus & Baronum est sequuta responsio: Quòd nullo casu nos abire permitterent, Regnum sic periculosè, sic deformiter, sic irrecuperabiliter vacuari, quàm potiùs exhauriri totaliter, nullatenus sustinerent.

Considerantes igitur tam vehementem commotionem, & turbationem tam periculosam & gravem, immò gravissimam Regis, Baronum & aliorum Laïcorum Regni prædicti, & jam cognoscentes apertiùs, quòd antiqui hostis pacis æmuli zizaniæque satoris (qui à suæ principio ruinæ conatur ut Ecclesiæ unitatem pacis turbatione rescindat, caritatem vulneret, sanctorum dulcedinem operum invidiæ veneno fellis inficiat, humanúmque genus evertat modis omnibus & perturbet) faciente nequitia, amabilis fœderis, unitatis & amicitiæ singularis, quæ inter sæpedictam Romanam Ecclesiam ac præfatum dictum nostrum Regem ac prædecessores ipsius & Regnum ad laudem Altissimi, ad fidei Christianæ profectum, & tam Ecclesiæ quàm Regis & Regni honoris & exaltationis incrementa felicia, hactenus viguerunt; dissolutioni & separationi flebili & lugubri, proh dolor! porta patet, ac undique insurgunt frementia scandala, excrescunt angustiæ Ecclesiis Ecclesiasticísque personis, expositionis ac rerum & bonorum direptionis pericula intentantur, cùm jam abhorreant Laïci & prorsus effugiant consortia Clericorum, eos à suis omninò consiliis & actionibus abdicando, ac si

Digitized by Google

contra eos proditoriæ factionis conſcii vel participes exſtitiſſent, & ad contemnendum conſuram Eccleſiaſticam & proceſſus, ſi quavis auctoritate fierent contra eos jam ſe parant & muniunt in grave periculum animarum: & alia varia & diverſa pericula, quæ nec lingua referre ſufficeret, nec poſſet ſcriptura diſſerere (ſunt in promptu.) Ad ſanctitatis veſtræ providentiam circumſpectam in hoc ſummæ neceſſitatis articulo providimus recurrendum, flebilibus vocibus, & lacrymoſis ſingultibus paternam clementiam implorantes ac ſupplicantes humiliter, quatinus ſalubre remedium in præmiſſis, per quod firmata fides tam longi decurſu temporis inter ſacram Eccleſiam, Regem & Regnum fructuoſæ unionis, & mutuæ dilectionis integritas, in antiquæ caritatis dulcedine conſervetur, ſtatus Eccleſiæ Gallicanæ in pulcritudine pacis & quietis optatæ remaneat, proſpiciatur nobis noſtríſque ſtatibus circa veſtræ prædictæ vocationis edictum, ac prædictis periculis & ſcandalis obvietur Apoſtolicæ providentiæ ſtudio, ac paternæ pietatis officio dignemini providere. Conſervet Altiſſimus Beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora. Datum Pariſius die Martis prædicta.

Digitized by Google

Isti sunt articuli pro quibus dominus BONIFACIUS *Papa* VIII. *misit dominum* JOHANNEM *Monachum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem, ad dominum* PHILIPPUM *Regem Francorum, anno Domini millesimo trecentesimo secundo.* Caput 46. 1302.

INfra scripti sunt articuli super quibus mittitur dilectus noster JOHANNES tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis.

Super revocatione Constitutionis, &c. *Quæ sequuntur extant apud Raynaldum tom. 14. anno 1303. n. 34. Vide Spondan. ad an. 1303. n. 2. & præsertim ad an. 1311. n. 13.*

Processus contra Exactores & Levatores tributariæ functionis (quæ vulgariter dicitur adjutorium sive aide, *aut quartagium) à Comite Andegavensi constitutos.* Caput 47.

GUILLERMUS permissione Divina Andeg. Episcopus tali Decano, salutem. Cùm tam humanarum quàm Divinarum auctoritate scripturarum, Ecclesiæ & pia loca, personæque & possessiones Ecclesiasticæ ab omnibus munerum sordidorum extraordinariis & superindictis talliis, collectis seu exactionibus, angariis, & perangariis, liberæ sint & immunes, adeò quòd de juris censura illi qui Ecclesias, pia loca, personas, & possessiones Ecclesiasticas supradictas fæce vexaverunt munerum sordidorum, vel ab hiis extraordinarium vel superindictum flagitaverunt, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ in sacrilegos promenda est perpetuo debeant exsilio deportari, & adeò quòd Lateran. Concilium ad-

Digitized by Google

versus Consules & Rectores civitarum, & alios qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis seu collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit; transgressores & fautores eorum commonitos excommunicationi subjacere præcipiens, donec satisfactionem impenderint competentem. Et ad aures nostras devenerit ex plurium personarum Ecclesiasticarum, Religiosarum & secularium nostrarum civitatis & Diœcesis clamoribus & insinuationibus querulosis, quòd nonnulli gerentes se pro Servientibus & allocatis domini Comitis Andegav. seu substitutis vel deputatis ab ipsis, ab Ecclesiis, piis locis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis & sæcularibus nostrarum prædictarum civitatis & Diœcesis, quamdam impositionem seu exactionem, talliam vel collectam, quam *adjutorium* vel *aide* sive *quartagium* appellant, de bonis, rebus, possessionibus & proventibus suis Ecclesiasticis de novo exigere & extorquere conantur, & in quantum est eis possibile, exigunt & extorquent; hac occasione bona Ecclesiarum sesire & invadere præsumentes, nitentésque eos de novo subjicere servituti, quæ huc usque in civitate & Diœcesi Andegav. exstitit inaudita. Unde lamentum Jeremiæ modò videtur esse completum: *Princeps Provinciarum facta est sub tributo.* Thren. 1. 1. Non attendentes quantùm sit eis in Clericos Ecclesiasticásque personas & bona ipsorum interdicta potestas, contra Canonicarum & Civilium sanctionum prohibitionem expressam temerè veniendo, in suarum pericula animarum, & in præjudicium & enervationem Ecclesiasticæ libertatis.

Nósque tam horrendum abusum non possumus sub dissimulatione transire, cùm nostro incumbat officio immunitates & libertates Ecclesiasticas in nostris civitate & Diœcesi defendere & tueri. Vobis & vestrûm cuilibet in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus alter alterum non exspectans inhibeatis ex parte nostra Canonicè Ballivo Andegav. nec non

Digitized by Google

non Subballivis Andegav. de Salmurio, de Baugeio, ac Johanni de Coceio, & omnibus aliis Servientibus & allocatis domini Comitis Andegav. ceteríſque Exactoribus, Levatoribus & Receptoribus impoſitionis, ſeu exactionis prædictæ deputatis & deputandis in quibuſcumque locis & parochiis veſtri Decanatus prædicti, ſub pœna excommunicationis, ne ipſi aut alter ipſorum prædictam impoſitionem ſeu exactionem ab aliqua perſona Eccleſiaſtica, ſæculari, vel Religioſa veſtri Decanatus, de rebus, bonis, poſſeſſionibus, & proventibus ſuis Eccleſiaſticis exigere, recipere, ſeu levare præſumant. Monentes ipſos & eorum quemlibet nihilominùs ex parte noſtra Canonicè ſpecialiter & nominatim, quòd ipſi & quilibet eorumdem ſuper exactis, extortis, levatis & receptis per ipſos & eorum quemlibet à perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis, occaſione impoſitionis ſeu exactionis prædictæ, ſibi plenam ſatisfactionem impendant indilatè & cum effectu; alioquin ipſos quos culpabiles inveneritis in hac parte per rei evidentiam, confeſſionem ipſorum, vel aliàs legitimè quoquomodo, quos Canonicis inhibitione & monitione præmiſſis in ſcriptis ex nunc ut ex tunc excommunicamus, excommunicatos tam auctoritate juris quàm noſtra nuntietis; & in locis de quibus expedire videbitis faciatis publicè nuntiari.

De nominibus autem inhibitorum & monitorum, eorúmque qui excommunicationem incurrerint nos certificetis, & reſcribatis quòd fuerit reſcribendum. Vobis verò & veſtrum cuilibet in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis quoad præmiſſa & ea tangentia, committimus vices noſtras, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Datum apud Eventart die Veneris poſt Feſtum æſtivale Beati Martini, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptimo. 1307.

Digitized by Google

Caput 48.

De garda ſive cuſtodia Monaſterii Beatæ MARIÆ *Andegav. tempore vacationis ejuſdem.*

OMnibus hæc viſuris, Magiſtri HERVEUS de Henon, Matthæus Picot, GUILLERMUS Odardi, PETRUS de Valleiis, Canonici Andeg. GUILLERMUS Mauhuyon Archipreſbyter de Ludio, & JOHANNES Pictaven. Decanus de Camiliaco, ſalutem. Noveritis quòd anno milleſimo trecenteſimo quarto, die Sabbati poſt Feſtum Beati Dionyſii, in præſentia Reverendi Patris domini Guillermi Divinâ providentiâ Andegav. Epiſcopi, & noſtra conſtitutus Andegav. in camera dicti Reverendi Patris, Gaufridus Sacriſta Beatæ MARIÆ confeſſus eſt & recognovit, quòd jamdiu eſt vacante Monaſterio Beatæ MARIÆ Andegav. Abbatiſſa per mortem defunctæ Aanordis Abbatiſſæ Monaſterii memorati, idem Reverendus Pater & nullus alius dicto Gaufrido tradiderat & commiſerat cuſtodiam & adminiſtrationem omnium bonorum & rerum, & maximè temporalium, ad dictum Monaſterium ſpectantium: quódque idem Gaufridus dictam cuſtodiam & adminiſtrationem receperat à Reverendo Patre prædicto & nullo alio: ipſáſque cuſtodiam & adminiſtrationem dicto Gaufrido tradidit, & commiſit adhuc ex abundanti idem Reverendus Pater, nobis ad hoc præſentibus dicta die, præſtito ab eodem Gaufrido ſolemniter juramento, quòd circa cuſtodiam & adminiſtrationem prædictam fideliter ſe habebit, & quòd de receptis & recipiendis miſſiſque factis & faciendis per ipſum de bonis & rebus, maximè temporalibus dicti Monaſterii, ac fructibus & exitibus eorumdem, eidem Reverendo Patri, vel deputando ab ipſo, & nulli alii reddat fidelem, plenam, & integram rationem quotiens ſuper hoc interpellatus fuerit ex parte Reverendi Patris prædicti. Actum nobis & Magiſtris Matthæo Chevrous ſancti Johannis & Radulfo

1304.

Digitized by Google

de Fixa sancti Petri Andegav. Canonicis, Herberto Rotarii de villa Episcopi, & Guillermo de Brenio Vadi Daniele, Rectoribus Ecclesiarum, & Thoma Gonissays nostro, & Johanne de sancto Sulpicio Clericis præsentibus die & anno prædictis.

De eodem.

IN nomine Domini. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo trecentesimo quarto, Indictione tertia, die x. mensis Octobris, in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, constitutus Gaufridus Sacrista Beatæ MARIÆ Andegav. confessus fuit se recepisse & habuisse administrationem Monasterii B. MARIÆ Andegav. & adhuc recipit à Reverendo in Christo Patre ac domino G. Dei gratia Andegav. Episcopo, qui dicta die promisit reddere rationem dictorum bonorum quotienscumque ab eodem super hoc fuerit requisitus, & ad hoc etiam se adstrixit proprio juramento. Hæc autem acta fuerunt Andegav. in Camera dicti Reverendi Patris Episcopi sub anno Domini, indictione, mense, die prædictis, præsentibus testibus domino Guillermo de Mauhuyon Legum Professore, Magistro Herveo de Castro-novo, domino Petro de Vallibus, domino Matthæo Chevroul Sigillatore Curiæ Andegav. Magistro Radulfo de Fixa, Gaufrido de Petraria Clericis ad hoc vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannes de sancto Sulpicio Clericus Redonensis Diœcesis Imperiali auctoritate publicus Notarius, omnibus his & singulis præsens interfui unà cum dictis testibus, & ea propria manu fideliter scripsi & in publicam formam redegi, signóque meo solito signavi rogatus.

PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Superintendentibus negotio decimalis subsidii proventuum Ecclesiasticorum à sede Apostolica nobis concessi in civitate & Diœcesi Andegav. Collectoribus dicti subsidii, Caput 49.

Digitized by Google

ſalutem. Quamquam à perſonis Eccleſiaſticis civitatis & Diœceſis prædictarum, quarum quælibet habet beneficium Eccleſiaſticum valoris ſeptem libr. juxta tenorem conceſſionis Apoſtolicæ ſuper hoc nobis factæ pro nobis exigi valeat ſubſidium decimale, volumus tamen & vobis mandamus, quatinus ab exigendo & levando ſubſidium decimale à perſonis prædictis, quarum quælibet nunc habet in proventibus Eccleſiaſticis ultra duodecim libr. Pariſienſ. ſuperſedeatis quamdiu noſtræ placuerit voluntati. Actum Pariſius die IX. Januarii, anno
1307. Domini milleſimo trecenteſimo ſeptimo.

Caput 50.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis. Miſeratione Divina ROBERTUS Remen. EGIDIUS Bituricen. & RACINARDUS Turon. Archiepiſcopi ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis nos litteras ſanctiſſimi Patris & domini noſtri domini C. Divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis ſanas & integras, vera bulla plumbea & filo cannabis bullatas, ut prima facie apparebat, vidiſſe, formam quæ ſequitur de verbo ad verbum continentes: CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Regnum Franciæ conſtitutis, & dilectis filiis GUILLERMO & aliis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in eodem Regno auctoritate Apoſtolica generaliter deputatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Subit aſſiduè noſtræ mentis arcanum ſollicitudine plena, & anxietate non vacua conſideratio illa terribilis, qua nos ad illius domus cuſtodiam deputatos advertimus, cujus magnitudinem cum ſtupore Propheta miratur: *O*, inquiens, *Iſraël, quàm magna eſt domus Dei!* Cúmque in ejuſdem conſiderationis examine reſidentes opus nobis æſtimamus injunctum, & noſtrarum metimur virium quantitatem, attendimus cum ſtupore, quòd ſupra vires noſtras nobis eſt onus impoſitum, quod procul dubio ſufficienter portare nequimus; ſed ſupereſt nobis ſpes in ſolo auxilio Divino repoſita, ad quod humiliter recurrentes devotiùs im-

Nonnulla hujus epiſtolæ extant apud Raynaldum, hujuſque meminit Puteanus in hiſt. Templar. pag. 100.

Digitized by Google

ploramus, ut ille qui nobis domum ipsam custodiendam credidit, & pascendum commisit nostræ vigilantiæ gregem suum, domum ipsam ab ascendentibus ex adverso sollicitè custodire concedat, ipsúmque gregem sic salutaribus pascere pascuis, sic rectis gressibus per viam justificationum Domini, & suorum dirigere semitas mandatorum, quòd ipsum in dilecta Domini tabernacula potiturum sempiternis gaudiis introducere ad sui nominis laudem & gloriam valeamus.

Dudum siquidem Templariorum subitam captionem, quam ad nostri Apostolatus & Fratrum nostrorum pertulit vulgatus rumor auditum, quia rationes & causæ, quæ carissimum in Christo Filium nostrum PHILIPPUM Regem Franciæ illustrem induxerant ad hujusmodi captionem, tibíque Guillermo suggesserant Regem super hoc requirere memoratum, nostram & dictorum Fratrum latebant notitiam; non immeritò Nos & Fratres ipsi dolentes suscepimus, cùm per te Guillermum prædictum nobis, quibus quodammodo vicinus eras in januis, nihil intimatum fuisset, ac præcipiti festinatione processus per vos contra ipsos habiti, & ut timebatur, habendi, super quo inaudita publica referebat assertio, grandis suspicionis materia in nostra & Fratrum ipsorum mentibus extitit suscitata. Propter quod omnem quam habebatis in hoc negotio potestatem, de prædictorum Fratrum consilio suspendentes, ad nos negotium ipsum totaliter duximus revocandum.

Et licet postmodum Rex prædictus, ac vos Fratres Archiepiscopi & Episcopi túque Guillerme prædicte, ad captionem hujusmodi excusandam plures eorum nobis & Fratribus supradictis prætenderetis rationes; illam tamen specialiter proponere curavistis, quòd si, quod absit, per captionem hujusmodi dictorum Templariorum non fuisset præventa nequitia, causæ fidei orthodoxæ, ad cujus conculcationem perversis & dolosis conatibus nitebantur, adeò detraxissent, quòd fidei ejusdem negotio per suorum & aliorum fautorum suo-

Digitized by Google

rum, qui multi numero fore noſcuntur, per exſecranda facinora detrimentum irreparabile proveniſſet. Demum verò proceſſibus per vos Archiepiſcopos & Epiſcopos, & Guillermum prædictos, ante tempus ſuſpenſionis & revocationis prædictarum, vel ſaltim priuſquàm ad veſtram notitiam hujuſmodi ſuſpenſio & evocatio perveniſſet habitis contra Templarios memoratos, exhibitis in noſtra & Fratrum præſentia prædictorum, & diligenter inſcriptis, multa per eoſdem proceſſus contra ipſos apparent fuiſſe reperta; de quibus modicam habebamus veriſimilem conjecturam, nec ad illa credenda noſtræ mentis opinio poterat inclinari.

Poſtmodùm autem nonnullis ex Templariis memoratis, qui ab olim non ſatis auctoritatis in eodem ordine habebantur, nobis per dictum Regem liberaliter redditis, ad noſtram deductis præſentiam, ab eis de veritate dicenda tam de ſe, quàm de aliis ipſius ordinis Fratribus, ſuper omnibus impoſitis ipſis & Ordini eidem criminibus corporale recepimus juramentum, & deinde per nos diligenter examinatis eiſdem, nonnulli eorum ſe & multos alios dicti Ordinis Fratres, circa ingreſſum præfati Ordinis pollutis labiis abnegaſſe Chriſtum Redemptorem noſtrum, & alia exſecranda & nefandiſſima ſcelera commiſiſſe ſponte & liberè ſunt confeſſi: & ſubſequenter ad majorem cautelam depoſitiones & confeſſiones eorum coram Venerabili Fratre PETRO Epiſcopo Prænestino, & dilectis Filiis noſtris BERENGARIO ſanctorum Nerei & Achillei, THOMA ſanctæ Sabinæ, STEPHANO ſancti Cyriaci in Terminis Tul. Preſbyteris, & LANDULPHO ſancti Angeli, ac PETRO de Columna Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconis Cardinalibus, repeti mandavimus per eoſdem, & ipſis per Tabelliones publicos redactis in ſcriptis, & in eorum præſentia coram nobis & Fratribus eiſdem prælectis, ipſas iidem Templarii approbarunt in illis firmiter perſiſtentes. Et iterum interpoſitis diebus aliquibus, dicti Templarii coram nobis & dictis Fratribus conſtituti in confeſſionibus ipſis eis lectis, & in materna lingua expoſitis diligenter

Digitized by Google

firmiter perstiterunt, & sanctæ Matris Ecclesiæ satisfactione ad nostrum arbitrium oblata per eos, se reconciliari humiliter supplicarunt.

O quàm abominabilis amaritudinis haustum in auditu tam horribilis sceleris eadem gustavit Ecclesia! O quàm sævissimæ tortionis sentiunt in sui sacrario pectoris punctiones! Heu! quàm acerbi doloris aculei nos & eosdem Fratres pugugerunt in intimis! Heu! quàm tenebrosam obscuritatem nostris & ipsorum aspectibus dicti Templarii præsentarunt; quamvis per supplicationem reconciliationis ejusdem, per quam animarum suarum salutem recognoscere videbantur, ad quam nos ferventer intendimus, alicujus mitigationis senserimus lenitatem.

Curáque postmodum per Regem eumdem ac vos Archiepiscopos & Episcopos, & Guillermum prædictos ut in eodem negotio procedi posset liberiùs, ipsúmque negotium ad debitum finem perduci, relaxari hujusmodi suspensionem fuisset nobis cum instantia supplicatum; Nos ipsius Regis ac vestris supplicationibus pro ejusdem securitate negotii, & libertate inquisitionis ipsius de Fratrum ipsorum consilio annuentes, & considerantes attentiùs quòd difficile, quin potiùs impossibile quasi fore dignoscitur, quòd per nostrum & Fratrum eorumdem ministerium curiosum quoad plenam ejusdem negotii habendam indaginem, propter Templariorum multitudinem eorumdem ac diversitatem locorum, per quæ in prædicto Franciæ & aliis Christianitatis Regnis & terris dispersi fore noscuntur, tractari valeat; vel ad debitum finem perduci, aliis personis idoneis hujusmodi provideramus negotium committendum, aut vobis ex nostra permissione relinquere, ut in eodem negotio ea quæ jura permittunt exequi & efficere studeretis. Verùm diligentiùs attendentes, quòd vos, qui estis in partem sollicitudinis advocati, in dicto negotio, tamquam viri sermone potentes & opere, virtuosi, prudentiæ vestræ acuetis ingenium, ac timoris & amoris Domini, cujus agitur in hac parte negotium, igne succensi zelum quem

Digitized by Google

ad fidem eamdem vos habere confidimus, pro Divini nominis gloria, & exaltatione fidei memoratæ, in dicti exercebitis executione negotii per effectum laudabilium actionum; prædictam ſuſpenſionem hac adjecta moderatione duximus relaxandam, videlicet quòd ſinguli veſtrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum de ſingularibus dictorum Templariorum perſonis in veſtris ſingulis civitatibus & Diœceſibus, ac vos Inquiſitores & veſtrum quilibet, ſi cum eiſdem Archiepiſcopis & Epiſcopis intereſſe volueritis, ſub forma quam vobis per alias noſtras litteras duximus concedendam, aſſociatis vobis certis perſonis idoneis per Nos vobis in hujuſmodi negotio deſignandis, quas ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam (ſuper quo plenam vobis poteſtatem concedimus) compelletis, efficere curabitis quod requirunt Canonicæ Sanctiones. Prolatione tamen ſententiæ contra Templarios proferendæ prædictos, Conciliis Metropolitanorum noſtrorum in ſingulis Provinciis reſervata.

Præcaveatis tamen quòd de generali ſtatu totius Ordinis memorati vos intromittere nullatenus attentetis; cùm ſuper hoc per idoneas perſonas jam inquiri ordinaverimus veritatem. Nobis inſuper & Apoſtolicæ Sedi ac noſtro & ipſius Sedis examini cauſam quoad inquiſitionem, ordinationem, & quemcumque proceſſum contra majorem Magiſtrum Templariorum ipſorum, necnon & Franciæ terræ ultramarinæ, Normanniæ, Pictaviæ ac Provinciæ majores Præceptores, faciendam & habendam totaliter, ut de ipſis, ſine quibus inſtrui commodè ſæpè dicti Ordinis cauſa non poſſet, ſimul vel diviſim, nec non & de Ordine ipſo, juſtum faciamus judicium, vel aliàs ſecundùm proviſionem Apoſtolicam ordinemus, retinemus & etiam reſervamus. Volentes & auctoritate Apoſtolica ordinantes, quòd prædictus Prœneſtinus Epiſcopus, cui Templariorum in Regno detentorum eodem, generaliter nobis per Regem redditorum eumdem, curam & cuſtodiam commiſſimus, ipſos realiter recipiat; & de tota eorum cuſtodia noſtro & Prælatorum nomine,

Digitized by Google

ne, necnon de exhibitione & præsentatione ipsorum nobis vel dicto Prænestino Episcopo, aut deputandis à nobis vel ab ipso Prænestino Episcopo loco nostri, & vobis faciat & ordinet prout fuerit faciendum.

Quare Fraternitatem vestram & discretionem monemus & hortamur attentiùs, vobis nihilominùs per Apostolica scripta mandantes, quatinus mentis oculis erectis ad Deum sic in præmissis pro Divina & Apostolicæ Sedis & nostra reverentia, & exaltatione fidei memoratæ, vos promptos & paratos offerre curetis, sic attentos & sollicitos exhibere, quòd clementiam Regis æterni, cui ex fideli prosecutione dicti negotij gratum & acceptum impendatis obsequium, vobis sentiatis magis propitiam & benignam, & dictæ Sedis & nostram benedictionem & gratiam valeatis uberiùs promereri. Datum Pict. die 5. Julij Pontificatus nostri anno tertio.

In cujus rei testimonium sigilla nostra duximus apponenda. Datum die Martis ante Cineres, anno Domini millesimo trecentesimo-octavo.

Universis præsentes litteras inspecturis, RAGINARDUS Dei gratiâ Archiepiscopus Turon. GUILLERMUS Andegav. DANIEL Nannetensis, ROBERTUS Macloviensis, & Alanus Coriopiten. ejusdem permissione Episcopi, salutem in auctore salutis. Noveritis nos vidisse, & cum debita reverentia recepisse litteras Sanctissimi Patris ac domini domini CLEMENTIS Divinâ providentiâ sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui vitiatas, cum vera bulla & filo cannabis tenorem qui sequitur continentes. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Turon. & ejus Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem. Faciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus JESUS-CHRISTUS ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi, ut gerentes licet immeriti vices ejus in terris, in cunctis nostris actibus, & processibus ipsius vestigia, quan-

Digitized by Google

tum patitur humana fragilitas imitemur. Sanè dudum, &c. *

* *Edita est apud Puteanum in histor. Templariorum pag. 115. apud Rubeum lib. 6. hist. Ravennat. p. 512. & Raynaldum in to. 15. Annal. ad an. 1308. n. 4.*

Universis præsentes litteras inspecturis, miseratione Divinâ ROBERTUS Remen. EGIDIUS Bituricen. & RAGINARDUS Turon. Archiepiscopi, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos litteras Sanctissimi Patris & domini nostri domini Divinâ providentiâ sacro-sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, sanas & integras, vera bulla plumbea & filo cannabis bullatas, ut prima facie apparebat vidisse, quæ sequuntur de verbo ad verbum continentes.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis in Regno Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm per nos ordinatum fuerit ut inquisitionibus, quas vos facietis contra singulares personas militiæ Templi procederetis, associatis vobiscum aliquibus per nos vobis destinandis, tenore præsentium eosdem designamus, videlicet quòd in ipsis inquisitionibus associetis vobiscum quilibet duos Canonicos suæ Ecclesiæ Cathedralis, duos Prædicatorum, & duos Minorum Ordinum Fratres, quos utiliores credideritis expeditioni debitæ negotij antedicti; super quo conscientias vestras volumus onerare. Necnon quòd in ipsis inquisitionibus ipsarúmque processibus & contingentibus, etiam extra vestras civitates & Diœceses, ubi personæ ipsorum Templariorum custoditæ fuerint, procedere valeatis, si & prout expeditioni dicti negotij videritis expedire. Si verò aliqui articuli sint qui hæresim non sapiant, volumus quòd etiam in illis auctoritate nostra vos & dicti associati procedatis & inquiratis, & secundùm Sanctiones Canonicas puniatis. Datum Pictavis 13. die Julij, Pontificatus nostri anno tertio.

Vide in Puteani histor. Templariorum pag. 103. in fine.

Tenor verò aliarum litterarum sequitur in hæc verba.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio GUILLERMO Ordinis Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ generaliter auctoritate Apostolica deputato, salutem & Apostolicam be-

Digitized by Google

nedictionem. Licet indignationem nostram ex eo non immeritò incurrere debuisses, quòd nobis existens tam è vicino propinquus, contra Fratres Militiæ Templi nobis irrequisitis præsumptuosè processisti; volentes tamen uti clementia potiùs quàm severitate erga te in hac parte, instantiâ charissimi in Christo Filii nostri PHILIPPI Regis Francorum illustris inducti, pluries repetitâ tibi, quòd contra singulares personas Templariorum ipsorum simul cum Prælatis Regni prædicti & aliis per nos associandis eisdem, & non aliter procedere valeas, de benignitate Apostolica duximus concedendum. Hoc idem aliis dicti Regni Inquisitoribus tenore præsentium concedentes. Datum Pictavis 5. die Julij, Pontificatus nostri anno tertio.

In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum die Martis ante Cineres, anno Domini millesimo trecentesimo-octavo.

Res digna notâ.

Caput 49.

HIc inserenda est res memoriæ digna, & Episcopis Andegav. futuris temporibus profutura: videlicet quòd cùm Reverendus Pater dominus NICOLAUS tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, Nuntius Sedis Apostolicæ ad Regnum Franciæ pro subsidio terræ sanctæ, à sanctissimo Patre ac domino CLEMENTE Papa V. specialiter destinatus, à nobis GUILLERMO Majore Episcopo Andegav. peteret, seu peti faceret procurationem in pecunia per Collectores suos ad recipiendum, petendum & exigendum procurationes suas in civitate & Diœcesi Andegav. deputatos.

Et nos attendentes quòd nec nos nec prædecessores nostri umquam solvimus in pecunia procurationes Legatorum, seu Sedis Apostolicæ Nuntiorum, considerantésque quòd in privilegio dicti domini Cardinalis super dictis procurationibus exigendis continebatur, quòd posset exigere procurationes dumtaxat moderatas, solitas ac etiam consuetas. Et quòd si hac vice dictam

Digitized by Google

procurationem ſolveremus, per hoc poſſet nobis & ſucceſſoribus noſtris in futurum magnum præjudicium generari, & Eccleſia Andegavenſis novæ ſervituti idcirco ſubjici: ad dictum dominum Cardinalem litteras & Nuntium miſimus ad præmiſſa ſignificandum eidem, & ſupplicandum, quòd Collectoribus ſuis prædictis mandare dignaretur, ut ſuperſederetur à petitione & exactione procurationis prædictæ: & quòd non vellet Eccleſiæ prædictæ novam imponere ſervitutem.

Et licet idem dominus Cardinalis dictæ ſupplicationi aliquantulum reſtitiſſet, Privilegium à Sede Apoſtolica ſibi conceſſum ſuper procurationibus exigendis fortiter allegando, tandem viro venerabili & diſcreto Magiſtro Roberto de Vernone Subdecano Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſ. principali Collectori ſeu procuratori ſuo ad dictas procurationes exigendas deputato in tota Provincia Turonen. ſuper dicto negotio, quaſdam litteras clauſas miſit, quibus dicto Magiſtro Roberto ex parte noſtra præſentatis, & ab eodem diligenter inſpectis, à petitione & exactione procurationis prædictæ deſtitit & nobis conceſſit litteras, formam quæ ſequitur continentes:

Robertus de Vernone Subdecanus Eccleſiæ ſancti Martini Turon. à Reverendo in Chriſto Patre ac domino domino N. tit. ſancti Euſebii Preſbytero Cardinali, Nuntio Sedis Apoſtolicæ ad Regnum Franciæ pro negotio terræ ſanctæ ad recipiendum, petendum, & exigendum procurationes eidem Reverendo Patri domino Cardinali à domino Papa conceſſas, debitas in pecunia, & hactenus ſolvi conſuetas in Provincia Turon. ſpecialiter deputatus, diſcreto viro Magiſtro Sclare de Horto, Canonico Andegav. Commiſſario noſtro, quòd ad dictas procurationes recipiendas loco noſtri in civitate & Diœceſi Andegav. à nobis ſpecialiter deputato ſalutem in Domino. Vobis mandamus quatinus à Reverendo Patre in Chriſto domino G. Dei gratiâ Epiſcopo Andegav. quem de conſcientia domini Cardinalis prædicti declaramus ad ſolutionem procurationis prædictæ in pe-

Digitized by Google

cunia non teneri ratione procurationis hujusmodi, hac vice nihil penitus exigatis. Et hoc vobis significamus tenore præsentium litterarum. Datum Andegav. die Martis post *Oculi mei*, teste sigillo nostro, anno Domini millesimo trecentesimo decimo-tertio.

De eodem.

IN nomine Domini, Amen. Anno ejusdem millesimo trecentesimo decimo-tertio, die Lunæ post *Oculi mei*, II. mensis Martii, Indictione duodecima, Pontificatus Sanctissimi Patris, ac domini domini CLEMENTIS Divinâ providentiâ Papæ V. anno nono, per præsens instrumentum publicum cunctis pateat evidenter, quòd in mei publici Notarii & testium subscriptorum præsentia venerabiles viri & discreti Magistri Petrus Chopin Officialis Andegav. Egidius Coopertoris legum Professores, ac Matthæus Chevreus sigillator Curiæ Andeg. Nuntii destinati, ut dicebant, ex parte Reverendi in Christo Patris ac D. domini GUILLERMI Dei gratiâ Episcopi Andeg. quasdam litteras ex parte Reverendi in Christo Patris ac domini domini N. Tit. sancti Eusebii eadem gratia Presbyteri Cardin. Nuntii ut dicitur in Regno Franciæ à Sede Apostolica destinati pro negotio terræ Sanctæ, Venerabili viro & discreto Magistro Roberto de Veronne Subdecano Ecclesiæ sancti Martini Turonens. Collectori, à dicto domino Cardinali deputato ad petendum, recipiendum & exigendum procurationes eidem domino Cardinali in Provincia Turonen. debitas, & solvi consuetas, ut dicitur, à Sede Apostolica concessas, directas eidem Magistro Roberto præsentarunt, eidem supplicantes quòd eisdem litteris ab ipso Magistro visis & inspectis eisdem professoribus ac sigillatori, responderet quid videretur eidem expedire. Qui quidem Magister Robertus acceptis dictis litteris intrans Cameram qua jacebat, visis eisdem litteris & inspectis vocavit & fecit vocari eosdem professores ac sigillatorem, tenens easdem in manu sua, & asserens quòd viderat & legerat 1313.

Digitized by Google

tenorem earumdem : Reſpondit quòd bene videbat conſcientiam hujuſmodi Cardinalis, & quòd numquam levaverat nec exegerat procurationes à dicto domino Andegav. Epiſcopo, nec reciperet nec recipi faceret aut levari. Et quòd ſibi conſtabat, quòd dominus Andegav. Epiſcopus non conſueverat ſolvere procurationes prædictas ; & expreſsè inhibuit domino Sclate de Horto Canonico Andegav. ibidem præſenti, à dicto Magiſtro Roberto quoad colligendum & recipiendum dictas procurationes in civitate & Diœceſi Andegav. ut dicitur deputato, ne idem Sclate à dicto domino Epiſcopo Andegav. ratione procurationis hujuſmodi aliquid exigeret vel levaret.

Acta fuerunt hæc in Abbatia ſancti Albini Andegav. ſub anno, die & menſe, Indictione & Pontificatus prædicti ; videlicet dicta præſentatio litterarum prædictarum & ſupplicatio in baleto, ſito ante quamdam Cameram, vocatam, ut dicitur, Cameram novam : Et dicta Reſponſio in Camera, prædictis præſentibus ad hoc dictis Magiſtro Roberto Profeſſore ac ſigillatore, domino Sclate, Guillermo Hugueti, R. de Villa. . . . . Radulfo de Seſina, Drocone Damne, Radberto de Vaallero Cenoman. Diœceſis Clericis, & Matthæo Alben Rectore Eccleſiæ de Charenceio Preſbytero.

Et ego GUILLERMUS dictus de Gravella Clericus Redon. Diœceſis publicus auctoritate Imperiali Andegav. Curiæ Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis unà cum dictis Teſtibus præſens interfui, & præmiſſa manu propria ſcripſi, & in publicam formam redegi, ſignóque meo ſignavi rogatus.

Digitized by Google

HISTORIA
PRÆLATORVM,
ET POSSESSIONUM ECCLESIÆ
B. MARIÆ de Fontanis *, à PEREGRINO ejuſdem Eccleſiæ Abbate.

*Fontaines.

PRÆFATIO AVCTORIS.

CUNCTIS Fidelibus quos ad inhabitandum iſtud Cœnobium à Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari Divina inſpiratio convocabit, cunctíſque quos hîc in unum congregabit Chriſtus ad glorificandum ſeipſum, frater PEREGRINUS ſeptimus ſed ſemper indignus Abbas de Fontanis, præveniri à Domino in benedictionibus dulcedinis creſcere & multiplicare vos faciat Deus ſicut arenam maris.

CAPUT I.

1. DE creatione hujus Abbatiæ, Fratres chariſſimi, hiſtoriam tenere decreveram, ſed timeo ne fortè præſumptioni & vanæ gloriæ reputetur non mercedi; ſiquidem prædeceſſores noſtri per inſcitiam, aut negligentiam, ſeu etiam per occupationem rei familiaris diutiùs omiſerant, nimis promptulus attentabo. Igitur locus iſte ab antiquo Fontanas nomen accepit propter fontes qui in hac valle copioſi videbantur. Erat autem locus iſte nemoroſus ex omni parte, & valde periculoſus propter latronum frequentiam.

Etymon loci Abbatiæ de Fontanis.

Digitized by Google

CAPUT II.

Rom. 4. 17. & 5. 20.

1. CUm autem placuit illi, *qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*, ut *ubi abundavit malitia superabundaret & gratia*, & ut glorificaret nomen suum ibi, misit servum suum GAUFRIDUM primum Eremitam ad inhabitandum locum istum; dedit ei etiam socium GAUFRIDUM Bullonum, qui ambo nati erant de Monte Leonis; adjuncti sunt eis WILLELMUS quidam vir religiosus, & LAMBERTUS quidam Miles Flandrensis, qui dicebatur Magnus respectu cujusdam socii eorum qui dicebatur minor LAMBERTUS. Fuerunt & alii plurimi ex quibus fuit GIRALDUS de Locumnia, & HERVEUS de Garlardone, & DAVID Laïcus, qui fuit satis utilis in agricultura. Fuit & inter eos ASCELINUS Presbyter vir admodum religiosus.

Primi qui hanc Abbatiam inhabitarunt.

2. Septem verò ex istis sociis Domni Gaufridi primi Eremitæ, Monachi facti à prima institutione Abbatiæ, vixerunt usque ad tempora Domni ROBERTI de Fossello, qui in diebus eorum puerulus susceptus in Cœnobio isto & nutritus ab eis per quatuordecim aut quindecim annos sub manu THEOBALDI tertii Abbatis, usque ad tempus Domni WILLELMI, qui Infirmitorium nostrum per triginta & eò ampliùs annos procuravit.

CAPUT III.

Auctor à quibus didicerit quæ scripsit.

1. IGitur ex ore eorum ROBERTI scilicet de Fossello & WILLELMI Infirmarii nostri didici quæ successionis nostræ memoriæ fideliter commendare suscepi. Illud pro certo tenete, quòd habitatores hujus loci fuerunt prædicti Eremitæ primi, & plures ex eorum Fratribus quos enumerare longum duximus. Hoc iterum noverit vestra Fraternitas, quòd in hoc loco primam mansionem non habuerunt, sed elegerunt sibi locum habitationis juxta Pontem Rune in terra pretiosa, quæ supereminet huic Abbatiæ. Exiit autem sermo inter fratres quòd locus ille non satis esset aptus ad permanendum, & de communi consilio transtulerunt se

cum

Digitized by Google

cum suis omnibus ad locum istum quo nunc orantes degimus. Inter cætera verò ædificia quæ hîc construxerunt, ædificaverunt Capellam ligneam multæ pulchritudinis in honore sanctæ MARIÆ Magdalenæ, ad cujus solemnitatem singulis annis ex vicinis locis confluebat non modica multitudo & fiebat lætitia magna in populo.

CAPUT IV.

1. ACcidit in illo tempore quoddam dignum solemni recordatione: Nam WILLELMUS ille Clericus, cujus superiùs mentionem fecimus, inspiratione Divina tactus amore cordis intrinsecus petivit licentiam à Domno GAUFRIDO & à Turonensi Archiepiscopo eundi Hierosolymam, & sicut petiit habuit, & abiit. Quando venit ergo sacri celebratio Sabbati Paschæ, accessit cum cæteris fidelibus ad Sepulcrum Domini volens interesse consueto miraculo, quo datus ignis Divinitùs illâ die præsentes solebat omni anno lætificare, & cunctis videntibus qui aderant & præ gaudio mirantibus cereus ejus Divina virtute ardens & lucens apparuit. Inquisitus autem à Majoribus quis esset, & unde advenisset, confessus est & non negavit se esse de Gallia, & huc advenisse à Turonia, & quòd esset de Fontanis Eremita. Quia verò nuper obierat Patriarcha, & adhuc vacabat sedes illa, tanto miraculo commoti Clerus & populus unanimi concordia eum in Patriarcham protinus elegerunt. Quo audito Fratres de Fontanis gavisi sunt gaudio magno valde, & laudaverunt Deum qui facit mirabilia magna solus.

Vvillelmus Jerosolymam petit.

Solitũ miraculum de cereo Divinitùs accenso.

Vvillelmus fit Patriarcha.

CAPUT V.

1. POst hæc prædictus LAMBERTUS Magnus ad Magistrum GAUFRIDUM benedictionem petens accessit, quâ receptâ recessit, & causâ visendi sancta loca adiit Hierosolymam cum desiderio videndi Dominum WILLELMUM Patriarcham: quo cùm perveniisset, & eum sanum & incolumem reperisset, salutantes se

Lambertus Magnus iter Jerosolym. aggreditur, visendi causâ Patriarcham.

Digitized by Google

mutuo, & in oscula ruentes flentésque præ gaudio pariter consederunt. Tum venerabilis Patriarcha pro labore itineris & periculis maris priùs fratri Lamberro compatiens, festinans inquisivit dicens: Adhúcne vivit Pater noster senior ille qui præerat domui nostræ? Et sigillatim de cunctis Fratribus interrogans, reverenter ei respondit frater Lambertus. Et post hæc hilariter ministris suis jussit omnem humanitatem illi exhibere non solùm illa nocte, sed quàm diutiùs frater LAMBERTUS mansit in Jerosolymitana civitate.

2. Adveniente verò tempore quo naucleros & nautas ad mare solet aura secundior revocare, & repatriantes peregrini cum multa festinatione solent panem & aquam & cætera ad usus proprios necessaria ad portum coadunare, didicit religiosus Patriarcha, quòd frater LAMBERTUS in illa patria disponeret diutiùs permanere: quem cùm advocasset & seorsum & privatim tenuisset, cœpit cum eo multa gravitate & pietatis affectione de loco isto » sermocinari. Misereor inquiens super locum nostrum » quia nostri Fratres ibi manentes, & pro nobis orantes » sine intermissione, suspensi quotidie se sperant à nobis » literis aut nuncio seu quocumque beneficio jamjámque » visitari: Unde te, Frater carissime, oportet incunctanter remeare, quia ad ipsos habeo secreta quæ perferas; & aperto thesauro suo protulit philacterium parvum argenteum in modum crucis, dicens: Frater mi, ecce lignum crucis in quo salus mundi pependit, & procidentes adoraverunt illud. Rursúmque protulit tabulas ligneas plenas Reliquiarum, in quibus erat lapis insertus & mirificè sculptus, monstrans qualiter mulieres venerunt ad monumentum cum aromatibus, & qualiter digito monstrat eis Angelus ac si diceret: *Ecce locus jam non est hìc, sed surrexit Dominus*: Monstratur & ibi non parva portio Dominici Sepulcri, cui supereminet signum Dominicæ Crucis ligneum, satis honestè locatum: in quarum circuitu maxima continetur multitudo Reliquiarum, quas præ multitudine non sum ausus numerare. Tradidit & altare suum proprium in quo celebrare con-

Reliquias Patriarcha confert Lãberto ut eas ad Fontanenses deferat.

Digitized by Google

ſueverat quod uſque hodie apud nos eſt candore & decore nimio cernentibus ſatis acceptum.

Ornamenta quoque Sacerdotalia.

3. Protulit & caſulam pretioſam & purpuream cum cæteris ornamentis ſacerdotalibus, dicens: Hæc ſunt, Frater cariſſime, quibus Deo diſponente & te deferente ſanctum locum de Fontanis decrevimus adornare, quò cùm perveneris, & Fratribus noſtris obtuleris, Deo teſte, & me tibi aſſerente jurejurãdo fideliter affirmare poteris, quòd ſic ubi in partibus iſtis aliqua portio Dominici ligni remanſit, prout veriùs & meliùs certiúſque cognoſcere potui, privatim & publicè inveſtigare non omiſi: quod cùm reperiſſem penitúſque certus fuiſſem, cum timore & tremore, cum honore & amore uſque hodie mecum aſſuevi deportare. Nunc ergo tibi mando & præcipio ut per mare & per terram quocumque perveneris his ſanctis Reliquiis, & maximè illi parvulo philacterio quod continet lignum Dominicæ Crucis, reverentiam & honorem prout melius potueris exhibere non omittas: & cùm ad Fratres noſtros Deo volente redieris, vide ut quod de ſanctis Reliquiis me atteſtante diſcis, illis fideliter affirmes, aſſeras, inculces, & exponas. Nec tibi durum videatur quòd à me tam citò recedere permitto; neque dicas apud te, quòd per alium nuntium ſatis poſſem iſta tranſmittere; non enim hæc tam parvipendo ut ea traderem cuiquam ſæculari aut laïco, nec etiam minus fideli nuntio.

De veritate Reliquiarum teſtatur Patriarcha.

4. Quo finito conſilio, convocatíſque in unum ſociis Domni Lamberti, inter quos præcipuus erat vir genere & nobilitate inſignis, qui dicebatur vulgò filius Evraldi Senior de Codrilleto, quod eſt in Ambaſienſi territorio, injunxit eis, ut in partibus iſtis teſtimonium perhiberent veritati ſuper his Reliquiis, quas Frater LAMBERTUS aſportabat ab Hieroſolymis: Injunxit etiam illis ut honorem & amorem huic loco conſervarent.

Lambertus cum ſociis patriam repetit.

5. Quo ſermone finito, & poſt celebratum convivium, hymno dicto privatim convocans Fratrem LAMBERTUM expenſas ei tradidit in præſenti, prout in via ejus credidit competere neceſſitati. Et rurſum coram cunctis exiens

Digitized by Google

Domnum Lambertum sociósque ejus sigillatim deosculans, elevata manu cunctos benedixit, imprecans eis prosperitatem hujus viæ & vitæ in portum salutis æternæ. Qui vale facientes ei recesserunt ab eo gaudentes & exultantes super his omnibus quæ audierant & viderant. Et sic Domnus LAMBERTUS felici navigio, cursu prospero rediit ad propria, secum deferens omnia quæ illi tradiderat venerandus Patriarcha.

6. Fratres verò de Fontanis valde consolati sunt in adventu Domni Lamberti, & susceptis tantis pignoribus & tanti viri salutationibus benedixerunt Deum, qui visitavit & fecit misericordiam cum illis.

CAPUT VI.

Ut eligeret Regulam Gaufrido suadere conantur Fontanenses.

1. POst hæc cœperunt frequentiùs sollicitare & convenire Magistrum GAUFRIDUM, ut se & suum locum transferrent ad aliquem Ordinum; qui non respondebat eis verbum. Ægrotavit verò Magister Gaufridus & erat languor ille fortissimus. Accedentes autem Fratres ejus ad eum dixerunt: Dispone domui tuæ, quia timemus ne fortè moriaris, & ampliùs non vivas. Si tibi displicent isti Monachi nigri de Bonavalle qui juxta nos habitant, an hi qui sunt Majoris Monasterii ex altera parte? Si Canonicos Regulares non acceptas, si tibi placet mittamus usque Savigneum, quod est celebre Monasterium, de quo jam plurima processêre Monasteria, ex quibus Abbates conveniunt ad Capitulum, & floret ibi Ordo & eorum ubique redolet dulcis opinio. Quibus ille ait: si vultis mittere mittite: & rapuerunt verbum de ore ejus. Mittentésque festinanter, adduxerunt Domnum GAUFRIDUM Abbatem Savignienſem & Domnum HILDEBERTUM Archiepiscopum Turonensem. Affuit etiam dominus RAGINAUDUS de Castello, ad cujus dominium locus iste pertinebat. Omnes igitur in unum congregati Dominum collaudantes, statuerunt locum istum de cætero esse Abbatiam. Et ipsa die Archiepiscopus Turonensis benedixit in Monachos duodecim ex Eremitis; benedixit etiam in Abbatem

Petunt Saviniacenſis Monasterii institutum.

Monasterium de Fõtanis fit Abbatia.

Digitized by Google

Domnum ODONEM Monachum de Savigniaco, quem ad hoc ſecum adduxerat GAUFRIDUS prædictus Abbas Savigniacenſis. Et ſic anno Verbi Incarnati MCXXXIV. tertio Idus Novembris fundata eſt Abbatia de Fontanis.

Primus Abbas Odo Savigniac. Monachus.

1134. Fundata Abbatiæ Fontanenſis.

2. Illi verò qui ſupervenerant omnibus ritè celebratis, cunctiſque diſpoſitis remeantes ad propria, imperati ſunt remanentibus præſenti proſperitate gaudere & futura. Magiſter verò GAUFRIDUS, & Domnus GAUFRIDUS Bullonus, & ASCELINUS Preſbyter, & plures alii, quos nominare neſcimus, recuſaverunt ſe in Monachos benedici. Quibus Monachi conceſſerunt quocumque vellent ire, & de rebus Monaſterii quidquid vellent ſive in poſſeſſionibus ſive in quibuſlibet rebus quamdiu viverent poſſidere.

Plures Eremitæ primævi à Fontanis receſſerunt.

3. Receſſit igitur Magiſter Gaufridus & habitavit in foreſta ultra fluvium qui dicitur Cherius, in loco qui dicitur Aqua-viva, ubi nunc eſt Canonicorum Regularium Abbatia. Unde & quo veniebat certum non comperimus, ſed apud Caſtellum qui dicitur Montricardus invenit eum ultima dies & hora. Et detulerunt eum & ſepelierunt in Cimiterio prædictæ Abbatiæ, talémque vir Dei ſortitus eſt exitum vitæ. ASCELINUS verò Preſbyter cum alio Gaufrido in loco qui dicitur Lauda habitavit, & obiit, & ſepulturam habuit. Domnus verò GAUFRIDUS, cognomine Bullonus circa ſuum finem ad noſtrum Monaſterium ſe cum ſuis omnibus tranſtulit, & in Clauſtro Monachorum Deo volente ſepulturam promeruit. Et hic finis Eremitarum.

Magiſter Gaufridus, Aſcelinus, & Gaufridus Bullon.

CAPUT VII.

Primus Abbas Odo.

MOnachorum verò tenentes hiſtoriam revertamur ad Domnum ODONEM primum Abbatem, qui poſtquam rediit ad mentem, expavit paupertatem; nihil enim ei dimiſerant prædicti Eremitæ præter ſedem Abbatiæ, & hujus terræ petroſæ quantum quatuor boves poterant laborare, ſed converſus ad Dominum de cælo petebat auxilium. Miſit ergo Deus miſericor-

Digitized by Google

diam suam & liberavit eum à pusillanimitate spiritus & tempestate sæcularium actionum. Diebus autem suis completis obdormivit in Domino, cujus sepultura à nobis quotidie cernitur in Capitulo.

CAPUT VIII.

II. Abbas Gilbertus.

HUic successit Domnus GILBERTUS Savignienſis Monachus, ex cujus Monachis ego tres vidi & cum eis conversatus sum multis diebus: ex quibus unus dicebatur HUGO de Brandellis, qui fuit Abbas de Buxeria; alter Domnus ALEXANDER, qui postea fuit noster Abbas de Fontanis: tertius OMUNDUS vir antiquus dierum & ætate longiori decrepitus. Horum igitur relatu multa novi quæ scribenda proposui. Prædictus verò Gilbertus prædictam paupertatem reperiens aliquantulum sustinuit, quærens qui adjuvaret & consolaretur, & non inveniens abiit, & obiit in domo Savignienſi.

Ætas Auctoris.

CAPUT IX.

1144. De Serlone Saviniacenſi Abbate.

I. IN diebus illis præerat in Domo Savignienſi vir Venerandus nomine SERLO valde litteratus, & cujus eloquium audientibus erat acceptabile super mel & favum. Hic igitur cùm esset justus & paulatim cœpisset intelligere quòd quidam Coabbatum suorum de subjectione Savignienſi sua colla molirentur excutere, ac tardiùs & tepidiùs quàm solebant ad Capitulum venirent, Divino fultus consilio & auxilio, impetrata licentia & auctoritate summi Pontificis suum Monasterium cum cæteris omnibus ad illud pertinentibus Ordini Cistercienſi contradidit & subjecit in manu sancti BERNARDI Abbatis Clarevallenſis, vitæ cujus & Religionis auctoritas ubique redolebat. Erat enim vir potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, qui continuò dedit Abbatiæ Savignienſi in Priorem & eruditorem Ordinis Cistercienſis virum Venerabilem, nomine THEOBALDUM, qui cùm esset sancti Dionysii Monachus & Infirmarius, & fortè vidisset S. Bernardum, relictis

Subjicit Saviniacum Ordini Cistercienſi.

Digitized by Google

omnibus secutus est eum. Erat autem iste Theobaldus nobilis genere & de Pertico natus.

2. Illud autem volumus successorum nostrorum memoriæ commendare, quod quamdiu domus Savigniensis subjecta non fuit Ordini Cistercienſi, locus iste dicatus erat in honore S. Mariæ Magdalenæ, & ex quo se subjecit, sicut habetur, Cistercienſis ordo dicatus est in honore B. MARIÆ Virginis, cujus vita inclita cunctas illustrat Ecclesias.

3. Cùm autem prædictus Theobaldus Savigneium perveniſſet, & Fratres illius Cœnobii Ordinem Cistercienſem sufficienter erudiſſet; post Domnum GILBERTUM dederunt illum nobis in Abbatem, qui postquam locum istum regendum suscepit, recordatus sancti Dionysii divitias, & illius Clarevallenſis Ecclesiæ multitudines copiosas, nec non & Savignienſis Cœnobii sufficientes expensas, non minus quàm cæteri paupertatem extimuit, sed quia corde mitis erat, erat & hilari vultu, jocundus aspectu, eloquio facundus, jocosus in sermone, coram cunctis intrans & exiens gratus erat & amabilis valde, Prælati & Principes, Senatus & Judices, Principatus & Comites venerabantur eum: & quia talis erat conferebant, inferebant & offerebant auxilium & consilium: & ita Divino fultus auxilio & humano beneficio gubernavit hunc locum usque ad viceſimum annum secundum.

III. Abbas Theobaldus.

Commendatur.

CAPUT IX.

1. ANno autem vigeſimo primo ejus Prælationis obiit longè prædictus LAMBERTUS parvus, qui unus ex Eremitis, & ex primis Monachis benedictis, anno vigeſimo secundo me suscepit in Novitium, & post me non suscepit alium. Nam circa festivitatem Omnium Sanctorum pergens Savigneium fessus labore, & ruptu-ram habens in corpore, solutionem petiit & impetravit, deinde per nos veniens abiit Claramvallem. Post non multum verò temporis Clarevallenses dederunt eum in Abbatem Monachis Castellionis, quod est nomen cu-

Eo tempore Peregrinus, qui hæc scribit, Monachum induit.

Digitized by Google

jusdam Abbatiæ in Lotherii Regno. Et quia incolæ illius patriæ pessimi sunt, & Dei hominem malè tractaverunt, vix secundum annum ibi peragens, dimissis illis reversus est Claramvallem. Postea verò tempore Domni Roberti prædecessoris mei ad nos rediit, & in pace quietè multos annos implevit.

IV. Abbas Robertus. * *Ludovici 7.*

2. Accidit verò quod Alicia filia Lodovici * pii Regis, uxor Theobaldi Junioris Comitis Blesensis, proxima partui apud Castrumdunum, timénsque periculum mittens accersivit eum. Erat & ibi Gaufridus Abbas de Gastineta cum eo. Et factum est cùm essent ibi, compleli sunt dies ut migraret * à sæculo, qui post lacrymabilem & devotam confessionem, post sancti liquoris unctionem, & sanctam Communionem, lætus & devotus & plenus dierum migravit ad Dominum: quod audiens prædicta Comitissa vehementer indoluit, & cum honore debito ad nos usque deferri præcepit. Cujus corpusculum nos mæsti susci pientes post celebratum Officium ante portam Oratorii sepelivimus eum in medio Claustri.

* Lambertus *scilicet.*

CAPUT X.

V. Abbas Herbertus.

1. CUi successit Domnus Herbertus Prior de Claromonte, vir bene litteratus & valde Scholasticus, nobilis genere, & natus de Voureio, qui locus est in territorio Castrilidi. Erat autem vir bonus & religiosus, aliquantulum tamen impetuosus & onerosus, sed unde hoc inerat illi diffinire non audeo, an ex fervore Religionis, seu ex naturali motu complexionis: Illud autem bene recolo quòd ex ejus moribus ejúsque sermonibus multum ædificatus remansi: Duabus enim de causis post duos annos à nobis recessit, primam puto quòd se novit nostrorum moribus convenire non posse; secundam quia fallaces & maligni suggesserunt Theobaldo Comiti, quòd Abbas iste insidiosè ageret contra illum tempore guerræ & dissentionis, quæ in diebus illis orta est inter Henricum Regem Angliæ seniorem, & Henricum filium ejus juniorem.

Abdicavit Abbatiam.

2. Adiit

Digitized by Google

2. Adiit quadam vice prædictus Abbas Comitem THEOBALDUM, & pro necessitate domus hujus deportabat illi quoddam responsum, qui non detulit ei, sed durè locutus est & exasperavit eum dimisítque vacuum: Vir autem Dei valde contristatus citò rediens petiit Savigneium, & suæ Prælationis penitus omisit officium. Inde venit Claromontem & Claromontes eum læti susciptentes constituerunt eum Priorem. Nec multo pòst cùm Clerici Redonenses Abbatem ejus Domnum PHILIPPUM in Episcopum elegissent, & Fratres ejus promeruerunt eum in Abbatem. Parvo autem tempore transacto prædictus Philippus Episcopus obdormivit in Domino. Quo defuncto Clerici Redonenses Domnum HERBERTUM quæsierunt & habuerunt in Episcopum. Qui sicut vidimus & audivimus pluribus annis vixit in Episcopatu, insistens bonis operibus, plenus dierum & meritis seceſſit à sæculo.

Philippo Abbate Claromont. electo Episcopo Redonensi Herbertus fit Abbas: deinde succeſſit Philippo.

3 Hujus verò receſſum à nobis graviter tulerunt majores natu de domo Savignei, ita ut cùm ad electionem noſtram de more peterentur advenire, exhiberent nobis illud Esayæ: *Manda, remanda, expecta, reexpecta*; tandem poſt longam fatigationem & dilationem, nolentes aut non volentes venire, miserunt Domnum SIMONEM Abbatem Sancti Andreæ, qui poſtea præfuit Savignienſi Eccleſiæ. Hic ergo cùm ad nos perveniſſet, & ab eis habuiſſet mandatum ut in electionem Domni ROBERTI Prioris hujus Domus non conſentiret, ſiluit. Facta autem electione cùm ejus aſſenſum quæreremus, ait: Iſtud omninò ſtare non poteſt. Et cùm ab eo quæreremus cauſam, reſpondit: Hoc in mandatum non accepimus à noſtris Majoribus. Optionem tamen nobis dedit quemcumque de cæteris eligere vellemus in Abbatem, & nos ignorabamus quid agere deberemus. Quod cùm cognoviſſet Nonnus ROBERTUS Prior ait: Nolite turbari, neque pro me æmulari. Et conſenſimus omnes in Portarium noſtrum, ALEXANDRUM nomine, qui dudum miſſus de Savigneio Monachus nobiſcum Reli-

Isa. 28. 13.

VI. Abbas Alexander.

Digitized by Google

gioſus habitarat. Erat autem Anglicus natione, ſed venerandus, matura converſatione, linguam namque refrænans temperabat ne litem inſonaret, viſum fovendo contegebat ne vanitates exhauriret, & nihil in eo apparebat quod debuiſſet offendere intuentes. Erat autem vir iſte debilis corpore cum multa macie, nec tam erat litteratus, ut in Capitulo lectionem Regulæ auderet explicare & exponere: qui cùm ſe debilem & minus ſufficientem cerneret, miſit & accerſivit Abbatem de Savigneio Domnum ſcilicet WILLELMUM de Toloſa, virum utique piæ recordationis, qui ſecundò præfuit Abbatiæ Savignienſi, & poſtea obiit Abbas Ciſtercienſis: qui veniens ad domum noſtram ab adminiſtratione ſua Domnum Alexandrum abſolvit, & in ejus loco celebrata electione, uno die & eodem Capitulo Domnum ROBERTUM noſtrum Priorem ſubrogavit. Quem cùm quidam maligni & invidi coram Domno Abbate Savignienſi vellent diffamare, & ei prædeceſſorum ſuorum fugam imponere, Domnus Willelmus Abbas fertur reſpondiſſe: Sinite ſi bene egerit, Deo gratias, ſin aliàs, noverit nos in proximo uti abſciſionis ferro. Et ſic obſtructum eſt os loquentium iniqua. Domnus autem Alexander vix tertium annum peragens poſt abſolutionem ſuæ adminiſtrationis, paucis diebus expletis, vocante Domino migravit à ſæculo, & ſepelivimus eum juxta laurum, inter majus Oratorium & Capellam infirmorum.

Paulò pòſt ceſſit regimine.

VII. Abbas Robertus.

Digitized by Google

CAPUT XI.

1. DOmnus autem ROBERTus novus Abbas instituturus cœpit audaciùs quàm consueverat gregis sibi commissi negotia pertractare, possessiones, grangias & res universas prout meliùs poterat emendando perlustrare. Erat enim vir fortis & corpulentus, & non memini me noviſſe hominem cui tam parvus ſufficeret cibus. Et quamvis esset raucus & gracili voce & continuo labore, curáque pervigili, fatigatus non se subtrahebat Divino operi. Semper in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus intrans & exiens in corde suo psallebat Domino. Monachos omnes & maximè juniores Psalmos, Hymnos, Officia Gradualis & Antiphonarii, & cætera quæque ad Divinum Officium pertinentia frequenti recordatione prout poterat cogebat memoriter retinere. Observatissimus fuit disciplinæ Monasticæ.

2. In diebus ejus Psalmos, Hymnos & cantus universos altiùs, productiùs, & ut ita dicam solemniùs decantare consuevimus, quàm ut verum fatear Monachis nostri temporis umquam persuadere potuimus. Hic est qui abundantiùs laboravit pro gente & universa nostra Congregatione. Aliorum etenim temporibus portavit pondus diei & æstus; quia & in meditatione sua exardescebat ignis Divinus, & frequenter apparebat iracundus, à junioribus timebatur & à senioribus reverebatur. Huic Ecclesiæ præfuit, ut credimus, annis duodecim & eo ampliùs, completisque diebus appositus ad Patres suos, & sepelierunt eum in Capitulo nostro ad dexteram Domni Odonis primi Abbatis.

3. Me autem pro quodam responso jam miserat usque Vindocinum, cujus autem exitum vitæ à Vindocino rediens cognoscens in media via qua veniebam, flens & contristatus incedens dicebam illud Elizei: *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.* Multis enim diebus fuerat currus nos vehendo, fuerat & auriga noster agendo & regendo. 4. Reg. 2. 12.

Digitized by Google

CAPUT XII.

VIII. Abbas Peregrinus Scriptor hujus historiæ.

POst obitum Domni ROBERTI, Monachi hujus Congregationis cum Domno WILLELMO Abbate Savignienſi, & quatuor Abbatibus aliis pariter in unum congregati, die Apoſtolorum Petri & Pauli me invitum & indignum ſubſtituerunt Abbatem. De me autem hiſtoriam tenere nec debeo, nec audeo, nec valeo, quia nondum notum mihi fecit Dominus finem meum, neque numerum dierum meorum novi, quamvis ſint menſurabiles apud Deum: finem verò loquendi jamiámque faciemus, quia prolixitas faſtidium generare ſolet, & brevitas auris amica placet. Annus verò quo hæc ſcripſimus erat ab Incarnatione Domini MCC. Ego autem triceſimum annum peregeram à die Converſionis me, & duodecim peragebam in ſtatu Prælationis. Domnus ſiquidem WILLELMUS Infirmarius quadrageſimum ſecundum, & Domnus ROBERTUS de Foſello quinquageſimum à die ſuæ Converſionis peragebant. Univerſitatem ſiquidem veſtram admonemus ut hiſtoriam Prælatorum & poſſeſſionum hujus Eccleſiæ de cetero tenere non omittatis, quæ noſtris ſucceſſoribus valde comprobatur utilis, non ſolùm in legentium recreatione, verùm etiam in poſſeſſionum noſtrarum cognitione, defenſione & conſervatione; ſicque meritò noſtri memoriam poſteris relinquetis in benedictione.

1200.

Explicit prima pars de ſucceſſione Prælatorum.

Digitized by Google

INCIPIT SECUNDA PARS.

PRimum quidem sermonem feci de institutione hujus Cœnobii, & usque ad nostra tempora de successione Prælatorum, in secundo verò dicendum est de cognitione libertatis & possessionum. Mihi autem videtur triplex esse nostra libertas, prima per Spiritum sanctum, secunda auctoritate Romanorum Pontificum, tertia ex liberalitate sæcularium Potestatum. De prima habemus authenticum sanctum Evangelium cum actibus Apostolorum: de secunda, plurima S. R. Ecclesiæ & Apostolicæ sedis privilegia, quorum quædam continentur apud Cistercium, quædam apud Claramvallem, quædam apud Savigneium, quædam verò apud istud Cœnobium. Illorum verò quæ locis supradictis continentur tria tantùm rescripta huic Operi judicavimus inserenda: & his subjungemus piæ recordationis Alexandri Papæ privilegia, quæ in præsenti continentur Ecclesia. De tertia libertate habemus munimenta Comitum, Baronum, Judiciariarumque potestatum. Cognitio verò possessionum fit aliquando per auditum, nonnumquam per usum, aliquando verò per instrumentum; perspicacior tamen illa est quæ fit ex certitudine trium prædictorum. Et nequis vestrûm de cetero de ignorantia sua se valeat excusare, utile fore duximus in hoc libello cunctas per ordinem & ex integro inserere chartas, ut proficiatis abundantiùs ex earum lectione in libertatum & possessionum nostrarum cognitione.

Digitized by Google

Privilegium INNOCENTII *Papæ ſecundi.*

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio STEPHANO Ciſtercienſi Abbati, ejúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Statuimus enim ut poſſeſſiones & bona quæ ad eumdem locum in præſentiarum juſtè & canonicè pertinere noſcuntur, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis auxiliante Domino ei conferri contigerit, firma tibi tuíſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Prohibemus ne aliquis Archiepiſcopus, aut Epiſcopus te vel ſucceſſores tuos, ſeu aliquem Abbatem Ciſtercienſis Ordinis, niſi pro fide ad Concilium vel Synodum venire compellat. Quia verò Ciſtercienſe Monaſterium hujus Religionis origo eſt atque principium, noſtra conceſſione hac prærogativa non immeritò gaudeat, ut ſi quando fuerit Paſtore proprio viduatum, quemlibet Abbatem de omnibus Abbatibus veſtri Ordinis vel Monachum ſibi liberè præficiendum eligat, & abſque aliqua contradictione obtineat; ceteris verò veſtri Ordinis Abbatiis, quæ unam vel plures Abbatias habent ſibi ſubditas, & de ſui corporis fructifera copia derivatas, Abbate ſuo rebus humanis exempto eligendi quemcumque maluerint de ſibi ſubjectis Abbatibus, vel quemlibet Monachum de omnibus congregationibus Ciſtercienſibus liberam concedimus facultatem. Illa autem Abbatia quæ nullam habet ſubditam, quemlibet Monachum de omnibus præfatæ Religionis Congregationibus liberè ſibi in Abbatem eligat & habeat.

Porrò Converſos veſtros, qui Monachi non ſunt, poſt factam in veſtris Cœnobiis profeſſionem nullus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, vel Abbatum, ſine veſtra grata licentia ſuſcipere aut ſuſceptum retinere præſumat.

Digitized by Google

Statuimus ut de laboribus quos vos & totius vestræ congregationis Fratres propriis manibus & sumptibus colitis, & de animalibus vestris à vobis decimas expetere vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo, &c. Conservantibus verò eidem loco quæ sua sunt sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æterpacis inveniant, Amen.

EGo INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego JOHANNES Tit. S. Grisogoni Presbyter Cardinalis.
Ego ROMANUS Diac. Card. S. MARIÆ in Porticu.
Ego GREGORIUS Diac. Card. SS. Sergii & Bachi.

Datum Cluniaci per manum AIMERICI S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii, IV. Idus Februarii. Indict. X. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXI. Pontificatus verò Domini Innocentii secundi Papæ anno secundo.

Aliud Privilegium ejusdem.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio BERNARDO Clarevallensi Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ceterum quàm firma perseverantíque constantia causam B. Petri & S. Matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, dilecte fili in Domino Bernarde Abbas, incandescente Petri Leonis schismate fervor tuæ Religionis & discretionis susceperit defensandam, & se murum inexpugnabilem pro Domo Dei opponens animos Regum ac Principum, & aliarum tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium personarum ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem, & Beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraverit, magnáque Ecclesiæ Dei & nobis provenit utilitas manifestet. Quamobrem tuis justis desideriis accommodantes assensum,

Digitized by Google

B. MARIÆ Dei Genitricis Monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus Apostolicæ sedis patrocinio communivimus. Statuentes ut quæcumque possessiones aut bona ad eumdem locum, &c. *ut supra.*

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego MATTHÆUS Albanensis Episcopus.
Ego ROMANUS Diac. Card. S. MARIÆ in Porticu.
Ego JOHANNES Tit. S. Grisogoni Presbyter Card.
Ego GREGORIUS Diac. Card. SS. Sergii & Bachi.

Datum Lugduni per manum AIMERICI S.R.E. Diac. Card. & Cancellarii XIII. Kal. Martii. Indict. x. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXI. Pontific. Domini Innocentii Papæ secundi anno tertio.

Privilegium LUCII *Papæ secundi.*

LUcius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis SERLONI Abbati Sanctæ Trinitatis Savignienſis Monasterii, ejúsque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Quia igitur Fratres Savignienſis Monasterii à cura sæculari liberos & Divinis servitiis mancipatos piè vivere ac religiosè cognovimus, idcirco dilecte in Domino fili Serlo Abbas tuis justis postulationibus duximus annuendum, & præfatum Savignienſe Monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus suis pertinentiis sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis statuentes ut Ordinem Monasticum secundum Beati Benedicti Regulam & Institutа Regulæ competentia inviolabiliter observetis. Si quis verò ex Abbatibus, Monachis quoque vel Conversis vestræ Congregationis à proposito & ordine exorbitaverit, & secundò tertióve commonitus incorrigibilis remanserit, Abbate absque ulla contradictione retento, juxta providentiam Savignienſis Abbatis qui pro tempore fuerit, loco ipsius alius idoneus substituatur: Monachus verò si contumax fuerit regulariter corrigatur.

Prohibemus

Digitized by Google

Prohibemus etiam ut nullus Abbatum in ordine vestro facere schisma præsumat, aut commissam sibi Abbatiam vel quemlibet alium locum absque assensu communi alterius ditioni tradere.

In benedictione verò Abbatum vestrorum exactionem cappæ, vestimenti, pastus, seu cujuslibet terreni quæstus ab aliquo fieri omninò interdicimus.

Præterea quæcumque possessiones & bona, &c. *Habentur ut in prædicta bulla Bernardo Clareval. Abbati concessa.*

Prohibemus ne aliquis Archiepiscopus aut Episcopus te vel successores tuos, seu aliquem Abbatem Savigniensis Ordinis, nisi pro certa & evidenti negotiorum Ecclesiasticorum causa, vel culpa manifesta, ad Concilium vel Synodum venire compellat. Porro Conversos vestros, &c. *ut supra.*

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Conradus Sabinienſis Episcopus.
Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi.
Ego Gregorius Presbyter Card. Tit. S. Calixti.
Ego Petrus Albanensis Episcopus.
Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego Raynerius Presbyter Card. S. Priscæ.
Ego Guido Presbyter Car. SS. Laurentii & Damasi.
Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli.

Datum Laterani per manum Baronis S. R. E. Subdiaconi Nonis Decembris, Indictione VIII. Incar. Dominicæ anno MCXLIV. Pontificatus verò Domini Lucii secundi Papæ anno primo.

Privilegium Alexandri Papæ III.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Theobaldo Abbati Ecclesiæ S. Mariæ de Fontanis ejúsque Fratribus, &c. Statuentes ut quascumque possessiones in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Abbatiam videlicet vestram quæ vocatur Fontane, cum nemore quod dicitur Theulin, &

Extat in tomo 4. Galliæ Christ. exceptis subscriptionibus.

Digitized by Google

cum alodiis & cæteris terris circũadjacentibus, quas RAINALDUS de Castello, & HUGO Lumbart, & RAINALDUS Aucherii vobis dederunt, & Comes THEOBALDUS & ILDEBERTUS Turonensis Archiepiscopus sigillis suis confirmaverunt. Terram quam habetis in castris; grangiam quæ vocatur Sicca Noa, cum terris ad ipsam pertinentibus. Terram quæ dicitur Villana; terram quæ dicitur Travalleria; Landam cum appendiciis suis, molendinum; terram, rupem & vineas quas apud Lineriacum habetis; terram quæ dicitur Princiacum; & terram quæ vocatur Campus Britonis, grangiam quæ vocatur Puza, & Gievin cum vinea & terris ad ipsam pertinentibus; grangiam quæ vocatur Rogerol cum appenditiis suis, & terram de Trunchetis; sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus.

Præsenti quoque decreto sancimus, ut Episcopus, in cujus Episcopatu Ecclesia vestra consistit, nec regularem electionem Abbatis vestri umquam impediat, nec de removendo vel deponendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cistercienſis Ordinis, & auctoritatem privilegiorum suorum se ullatenus intromittat.

Sancimus autem ne quis Archiepiscopus aut Episcopus, sive cujuslibet Ordinis persona, locum vestrum à Divinis interdicat officiis, sed liceat vobis omni tempore clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, excluſis excommunicatis & interdictis, suppressa voce Divina officia celebrare, nisi Abbatis vel Fratrum istius loci evidens & manifesta culpa extiterit.

Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam, sive furtum facere, vel hominem capere audeat. Et si quis hoc temerario ausu præsumpserit, sacrilegus judicetur. Nulli ergo, &c. *Sicut in præscriptis Bullis.*

ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
HUBALDUS Ostiensis Episcopus.
BERNARDUS Portuensis & S. Rufinæ Episcopus.

Digitized by Google

GALTERIUS Albanenſis Epiſcopus.

HUBALDUS Preſbyter Card. Tit. S. Crucis in Hieruſalem.

HENRICUS Preſbyter Card. Tit. SS. Nerei & Achillei.

JOHANNES Preſbyter Card. Tit. S. Anaſtaſiæ.

ALBERTUS Preſb. Card. Tit. S. Laurentii in Lucina.

GUILLELMUS Preſb. Card. Tit. S. Petri ad Vincula.

JACYNTUS Diac. Card. S. MARIÆ in Coſmedin.

ODO Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulli.

ARCLICIO Diac. Card. S. Theodori.

BOSO Diac. Card. SS. Coſmæ & Damiani.

JOHANNES Diac. Card. S. MARIÆ in Porticu.

Datum Turonis per manum HERMANNI S. R. E. Subdiaconi & Notarii XI. Kal. Novemb. Indict. XI. Incarn. Dominicæ anno MCXLII. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ tertii, anno quarto.

Privilegium LUCII *Papæ.*

LUCIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus Turonenſi Archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis, & dilectis filiis Archidiaconis, Decanis, &c. Datum Veronæ Idus Octobris. *Continet tantum hæc Bulla exemptionem decimarum & novalium.*

De Libertate nemorum.

EGO ILDEBERTUS Dei gratiâ Turon. Archiepiſcopus. Donum quod Domnus Rainaldus, &c. Eccleſiæ de Fontanis in manu mea fecerunt, ſigilli mei auctoritate corroboro. Donum autem tale eſt:

RAINALDUS Aucherii & HUGO Villanus cum Helduino de Connenz ſororio ſuo domino RAINALDO de Caſtello, filióque ſuo RAINALDO cum ceteris filiis ſuis concedentibus; concedente etiam GANNELIONE dè Balgenciaco, cum filio ſuo GARNERIO locum Fontanarum, quem indigenæ allodia vocant, integrè, quidquid

Digitized by Google

videlicet ibi habent sive in plana terra, sive in pratis, sive in nemore; totum Deo & Ecclesiæ de Fontanis liberè & absolutè dant & concedunt: dominus autem RAINALDUS de Castello donat & concedit Deo & præfatæ Ecclesiæ, & Fratribus ibidem Deo famulantibus, Vicariam, forisfactum sanguinis, glandem nemoris, denique quidquid ibidem sui juris fuit usque hodie, sibi tantummodo venatione retenta. Donat etiam dominus RAINALDUS de Castello Fratribus de Fontanis, de Foresta quæ Blimardum vocatur ad omnes usus suos quantum & ubicumque necesse habuerint, excepto quòd de ea nec dent nec vendant. Concedit etiam eis glandem ejusdem Forestæ ut eam suis propriis porcis quamdiu voluerint gratis habeant, &c. Hujus doni sunt testes ALVEREDUS Archidiaconus.

RADULPHUS Decanus.
ALBERICUS Cancellarius.
ROBERTUS de Rupibus.
GAUFRIDUS Meschinus.
ARRANDUS Malaterra.
HUGO de Verno.
FULQUERINUS Faitmal.
BERNARDUS Mandros:

Actum est 7. Idus Augusti an. ab Incar. Domini 1227. Regnante in Gallia Ludovico Rege, Fulcone Andegavensi Comite.

De Libertate loci, qui dicitur Lauda.

EGO RAINALDUS de Castello Rainaldi concedo Magistro GAUFRIDO Eremitæ, postquam ipse disjunxit se de societate Monachorum de Fontanis, quemdam locum qui vocatur *Lauda*, & quidquid illic habeo, scilicet latronem, & forisfactum sanguinis, & quidquid ibi habeo, pro se & successoribus suis. Dono etiam illi pasnagium de Foresta de Blimarz, & ligna ejusdem forestæ ad se calefaciendum & ad domos suas ædificandas,

Digitized by Google

quod prece & voluntate bona domini mei Comitis Theobaldi factum est: hujus rei testes:

RAINALDUS Alcherii.
GAUFRIDUS Meschinus.
HELDUINUS de Conenz.
BERNARDUS Mandruzius.
MINARDUS de Buscheio.

Actum est anno Domini MCXL. & sigillo GAUFRIDI Carnotensis Episcopi confirmatum.

ROBERTUS de Grata-Lupo, & RAHERIUS de Montebasonis, filiis & filiabus eorum concedentibus, dederunt Deo & Ecclesiæ de Fontanis de terra sua, quæ vocatur Castras, quantum cum duabus carrucis per singulos annos arare possent, & unum quadrantem prati, & de vivo bosco per quinque annos ad domos suas ædificandas: postea verò mortuum nemus ad omnia necessaria facienda, & pascua pecorum, exceptis porcis tempore pastionis, in perpetuum concesserunt. Huic dono interfuerunt de Canonicis S. Florentini, MAURICIUS Herveus, MATTHEUS Radulphus, Ivo Clericus, GAUFRIDUS Bouzon.

Post longum verò tempus PETRUS filius Raherii de Montebasonis, & ARCHEMBAUDUS de Vindocino acceperunt in uxores duas filias BUCARDI de Grata-Lupo; Petrus scilicet MILESENDIN, & Archembaudus PETRONILLAM. Isti autem Eleemosynam, quam Antecessores sui Deo & Ecclesiæ de Fontanis fecerant, concesserunt, præsentibus domina GAROTA matre Milesendis, GAUFRIDO Bouzon, RADULPHO de Persio, ASCELINO, GAUFRIDO de Balnol, & AUCLINO fratre ejus, MARCO avunculo prædicti Archembaudi, & JOSBERTO Lodovici, & pluribus aliis. Terra verò prædicta metata fuit in præsentia Domni GISLEBERTI tunc temporis Abbatis de Fontanis, & GIRALDI Radulphi, & OSMUNDI suorum Monachorum, GAUFRIDI Bouzon, GAUFRIDI Præfecti de Austresches, HERVEI Carpentarii, & GASTINELLI.

RAINALDUS Rabel dedit Deo & Monachis de Fon-

Digitized by Google

tanis decimam de Sicca Noa, cum quibusdam terris ibidem; & apud Austresches consentiente Petronilla uxore sua, testibus Ulrico de Pelvezin, Guiberto de Plassio, Buchardo de sancto Amando, Rainaudo de Mesleio, & aliis.

Hæc referri debent ad chartam de libertate, &c. pag. 388.

GAUFRIDUS Dei gratiâ Carnotensis Episcopus. Notum sit, & quòd cùm aliquando per locum domini GAUFRIDI, qui Saltus dicitur, transitum haberem, concessit idem dominus Gaufridus & fratres ejus similiter in manu Dei & nostra eumdem locum integrè cum pertinentiis suis. Nos igitur precibus eorum clementer annuimus, & prædictum locum suum sub tutela & custodia Dei & nostra recepimus, & in vita videlicet ejusdem domini Gaufridi & post decessum ejus. Quicumque ergo, &c.

Notum sit præsentibus & futuris, quòd Ego Goslenus Carnotensis Episcopus pro salute animæ meæ & domni prædecessoris & avunculi mei bonæ memoriæ Gaufridi, rogatu domni Bernardi Clarævallensis Abbatis, & aliorum Religiosorum Abbatiæ de Fontanis, locum quemdam non longè ab ea in Episcopatu Carnotensi situm, qui Lauda vocatur, cùm omnibus quæ pertinent ad ipsum locum, & qui in manu nostra erat, liberè in perpetuum à Fratribus prædictæ Abbatiæ ad opus grangiæ concessi. Testibus PAGANO Carnot. Archidiacono, MILONE ejusdem Ecclesiæ Canonico & Presbytero, ODONE ejusdem Ecclesiæ Diacono & Canonico, nec non ERNALDO Bonævallis, GAUFRIDO Blesensi, RICARDO Eleemosinæ, & STEPHANO Regniaci Abbatibus: GISLEBERTI Fontanarum Abbatis tempore.

ROBERTUS Dei gratiâ Carnot. Episcopus. Noverint omnes locum istum qui Lauda nominatur in manu domini Gaufridi Carnot. Episcopi prædecessoris nostri fuisse datum sub patrocinio & protectione ejus. Ideóque auctoritate Dei & Ordinis nostri sententiam anathematis super illos omnes constituo, sive Religiosi sive cujuslibet alterius Ordinis fuerint, qui prædictum locum aliqua occupatione vel inquietatione malè tractare & persequi,

Digitized by Google

sive in alium statum transferre sine assensu vestro præsumpserit.

JOHANNES Dei gratiâ Beati Thomæ Carnotensis Ecclesiæ Minister humilis, PETRO de Candeio, salutem. Tuæ utilitati providentes consulimus & monemus, ut in eleemosyna tua de Lauda Monachos de Fontanis contra formam Ordinis Cisterciensis Missam celebrare non compellas; sufficiat autem devotioni tuæ Officium Divinum, quod in ipsa Abbatia pro tua & prædecessorum tuorum salute celebrate Monachi statuerunt.

PHILIPPUS Lancelini dat in eleemosynam Fratribus de Fontanis omne quod habet apud Gutam tam in pratis quàm in nemore, & duos solidos censuales apud Monceium. Concedentibus DOGNA matre sua, AGNETE uxore sua, MATHILDE filia sua, MATHILDE sorore sua & nepotibus suis HERVEO, LUCETE & AALIZ. Testibus GERVASIO de Plesseio, JOHANNE Ruillez, GOSBERTO Presbytero de Perreio, HUGONE Presbytero de Gubergen, PHILIPPO & Pagano de Ponceio & aliis, anno MCXC.

HENRICUS Dei gratiâ Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus, HELCHIMBALDO Windocinensi & PETRO de Candeio Militibus salutem. Notificavit nobis Abbas de Fontanis, quòd in terra quadam, quam de eleemosina nostra possidet, Capella noscitur antiquitùs constituta, in qua vultis ut Divina jugiter Officia celebrentur. Scire autem vos volumus, quòd in pluribus locis Ordinis Capellæ sunt dirutæ vel sublatæ, ut cessante concursu frequentiæ salutaris Ordinis institutio liberiùs conservetur; Unde monemus vos & mandamus, quatenus ab hac intentione cessetis, nullum inde peccatum vel scrupulum formidantes, si prædicta Capella pro servanda pace Ordinis à Divini Officii celebritate vacaverit.

Digitized by Google

HISTORIÆ ANDEGAVENSIS FRAGMENTUM,

Per FULCONEM *Comitem Andegavenſem.*

EGO FULCO Comes Andegavenſis, qui filius fui GOFRIDI de Caſtrolandono & ERMENGARDIS filiæ FULCONIS Comitis Andegavenſis, & nepos GOFRIDI Martelli, qui fuit filius ejuſdem avi mei FULCONIS & frater matris meæ, cùm tenuiſſem Conſulatum Andegavinum viginti octo annis, & Turonenſem, & Nannetenſem & Cenomanenſem, volui commendare literis quomodò Anteceſſores mei honorem ſuum adquiſierant & tenuerant uſque ad meum tempus; & deinde de me ipſo quomodò eumdem honorem tenueram adjuvante Divina miſericordia.

Comitum Andegav. genealogia.

1. Illi igitur Anteceſſores mei ſicut ille meus avunculus Goffridus Martellus narravit mihi, fuerunt probiſſimi Comites & ſic nominati ſunt, primus INGELGERIUS, ſecundus FULCO Rufus filius ejus, deinde FULCO qui bonus appellatus eſt; poſtea filius ejus GOFFRIDUS Griſagonella. Iſti autem quatuor Conſules tenuerunt honorem Andegavinum, & eripuerunt eum de manibus Paganorum, & à Chriſtianis Conſulibus defenderunt; & ille primus Ingelgerius habuit illum honorem à Rege Franciæ non à genere impii PHILIPPI, ſed à prole CAROLI Calvi: quorum quatuor Conſulum virtutes & acta, quia nobis in tantum de longinquo ſunt, ut etiam loca ubi corpora eorum jacent nobis incognita ſint, dignè

Digitized by Google

gnè memorare non possumus, nisi ea quæ nobis propiora fuerunt, videlicet de avo meo FULCONE & de patre ejus GOFFRIDO Grisagonella, & de GOFFRIDO Martello avunculo meo.

2. Ille igitur GOFFRIDUS Grisagonella pater avi mei Fulconis, cujus probitates enumerare non possumus, excussit Loudunum de manu Pictavensis Comitis, & in prælio campestri superavit eum super Rupes, & persecutus est eum usque ad Mirebellum, & fugavit Britones qui venerant Andegavim cum prædatario exercitu, quorum Duces filii ISOANI; & postea fuit cum Duce Hugone in obsidione apud Marsonum, ubi arripuit eum infirmitas qua expiravit, & corpus illius allatum est Turonum & sepultum in Ecclesia B. Martini.

3. Cui successit FULCO filius ejus, avus videlicet meus, cujus probitas magna & admirabilis extitit: ipse enim adquisivit Cenomanicum pagum & adjunxit eum Andegavino Consulatui, & ædificavit plurima castella in sua terra, quæ remanserat deserta & nemoribus plena propter feritatem Paganorum. In Turonico siquidem pago ædificavit Lingain, Calvum-montem, Montemthesauri, Sanctam Mauram; in Pictavino Mirebellum, Montemconsularem; Fayam, Musterolum, Passavantum, Malumleporarium, in Andegavino ædificavit Baugiacum, Castrumgunterii; Duristallum, & multa alia quæ enumerare mora est. Cepit quoque Castrum Salmurii in tempore illo quo Comes ODO venerat Andegavim cum exercitu suo, & posuerat castra sua in Angulata, inter ipsam civitatem & fluvium Ligerim. Ipse iterum FULCO fecit duo campestria prælia valde magna, unum in Landa conquireti contra CONANUM Britannicum Consulem, propter civitatem Namnetensem, quam ille Conanus ei volebat eripere; in quo prælio periit idem Conanus & mille de equitibus suis. Alterum verò prælium fuit contra prædictum ODONEM potentissimum Comitem super fluvium Carum apud Pontilevium, ubi multa fuit strages Gallorum & Andegavorum, in quo prælio fuit cum eo Cenomanensis Comes HERBERTUS qui dictus est Evigi-

Digitized by Google

lans-canem, ubi Dei gratiâ victor extitit. Duas etiam Abbatias ædificavit, unam in honore sancti Nicolai juxta urbem Andegavensem, aliam apud Lochas castrum, quæ vocatur Bellus locus, in honore Dominici Sepulcri. Bis etiam Jerusalem adiit, in cujus secundo reditu rebus humanis excessit circa festivitatem S. Johannis, anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo. Corpus illius ad prædictam Abbatiam Belliloci allatum est, ibíque sepultum in Capitulo.

4. Successit itaque ei filius ejus avunculus meus Gosfridus Martellus, cujus probitas & prudentia in rebus sæcularibus multa fuit, & fama laudabilis per totum Regnum Franciæ. Ille autem in vita patris sui Miles extitit, & novitatem militiæ suæ contra finitimos exercuit, fecítque duo prælia, unum apud Montemconsularem contra Pictavos, ubi Comitem Pictavensem apprehendit; & aliud contra Cenomanenses, ubi Comitem eorum similiter cepit, qui vocabatur HERBERTUS Baconus: contra suum etiam patrem guerram habuit, in qua mala multa facta fuerunt, unde postea valde pœnituit. Postquam autem pater ejus de Jerusalem, ut prædictum est, rediens, vitam hanc exuit, possedit terram patris & civitatem Andegavis; cepítque guerram contra THEOBALDUM Comitem Blesensem, filium videlicet Comitis Odonis, & ex voluntate Regis HENRICI accepit donum Turonicæ civitatis ab ipso Rege, unde postea guerra inter eum & Comitem THEOBALDUM adeò ingravata est, quòd inierunt prælium inter civitatem Turonum & Ambasium castrum; in quo prælio ipse THEOBALDUS captus est, & usque ad mille de equitibus suis accepit. Itaque civitatem Turonicam & castella in circuitu Chinonum, & Insulam & Castrum Rainaldi & S. Anianum. Pars autem alia Turonici pagi sibi contigerat possessione paterna.

Post hæc guerram habuit cum GUILLELMO Normannorum Comite, qui postea Regnum acquisivit Anglorum, & fuit Rex Magnificus; paritérque cum Gallis & cum Bituricensibus, & cum GUILLELMO Consule Picta-

Digitized by Google

vorum, & cum AIMERICO Vicecomite Thoarcenſi, & cum HOELLO Comite Namnetenſi, & cum Britannorum Comitibus qui civitatem tenebant Redonenſem, & cum HUGONE Cenomanenſi Conſule, qui exierat de fidelitate ſua, propter quæ omnia bella, & propter magnanimitatem quam ibi exercebat meritò Martellus nominatus eſt, quaſi ſuos conterens hoſtes.

5. In hujus extremo vitæ anno me nepotem ſuum ornavit in Militem in civitate Andegavi, feſtivitate Pentecoſtes, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo, & commiſit mihi Santonicum pagum cum ipſa civitate cauſa cujuſdam guerræ, quam habebat cum PETRO Didonenſe. Ætas autem mea decem & ſeptem erat annorum quando me fecit Militem. In eodem porrò anno Rex HENRICUS obiit in nativitate S. Johannis, & meus avunculus GOFFRIDUS tertio die poſt feſtivitatem beati Martini bono fine quievit: nocte ſiquidem illa, quæ præceſſit diem finis ejus, deponens omnem curam militiæ rerúmque ſæcularium Monachus factus eſt in Monaſterio S. Nicolai, quod pater ejus & ipſe multa devotione conſtruxerant, & rebus ſuis ſuppleverant.

1060. De ſeipſo agit Fulco auctor hujus hiſtoriæ.

6. Honorem itaque ſuum quem ab exteris gentibus defendendo multa tranquillitate ſecurum & opulentum tenuerat, ſub aliquanta tribulatione vexandum dimiſit. Surgente videlicet diſſentione propter eumdem honorem inter me & meum fratrem, quam tribulationem cùm per annos octo protendiſſemus guerram ſæpe facientes, & interdum inducias habentes, cùm etiam fratrem meum de vinculis ubi eum tenueram liberaviſſem juſſu Papæ Alexandri; invaſit me iterum idem frater, ponens obſidionem circa quoddam caſtrum meum quod vocabatur Bracheſac, ubi equitavi contra illum cum illis Proceribus quos Dei clementia mihi permiſerat, & pugnavi cum eo campeſtri prælio, in quo eum Dei gratiâ ſuperavi, & fuit ipſe captus & mihi redditus, & mille de civibus ſuis cum eo: proinde accepi civitatem Andegavæ & Turonum & Lochas caſtrum & Loudunum, quæ ſunt capita honoris Andegavorum Conſulum.

Digitized by Google

Quo tempore hæc scripsit Fulco.

7. Tunc igitur honorem illum 28. annis usque ad terminum illum quo scriptum istud facere disposui: in quibus 28. annis, & in aliis octo qui præcesserunt, si vis audire quæ gessi, prosequere quæ scribo & cognosces quæ facta sunt; sed priusquàm ea referam, volo memorare quædam signa & prodigia quæ in ultimo prædicti temporis anno evenerunt, non solùm nostræ genti pertinentia sed omni Regno Galliæ, sicuti postea res ipsa manifestavit. In eo enim termino exciderunt stellæ de cælo in terram ad malum * grandinis, quos multi videntes admirati sunt, & multo terrore concussi sunt. Quod signum secuta est mortalitas multa hominum per totum Regnum Franciæ, & tempus valde asperum inopiâ victûs: unde etiam in ipsa civitate nostra Andegavi centum de Primatibus nostris obierunt, & magis quàm duo millia minoris plebis.

* *f.* ad modum.

8. In fine cujus anni appropinquante Quadragesima, venit Andegavim Papa Romanus URBANUS, & ammonuit gentem nostram ut irent Jerusalem, expugnaturi gentilem populum, qui civitatem illam & totam terram Christianorum usque Constantinopolim occupaverant. Tunc in Septuagesima dedicata est Ecclesia S. Nicolai ab ipso Papa, & corpus avunculi mei GOFFREDI Martelli translatum de Capitulo in eamdem Ecclesiam. Constituit etiam idem Apostolicus & edicto jussit, ut in eodem termino quo dedicationem fecerat indictum publicum celebraretur unoquoque anno apud S. Nicolaum, & septima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur, unde discedens Cenomanim venit & inde Turonum, ibíque datis venerabili Concilio decretis mediâ Quadragesimâ coronatus est, & cum solemni processione ab Ecclesia S. Mauricii ad Ecclesiam B. Martini deductus, ubi mihi florem aureum quem in manu gerebat, donavit, quem ego etiam ob memoriam & amorem illius in Osanna semper mihi meísque successoribus deferendum constitui. Post cujus decessum in proxima die Palmarum Ecclesia B. Martini concremata est. Ipse autem Papa pervenit Sanctonas, ibíque Pascha celebravit.

Concil. Turon.

Digitized by Google

9. Sequenti autem ætate ex præcepto ejus inierunt iter Jeroſolymitanum non ſolùm populi, ſed etiam Duces populorum, quorum nomina ad evidentiam poſterorum hîc annotata ſunt, HUGO Magnus frater PHILIPPI Regis Gallorum, ROTBERTUS Dux Normannorum, ROTBERTUS Comes Flandriæ, RAIMUNDUS Comes de S. Ægidio, STEPHANUS Comes Bleſenſis filius Theobaldi, GODEFREDUS Lotharingorum, & pater ejus EUSTACHIUS Comes Boloniæ, quorum ſocietati Podienſis Epiſcopus eſt adjunctus, multíque alii magnæ virtutis Proceres & Epiſcopi, quorum nomina ad noſtram notitiam minimè pervenerunt: quorum exercitus in exordio tanti itineris quoſcumque Judæos inveniebant aut ad baptiſmum compellebant, aut morte præſenti deſtruebant. Tendentes itaque Jeruſalem multi per Pannoniam cauſa breviandi itineris, complures per portum S. Nicolai Contantinopolim pervenerunt. Deinde quidam eorum temerè præcedentes alios cum mare tranſiſſent, impetum Turcorum & aliorum Paganorum ſuſtinere non potuerunt: & ex his quadraginta millia interempti ſunt; quorum Duces fuerunt Heremita quidam PETRUS Achirienſis *& GALTERIUS Sine Avero*. Alii verò Proceres cum magna virtute & conſtantia transfretantes venerunt ad civitatem Niceam, quam obſidentes vix tandem ceperunt eam inter multos incurſus Turcorum, qui frequenter eos invadebant, quamvis nihil aliquando proficiebant. Poſtea viam ſuam proſequentes cum Niceam itinere quatuor dierum tranſiſſent, venerunt obviam illis centum & ſexaginta millia equitum Turcorum, cum quibus dimicantes licet copiæ ſuorum populorum admodum eſſent diſperſæ, tamen aſperrimo conflictu prælii ſuperaverunt eos, & multis eorum interfectis, alios multos in campo expulerunt, deinde ſine aliquo impedimento Antiochiam venientes, urbem ipſam, quam populo fidelium ereptam gentiles jamdudum poſſidebant, obſederunt, & à Kalendis Novembris uſque ad menſem Junium ibi permanentes, multa incommoda ſuſtinuerunt ob frequentiam præliorum, quæ &

al. * de Acherio.
**ſans avoir.*

Digitized by Google

ab exteris & à clausis hostibus patiebantur ; unde multi ex utraque parte periclitabantur. Cúmque piissimus & omnipotens Deus populum suum tanta respiceret anxietate sollicitum, tandem consilio cujusdam Turci qui portam unam civitatis custodiebat, eam ingressi sunt, & in ipso ingressu multis & fidelibus & infidelibus interfectis, & urbis Principe Cassio, immensam capientes pecuniam civitate potiti sunt, excepto castro S. Petri ubi Primates Paganorum confugerant, quia ibi summa & inexpugnabilis erat urbis defensio ; qui anno tertio postquam urbe potiti sunt, cùm prædictum castellum obsidere decernerent, obviavit ei innumerabilis exercitus Turcorum & Persarum, qui congregati erant ad liberandam civitatem, & circumdatam eam obsidentes obsessos timuerunt, ubi decem & octo diebus eos opprimentes tanta afflictione constrinxerunt, ut non solùm carnem equorum & asinorum comederent, sed etiam coria dudum mortuorum animalium pro deliciis haberent. Nec mirum, quia & magnus erat populus Christianorum, & in civitate nimis de . . . . . erat copia ciborum. Denique piissimus JESUS eorum afflictione & frequenti lamentatione ad misericordiam erga populum . . . . *Cætera desunt in apographo.*

Digitized by Google

GESTA
CONSULUM ANDEGAVENSIUM,
Auctore Monacho Benedictino Majoris-monaſterii.

Ex MS. cod. S. Lauai Andegav. à D. d'Herouval communicato.

DOMINO Henrico Regi Anglorum, Duci Normanorum, Comiti Andegavorum, Turonorum & Cenomannorum, Principi Aquitanorum, Duci Guvaſconum & Arvernorum, Duci etiam Britonum; Frater Majoris Monaſterii humillimus Monachorum, & pars ima Clericorum, pacem cum gaudio, vitam, ſalutem & ſanitatem ab eo qui dat ſalutem Regibus.

Hiſtoriam ſive geſta Andegavorum Conſulum anteceſſorum tuorum ex multis doctorum ſcriptis excerpſi, & in uno corpore voluminis compilavi. Licet quidam ante me breves chronicas ſcripſerit, & in proæmio ipſas præcedente hujuſmodi verba præmiſerit de Conſulibus Andegavorum: quæ ſcripta nimis confuſo rudíque ſermone reperi, quamveriſſimè potero paucis verbis breviter & commodè enucleabo. Nos autem moderni antiquorum æmuli cùm vita noſtra brevis ſit, memoriam eorum quam maximè longam efficere debemus, quorum virtus clara & æterna habetur. Intentio igitur noſtra eſt vitam, mores, & actus anteceſſorum tuorum Andegavorum Conſulum in propatulo demonſtrare, ut ex ipſis quoddam ſpeculum tibi conſtituas, ſtudiúmque tuæ ſinceritatis ammonere curamus, ut non ſolùm audiendis Scripturæ ſanctæ verbis aurem ſedulus accommodes, verùm etiam noſcendis priorum geſtis, ſive dictis, & maximè

Digitized by Google

antecessorum tuorum Andegavorum Consulum virorum illustrium diligenter impendas. Sive enim historia de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor sollicitus instigatur; seu mala commemorat de pravis, nihilominus religiosus ac pius auditor sive lector devitando quod noxium est ac perversum, ipse solertiùs ad exequenda ea quæ bona sunt ac quæ Deo digna esse cognoverit, accenditur, quod ipsum te quòque ut vigilantissimè deprehendas, ammonemus. Historiam memoratam in notitiam tibi, simul & eis quibus regendis Divina te præfecit auctoritas, maximè Andegavensibus, Turonensibus, Cenomanensibus ob generalis curam salutis latiùs propalari desidero.

Quibus Auctor hujus historia sumpserit Scriptoribus ostendit.

Ut autem in his quæ scripsimus vel tibi, vel ceteris auditoribus sive lectoribus hujus historiæ, occasionem dubitandi subtrahamus, quibus hæc auctoribus didicerim breviter intimare curabo. Vera enim lex historiæ est simpliciter id quod fama vulgante colligitur, scribendo posteris notificare. Primus scriptor extitit THOMAS Luochensis, qui breves chronicas nomine ODONIS Abbatis intitulatas, ut ab ejus ore audivi, repentè*, & multa quæ fama vulgante cognovit, addidit. Secundus extitit ROBINUS, & BRITO Ambaciacensis *, qui ipsas chronicas emendaverunt: & quædam, vt viva voce ab ipsis audivi, addiderunt. Tertius ego ex multis historiis multa addidi & ad auctoritatem historiæ & studium audientium sive legentium nomina auctorum annotare curavi. Primò ex historia Francorum nonnulla. Secundò ex historia GLABELLI* Rodulfi multa. Tertio ex chronicis GAUFREDI Bechini aliqua. Quartò ex dictis Magistri ROBINI* quædam necessaria. Quintò ex scriptis GAUTERII Compendiensis Majoris-Monasterii Monachi non negligenda. Hæc ego dum in abditis voluminibus inveniissem scripta, non sum perpessus infructuoso silentio tegi, sed ea compilavi ad honorem Andegavorum Consulum dominorum nostrorum, & ad utilitatem audientium, & instructionem morum nostrorum, domine mi Rex, scilicet ut ex bonis bonum sumas exemplum

f. * rescripsit.

f. * Ambaziacensis.

al. * Glabri.

An. * Roberti.

Digitized by Google

plum & meliorem exitum, & ex malis malum caveas introitum sive incessum, ne incidas in eorum pessimum finem vel exitum.

Nunc igitur, si placet, in fine nostri proæmii eorum omnium vel singulorum exempla, facta vel dicta breviter prænotemus. Nesciunt enim facta priorum præterire cum sæculo, quin omnes secum præsentes habeant, & secum quodammodo sentiant commorari quibus eos relatio pervexerit lectionis. Sicut enim Apostolus justorum catalogum summa brevitate contexens, ab Abel incipiens insignium virorum pergit narrare virtutes; etiam ille fidelissimus Matthathias morti gloriosè appropinquans, filiis suis hereditario jure Sanctorum * exemplа distribuit: sic nos tibi exempla antecessorum tuorum proponimus, ut si quæ bona sunt in te *nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias*. Si quæ verò corrigenda sunt corrigas, ne tibi illud propheticum contingat: *Viri impii & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Si verò Deum timueris, & matrem tuam ejus sponsam, pro qua sanguinem suum fudit, Ecclesiam videlicet dilexeris, audies per Salomonem. *Timenti Deum, bonum erit in extremis: in die defunctionis suæ benedicetur.*

al. * factorum.

Oratio Eccles. in Dominica 6. post Pentecosten.

TORQUATIUS *seu* TORTULFUS.

1. In isto cùm grandis esset natu, arma senectutis, scilicet artes exercitationésque virtutum mirificos fructus effecerunt, & conscientia bene actæ vitæ, multorúmque beneficiorum recordatio ei jucundissima fuit. Iste doctus erat hostem ferire; humi quiescere, inopiam & laborem tolerare; hiemem, æstatem juxta pati; nihil præter turpem famam metuere. Hoc profectò constat, quòd acer ingenio fortunam suam, & rerum tenuitatem animi amplitudine supervadens, majora se cupere & aggredi ausus sit. Hæc ergo & similia faciendo nobilitatem sibi & suo generi peperisse fertur. Iste genuit Tertullum qui primus ex progenie Andegavensium Comitum per antiquos genealogiæ illorum relatores computatus est.

Epitome hist. Comitum Andegav.

Digitized by Google

TERTULLUS.

2. Iste à Rege CAROLO Calvo Senescalcus Gastinensis pagi constitutus est. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium benevolus redderet. Inimicos rationabilis repelleret, servos mansuetus & severus corrigeret atque regeret, patrem omnium Deum diligens coleret, sublimioribus potestatibus carissimus fieret. Cujus rei gratiâ, crescente per singulos dies fama ejus, & consulendi & gubernandi quamplurimos accepta potestate clementer utitur, & neminem lædere pro ingenita sibi bonitate desiderat.

INGELGERIUS.

3. Hic juvenis alacer, miles optimus, patris virtutem non solùm æquiparans sed etiam superans, beneficia ampliora acquisivit: facta fortiora manu sua gessit. Qua de re apud Landonense * castrum patris casamentum valde augmentatum est. Rex verò Vicecomitatum Aurelianensis civitatis in casamentum ei donavit. Deinde apud Turonos regiam præfecturam assecutus, terram illam à Normanis viriliter defendit. Datus est ei & dimidius Comitatus Andegavis civitatis ad defendendam regionem & urbem, sævísque prædonibus oppositus est, & Comes ibi factus.

*Chasteau-Landon.

FULCO RUFUS.

4. Iste similia patris ausibus, aut etiam majora adversus impugnatores exercuit: integrum Comitatum, qui priùs bipartitus erat, recepit. Nec minora ibi quàm sperabatur operatus est. Gravia verò bella, insignésque victorias contra hostes factitavit. Nam ipse audax patiens erat inediæ, algoris & vigiliæ, sed tamen ardens in cupiditatibus. Varius cujuslibet rei simulator ac dissimulator extitit: vastus animus ejus immoderata ac incredibilia sæpe faciebat.

FULGO PIUS.

5. Iste fuit pacifici, tranquilli & mitis ingenii. Optimus iste sua beneficia laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat. Boni ipsius mores domi & militiæ

Digitized by Google

colebantur. Jus bonum, concordia maxima, nulla avaritia in ipso erat. Ipse Christum portavit in speciem leprosi à portu Evurdonis usque in porticum Beati Martini castri novi. Iste cùm in choro Beati Martini esset ut Canonicus, & caneret cum ceteris, Regi Franciæ, qui tunc fortè aderat, & eum cum suis commilitonibus deludebat, litteras hujusmodi formam habentes misit: Regi Francorum Comes Andegavorum: Noveritis, domine, quia Rex illiteratus, est asinus coronatus.

GAUFRIDUS GRISAGONELLA.

6. Iste militiæ peritus pectore & brachio, vir in re militari efficacissimus, in multis expeditionibus approbatus fuit. Strenuitas in eo specialiter præfulgebat, clementia in eo florebat, dapsilitatem unicè diligebat, hostibus hostiliter inimicabatur, suis viriliter patrocinabatur: quæ omnia præcipuè optimos Principes decent. Qui ob insignia summi & singularis meriti à Rege in præliis signifer, & in coronatione Regum Dapifer, tam ipse quàm ejus heredes constituuntur.

MAURICIUS.

7. Iste vir prudens & honestus, bonorum & pacis amator, plus sapientia quam bellis Consulatum pacificè tenens. Suis certis parentibus & verâ amicitiâ sibi conjunctis multa beneficia contulit; superiores exæquare se eum inferioribus amicis aliquando debere; inferiores verò non dolere se à suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari affirmabat: & hac opinione multos ex suis elevans ad ampliſſimos honores perduxit. Ipse peritus in causis, oratoriis ornamentis sibi adhibitis, audaciùs ceteris eloquens vir in Curiis loquebatur, & quæ esset erudita quæ popularis oratio edocebat.

FULCO NERRA.

8. Iste alter Cæsar beneficiis, munificentia, mansuetudine, misericordia, dando, sublevando, egenis & oppressis ignoscendo, magnus habebatur. In eo miseris refugium, negotiis amicorum intentus sæpe sua negligebat. Qui etiam in animum induxerat laborare,

Digitized by Google

vigilare, nihil denegare quod dono dignum esset. Magnum imperium, bellum novum, ubi virtus enitescere posset exoptabat.

GAUFRIDUS MARTELLUS.

9. MARTELLUS præ omnibus generis sui animosior, consilio & impetu ordinato negotia sua agebat. Cui cùm diceretur: Malè de te loquuntur homines, aiebat: Faciunt quod solent non quod mereor, bene enim loqui nesciunt. Ipse augmentavit honorem suum, Comite THEOBALDO bello devicto & capto, & pro redemptione ejus Turonensem Comitatum recepit. Consulem etiam Pictavensem GUILLELMUM prælio subactum & captum obtinuit, & Santonicum Consulatum, quod antecessorum suorum fuisse dicebat, recepit.

GAUFRIDUS BARBATUS.

10. Iste cupidus & avarus, crudelis & superbus, non Deum timens nec homines reverens; manus ejus contra omnes & manus omnium contra eum. Iste insurrexit contra locum sanctum Majus Monasterium à Beato Martino antiquitus ædificatum; sed Deus qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, cui semper humilium & mansuetorum placuit deprecatio, qui etiam semper est in Sanctis suis mirabilis, pro suis fidelibus dignatus insigne miraculum operari. Postquàm enim Barbatus contempsit interceſſionem BARTHOLOMÆI Majoris-Monasterii Abbatis & Monachorum, parvo intervallo posito, frater ejus FULCO nomine adversus eum cum manu valida exurrexit, eúmque captum & ab honore privatum, per multos annos in captionem detinuit. Ibíque diu afflictus & Divina ultione datus etiam in reprobum sensum, vixit postea triginta annos, in hac captione etiam hostibus miserandus, sícque defunctus est.

FULCO RECHIN.

11. Licet in juventute strenuus FULCO haberetur, ad annos viriles veniens gulositati, ebrietati, libidini, inertiæ & pigritiæ subjacuit. Quamobrem nec ipse

Digitized by Google

justitiam, nec alii per ipsum vel pro ipso faciebant, sed magis contra justitiam: in Andegavensi & Turonensi solo multi insurrexerunt raptores vel deprædatores, mercatorum euntium & redeuntium debilium disturbantes negotia. Qui sicut frater ejus Barbatus malè incepit, pejùs vixit, pessimè vitam finivit.

GAUFRIDUS MARTELLUS.

12. Iste FULCO ex secunda uxore sua ERMENGARDI, filia ERCHENBAUDI de Borbone, Gaufredum Martellum secundum generavit. Iste duodecimus in numero Consulum non tantùm post patrem quantum cum patre, nec dico super patrẽ, sed pro patre imperavit. Iste vir admirabilis, justitiæ insignis, totius boni cultor, qui terror omnium inimicorum fuit. Qui adultus juvenis, prudens & animosus, videns terram turbatam & Proceres totius Consulatus contra patrẽ cornua erigere, eis viriliter resistebat: & quomodò patrem & suos ulciscereturirrequietus cogitabat. Qui omnibus prævaluit, & ab intentione eos revocavit: prudenter verò negotia sua agebat. Non multo pòst insidiis novercæ, patre ut ferunt consentiente, Cande castro occisus est.

FULCO NERRA.

13. Iste vias patris & matris deserens, honestam vitam ducens, prudenter terram suam rexit. Vir honestus, armis strenuus, fide Catholicus, & erga Dei cultores benevolus, adeptis duobus Consulatibus Andegavensi & Turonensi, tertium cum uxore sibi adjunxit, Cenomanicum videlicet. Amicos exaltans, malignos & sibi adversarios opprimens, gloria & optima fama impar nulli in brevi effectus est. Cùm autem Andegavensem, Turonicúmque Cenomanicúmque Consulatum in prosperitate regeret, in Regnum Ierosolymitanum eligitur, filiæque Regis Bodoini matrimonio copulatur. Ipse verò quandiù advixit, Regnum viriliter rexit. Damascenos Ascalonitas sibi tributarios effecit, diúque antequàm Raimundus filiam Boamundi duceret, Antiochenum Principatum maximo labore contra

Digitized by Google

Turcos absque ullo damno manu tenuit. Ipse verò cùm ad senilem veniisset ætatem, vir bellicosus obiit.

GAUFRIDUS BELLUS.

14. Fuit iste probitate admirabilis, justitia insignis, militiæ actibus deditus, optimè literatus, inter Clericos & Laïcos facundissimus, in consilio providus, statura procerus, vultu decorus, ferè omnibus bonis moribus repletus; & quamvis multas tribulationes à suis sit perpessus, tamen ab omnibus est dilectus. Ipse nimio calore urgente balneo cujusdam fluvij usus, febri acuta occupatus, apud castrum Ledi pervenit, ibíque non sine dolore suorum interiit. Quid mirum si mors quidem, adversante & repugnante natura, Gaufrido adolescenti contigit, cùm teste Tullio adolescentes sæpè mori videantur, sic cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, & quasi poma ex arboribus cruda si sint vi avelluntur, si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufers, senibus maturitas. Iste ex uxore sua MAHILDE tres filios genuerat, Te dominum meum Regem, & GAUFREDUM, & WILLELMUM pueros speciosos & ab avorum probitate non degenerantes.

HENRICUS *Rex Anglorum &* COMES *Andegavensis.*

15. Tu quintus decimus in antecessoribus tuis, Comitibus videlicet Andegavorum, qui mortuis fratribus tuis Monarchiam tenes, Deo opitulante filiis tuis feliciter divisurus. De te qui te diligunt mecum dicere possunt; habeas salutem & sanitatem ab eo qui dat salutem Regibus. Tu solus consiliarios patris tui familiaritate & sodalitate perenniter servas. Vir namque es in adversis constans, in dubiis fidus, in prosperis modestus, in habitu simplex, in sermone communis, in consilio præcellens, amicitias probatas obnixè exples, constanter retines, honestè exerces, adulantium dicta tardè credis, celeriter deponis. Severis patribus comparandus, qui juvenum filiorum non tam cogitas vota, quam commoda. Tuis magis prodesse quàm placere studes. Tu per omnia similis Catoni, integritate vitæ pecuniam

Digitized by Google

bonis largiendo gloriam adeptus es. Tu es pernicies malorum: constantia tua valde laudatur: Tu scis parcere subjectis, & debellare rebelles. In te studium modestiæ & decoris, & maximæ severitatis est. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certas esse, quàm videri, bonus mavis. Vale domine mi Rex, & cum filiis tuis crescentibus prosperis ad vota successibus polle.

Vive, precor, sed vive Deo, Nam vivere mundo
Mors est: sed vera est vivere vita Deo.

Digitized by Google

CAPUT I.

De TORQUATIO *sive* TORTULFO.

Quæ supra uti proœmii retulit Auctor : nunc suam texere historiam incipit.

1. FUit vir quidam de Armorica Gallia nomine TORQUATIUS; genus cujus olim ab Armorica jussu MAXIMI Imperatoris à Britonibus expulsum est. Iste à Britonibus proprietatem vetusti ac Romani nominis ignorantibus corrupto vocabulo, Tortulfus dictus fuit; quem CAROLUS Calvus eo anno quo ab Andegavis & à toto Regno suo Normanos expulit, illius foreſtæ quæ Niduſmeruli nuncupatur foreſtarium constituit. Sicut enim complures referunt, genus suum nolentibus Britonibus, diu in nemoribus vixerat. Is verò in pago Redonico oriundus, habitator rusticanus fuit, ex copia silvestri & venatico exercitio victitans, hujusmodi homines, ut aliqui dicunt, Britones Brigrios vocant, nos autem Franci Birsarios*, sive Pedicarios dicimus. Sunt alii qui hunc magis volunt in vulgaribus locis cum Redonicis habitasse. Utralibet ancipitis opinionis pars verior existat non multum refert, quia nec ipsi relatores valde inter se differunt. Nec mirum, sæpe enim legimus quondam in agris extitisse senatores, & ab aratro raptos esse Imperatores. In isto cùm planè grandis esset natu, arma senectutis, artes exercitationésque virtutum mirificos fructus effecerunt, & conscientia bene actæ vitæ, multorúmque beneficiorum recordatio ei jucundissima fuit.

al. * Bearicarios, Vvaudricarios.

CAPUT II.

De TERTULLO.

Primus Andegavensis Comes.

1. ISte autem Torquatius sive Tortulfus genuit TERTULLUM qui primus ex progenie Andegavensium Comitum per antiquos genealogiæ illorum relatores computatus est : tempore enim Caroli Calvi complures novi atque innobiles, bono & honesto nobilibus

Digitized by Google

libus potiores, clari & magni effecti sunt. Quos enim appetentes gloriæ militaris conspiciebat, periculis objectare, & per eos fortunam temperare non dubitabat. Erant enim illis diebus homines veteris prosapiæ, multarúmque imaginum, qui acta majorum suorum non sua ostentabant: qui cùm ad aliquod grave officium mittebantur, aliquem è populo monitorem sui officii sumebant, quibus cùm Rex aliis imperare jussisset, ipsi sibi alium Imperatorem poscebant. Ideò ex illo globo paucos secum Rex Carolus habebat: novis militaria dona & hereditates pluribus laboribus & periculis adquisitas benignè præbebat. Ex quo genere fuit iste Tertullus, à quo Andegavorum Consulum progenies sumpsit exordium, vir doctus hostem ferire, humi requiescere, inopiam & laborem tolerare, hiemem & æstatem juxtà pati, nihil præter turpem famam metuere. Hoc profectò constat, quòd Tertullus quidem acer ingenio, fortunam suam & rerum tenuitatem, animi amplitudine supervadens, majora se cupere & aggredi ausus sit. Hæc ergo & similia faciendo nobilitatem sibi & suo generi peperisse refertur.

2. Etenim circa id temporis, quo Carolus Calvus Lodovici Filius, Caroli Magni Imperatoris nepos, ex Tetrarcho Monarchus* factus, non longo regnavit spatio, prædictus Tertullus paternæ possessionis relinquens angustias, & per confidentiam strenuitatis volens & sperans se exaltari, ab Occidentalibus finibus progressus in Franciam abiit, & clientelam Regis militaturus adiit. Idipsum tunc alii quamplurimi militaris fortitudinis sibi conscii faciebant, qui & fama & honoribus avidi per suam virtutem cupientes excrescere, ex diversis partibus terrarum eodem confluebant, præsertim Regis munifici bonitate invitati, & temporis opportunitate incitati. Siquidem prædictus Rex Carolus post diutinas dissensiones, post gravia bella contra fratres gesta, tandem omnium illorum & victor & superstes, avitæ quoque probitatis ac gloriæ æmulator, aut etiam supergressor totis nisibus disponebat existere. Nec multum

*Tetrarcha Monarcha.

Digitized by Google

abforet, quin vota compleret, nisi vitæ brevitas occurrisset. Nam universa Regni reique publicæ detrimenta, quæ per præteritas cum fratribus suis discordias incurrerant, mirabili sapientia ac bonitate emendare festinabat. NOMENOÏ verò Pseudo-régis Britonum tyrannidem, ipso per Dei & per sanctorum ejus voluntatem, præcipuè per beati Florentini auxilium potenter oppresso, destruxerat, aliorum quoque multorum perfidias hostium domuerat. Nam semper Dominus in sanctis gloriosus & mirabilis, glorioſior mirabiliórque ostenditur, cùm per ipsos mirabilia operatur. Normannorum hostilitatem, qui limbum illum nostræ Galliæ, qui oceano contiguus est, devastaverant, insùper & violenter possidere, sicut postmodum factum videmus, affectabant, illorum verò violentiam ulcisci, & eam ad nihilum reprimere CAROLUS apparabat. Ea de causa undecumque viri militares ad eum veniebant, quos ille sibi adsciscens & caros habens, ita quemque magis diligens honorabat, sicut potiorem in fidelitate & fortitudine compererat.

3. Inter quos TERTULLUM, de quo agimus, ob merita sua carum habens, uxorem ei cum aliquanto beneficio in Landonensi Castro tribuit: nec non & in aliquibus terris tam in pago Gastinensi quàm in locis aliis per Franciam casatum fecit. Sed ipse Rex interim maxima dispositionum suarum parte interrupta, subitò neque Regni, sicut cogitaverat, destructione ad perfectum restituta, vel pacis quiete ordinata, heu proh dolor! ad calamitatem postmodùm in Francia tanto tempore permansuram secundùm Dei permissum, in cujus manu sunt potestates & regna, regibus mundanis morte præpostera, præveniente morte subtractus est, filium quidem in regno reliquit appellatum LODOVICUM qui ab avo suo * supradicto tantummodò vocabulum retinuit. Is nempe & ab avita & à paterna, & omnino à tota Regum antecessorum probitate degenerans adeo inutilis vixit, ut cognomen pro meritis inertiæ assumeret Nihil fecit *. Hujus miserrimini tempore principatus Nor-

AN. CHR. 875.

* Ludovico Pio Imp.

al. * Nihil faciens.

Digitized by Google

mani aliíque quilibet homines malæ & tyrannicæ voluntatis, in malitiam resumptis viribus impunè exarserunt, & per multa tempora sicut in terra rectore destituta debacchati sunt.

4. Normani anterioris pervasionis & devastationis suæ limites crudeliùs latiúsque prætergressi, Neustriæ atque Aquitaniæ magnam partem rapinis, incendiis cædibúsque depopulati sunt. Isti verò terram usque Parisius & Aurelianis devastaverunt, adeò ut ubi quondam agri opulentissimi urbésque speciosissimæ fuerant, nunc bestiarum aviúmque vasta habitacula sint, & ubi seges voluptuosa pollebat, è contrario. Danorum irruptio.

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

5. Sic super Ligeris ripas omnia vastantes Ambaziacum pervenerunt. Quod oppidum cum paucis defensoribus repertum, citò capientes, totum succenderunt, pontémque Ligeris diruerunt. Ecclesias, unam quæ erat extra Ligerim in introitu pontis, & aliam in loco qui Luat dicitur sitam, omninò destruxerunt. Qui in planitie propè Ambaziacum locum qui Nigroam dicitur multo sanguine innocentium captivorum fœdaverunt. Quod ætate Ludovici Balbi cognomento Nihil fecit actum est. Quod stultitiâ Ambaziacensium contigit, qui cum vicinis populis obviam Normannis, processerant, putantes eis nocere; qui à Normannis aliâ viâ incedentibus decepti, castrum proprium amiserunt. *f.* * Ambaziam diripiunt ac vastant.

6. Vastatis itaque agris inter Carum & Ligerim, destructo etiam lapideo ponte blirei, cùm ultra non reperirent quod diripere possent, collectis armatorum copiis ad urbem Turonicam iter dirigunt. Omnia verò quæ in suburbio civitatis invenire potuerunt, facta priùs miserabili hominum cæde, demoliti sunt. Porro Turonici trepidare, concurrere, portas obserare, turribus se inferere, propugnacula armorum apparatu munire non cessant. Hostes portas urbis multo turbine quassantes, toto nisu ingressum urbis sibi pollicebantur. Tunc Clerici qui ibi aderant, juncto sibi totius nobilitatis agmine rapido cursu ad Ecclesiam convolantes cla- Turones obsidentur. Cives S. Martini implorant auxilium.

Digitized by Google

mabant: *Sancte Dei Martine quare tam graviter obdormisti? Ostende, quæsumus, pietatem; succurre, fer opem miseris, alioquin & nos peribimus, & civitas nostra redigetur in solitudinem.* Qui ex sepulcro Beati viri raptam cistellam, in qua sacratissimæ Martini Reliquiæ servabantur & cuniculus ille, quem Clerici ob pericula submovenda reliquerant, portæ urbis jam multo turbine hostium quassatæ intulerunt. Tunc verò oppidani qui paulo ante metu propinquæ mortis exterriti fuerant, mox præsentiâ tantæ opitulationis animati, corporis & animi vires resumpserunt. Danis è contrario stupor vehemens incussus est, post stuporem formido & mentis alienatio obrepsit; deinde fugam conari videres, & cùm alter ab altero impediretur ac si per glaciem currerent præcipites labi. Igitur oppidani Christum sibi per Martini preces propitium sentientes, eruptione facta persecuti sunt inimicos, ex quibus ferè mille interfecerunt. Sícque glorificantes Dei misericordiam qui eis inopinatam victoriæ palmam dederat, Reliquias beati Martini in locum suum restituerunt. Ea propter igitur Synodo celebrata auctoritate Archiepiscopi & Episcoporum qui convenerant statutum est, ut singulis deinceps annis per universam Diœcesim subvectionis hujus festum, quarto Idus Maij sollemniter celebretur; quæ nullo alio nomine rectiùs quàm Subventio censetur.

f. * funiculus

Aufugiunt Dani.

Synodali decreto festum subvectionis sive subventionis S. Martini institutum.

CAPUT III.

De INGELGERIO *primo, Comite Andegavensi.*

1. CIrca id tempestatis mortuo Tertullo in Francia, filius ejus nomine INGELGERIUS hereditates ipsius possidens remansit, sub CAROLO Calvo tamen generatus. Namque Tertullus nobilem duxerat uxorem Ducis Burgundiæ filiam, nomine PETRONILLAM, quæ hunc puerum genuit. Hic itaque prædicto Lodovico præsente Miles efficitur. Qui juvenis alacer, Miles optimus, patris virtutem non solùm æquiparans,

Digitized by Google

sed etiam superans, beneficia ampliora adquisivit, facta fortiora & audaciora manu sua gessit. Namque ipse admodùm juvenis quamdam nobilem matronam sibíque matrem spiritualem ex baptismo, pagi Gastinensis dominam, de mactatione viri sui & adulterio falsò impetitam, cui hujus criminis causâ ejus inimici sua omnia auferre volebant, iste monomacho certamine contra accusatorem dimicans, eo occiso, illam dominam defendit ac liberavit. Quo facto à tota illius progenie & ferè ab omnibus nobilibus, de crimine tam nobilis dominæ dolentibus, nimis dilectus apud Landonense castrum patris Casamentum ei valde augmentatum est, ut sermo subsequens declarabit.

2. Erat quidam Landonensis castri sive Gastinensis pagi Consul, nomine GAUFREDUS, qui diu absque herede masculo vixit, solam unicam filiam habens nomine ADELEM, quam Regi prædicto Lodovico cum omni Consulatu in tutelam reliquit. Habebat autem tunc temporis Rex Paranymphum sive Camberlanum, nomine INGELGERIUM, corpore pulcrum, moribus strenuum, & in omnibus sagacissimum. Qui tamen filius vassalli patris supradictæ puellæ fuerat. Quem Rex valde diligens, & ejus probitates remunerare cupiens, prædictam puellam, quæ jam adoleverat, & ad annos pubertatis pervenerat, cum Landonensi castro & cum omni Consulatu Gastinensi copulare cupiebat, qua de re prædictam puellam vocavit, & ad hujus rei assensum verbis quibus potuit provocavit. Illa autem verbis matura & moribus id Regi submisso vultu respondit, Domine mi Rex, non decet, nec justum est hominem meum vel patris mei Vassallum mihi superponere. Rex verò ad præsens siluit, & Reginæ & sodalibus ejus intimavit, ut animum ejus ad hujus rei assensum inclinarent: quod cum magna difficultate post longum tempus factum est. Rex autem latenter & insçios Barones totius Consulatus Aurelianis venire fecit, prævenítque eos in negotio ut quidquid de copulatione dominæ eorum faceret ipsi concederent. Illi autem licet graviter

Digitized by Google

ferrent, tamen in potestate Regis omnia dimittentes concesserunt. Rex autem inquit ad eos: Quando hoc concessistis, Ingelgerium Senescallum meum in dominum suscepistis: venite ergo ad donationis confirmationem, ad benedictionem & ad nuptiarum celebrationem domini dominæque vestræ, & facite legationem eis: quod & factum est. Celebratis igitur ex more nuptiis, dominum dominamque Landonensi castro deduxerunt, totúmque Gastinensem Consulatum in pace possederunt. Sed ferè decem annis simul habitantes, absque herede vixerunt.

Ingelgerius Adelam Comitissam ducit uxorem.

Obiit absque hærede.

3. INGELGERIUS verò Consul in graves infirmitates cadens, videlicet focositatem, phthisim & hydropisim, non diu supervixit, sed subitò & insperatè nocte in lecto suo inventus est suffocatus ab infirmitate. Quod multi audientes & graviter ferentes, dominam ADELAM Comitissam mactatione viri sui & falso adulterio impetebant, maximè quidam Præfectus eorum nomine GUNTRANDUS, parens Ingelgerii. Quamobrem Rex de nominato die in curia Landonensis castri cum sapientioribus Regni & Baronibus Gastinensis pagi ad tam enormem ventilandam causam advenit. Cùm autem ad curiam ventum esset, primus GUNTRANDUS Præfectus cum suis complicibus querimoniam fecit de tam subita morte INGELGERII Consulis, & dominam Adelam Comitissam impetebat, & causâ sui adulterii eum manibus suis vel suorum suffocatum & transgulatum fuisse, & hanc rem probandam monomacho certamine. Illa autem è contrario verbis & operibus, judicio & sacramento protestabatur se purgandam. Rex verò locutus consilio adjudicavit unum ex suis surgere, & duelli certamine eam purgari debere. Parentes verò ejus licèt multùm nobiles essent, actibus & ictibus comprobati; Guntrannum tamen timentes qui vir bellator ab adolescentia sua erat, subtraxerunt se & distulerunt eam defendere. Illa clamans & ejulans exponebat se sacramento & quolibet judicio.

Adela falsò accusatur adulterij & homicidii.

Ingelgerius

4. INGELGERIUS autem juvenis, filius TORTULFI,

Digitized by Google

videns matrem suam ex baptismo undique desolatã, & ab inimicis circumvallatam, dolore cordis tactus intrinsecus ad pedes Regis cecidit pronus. Qui à circũstantibus Regis visu elevatus est lacrymis profusis & vultu demissus. Quæsitum est cur tam dejecto vultu & humili habitu incederet: qui respondisse fertur: Doleo dominam & matrem spiritualem sic ab inimicis circumvallatam, & ab omnibus parentibus suis desolatam & viduatam: sed unam petitionem peto à te, Domine mi Rex, ut concedas mihi contra dominæ meæ inimicum monomacho certamine dimicare; & ecce vadimonium meum. Rex autem cognoscens Guntrannum virum esse fortissimum viribus bellicosum ab adolescentia, Ingelgerium autem delicatum, & necdum exercitatum, utpote juvenem, videlicet sexdecim annorum, timuit de Ingelgerio quia valde eum diligebat. Tortulfi filius eam duello defendit.

5. Ingelgerius verò sciens longam infirmitatem domini sui, sicut qui nocte dieque ei servierat, & legitimam conversationem dominæ suæ, lætus & alacer exspectabat diem prælii. Jam advenerat dies certandi institutus: mane autem surgens, arma sua per pueros suos direxit in campum, ubi Rex agonistas spectare solebat. Ipse autem cùm ad Ecclesiam orandi gratiâ pergeret, habuit pauperem obvium, & quid ei largiretur ampliùs non habuit, quàm unum trientem; nam & si fuerant, in simile opus abierant. Venit ei in mente Propheticum illud: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in manus inimicorum ejus.* Dato triente, ingreditur Basilicam, & præmissa oratione vexillo crucis se munivit, quod est armatura Dei. Comitissa verò, pro cujus legitima causa certabat, dedit ei commonitorium suum dicens: Certate, mi filiole, confidens in adjutorio Dei, & in mea legitima causa, quia ipse adjutor tuus erit in opportunitatibus & in tribulatione. Fidus de sua justitia, & de Domini justo judicio imperterritus & festinus ad certamen pergebat. Ut autem ventum est in Martio campo, juratis sacramentis, adscensisque equis, urgentes utrinque Psal. 40. 1.

Digitized by Google

corni pedes laxis habenis unus alterum aggreditur. GUNTRANNUS autem extensâ hastâ cum gladio perforavit scutum Ingelgerii, consuítque eum cum anteriori parte loricæ, & posteriori levíque vulnere in latere sauciavit, sed non letaliter: nec staphium vel suppedaneum ferri sellæ equinæ perdidit, nec in modico titubavit. Ipse verò perforato scuto Guntranni, per pectus gladium infixit, ita ut inter duas scapulas egrederetur, & sic per posteriora equi resupinus in terram ruit, ut perjurus & testis falsus. Videns Ingelgerius inimicum suum ruisse, statim ut promptus & agilis ensem traxit, & partem hastæ quæ de foris scutum excedebat præcidit, remissóque ense in vagina manum dexteram retrò jecit, partemque hastæ, qua confutus cum lorica fuerat, viriliter abstraxit, sícque de equo agiliter descendit, extractóque ense super inimicum suum irruit, ablatáque galeâ capitis & thoracis abstulit caput ejus cunctis videntibus: sícque se Regi incolumis præsentavit. Tunc Rex gaudio gavisus ait ei: Gaude, fili, quia Deus pugnavit pro te cujus auxilium postulasti: completum inimico tuo est quod scriptum est: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et, *Testis falsus non erit impunitus.*

Ps. 142. 12.

Prov. 19. 5

Adela à falso crimine liberata mundum contemnit atque in Monasterium se recepit.

6. Domina autem ADELA Comitissa à falso crimine liberata ad pedes Regis cecidit prona: jussu autem Regis elevata, hanc petitionem petivit à Rege dicens: Nolo, inquit, domine mi Rex, ampliùs in mundo conversari, sed cum ancillis Deo servientibus in Monasterio volo sociari: sed priùs de terra mea quis potissimùm heres post me fiat per manum vestram & per manus Baronum Franciæ & Gastiniæ antequàm disgregentur volo cognoscere. Vidistis enim quàm malefidi amici & parentes mei, quantum adjutorium & quantum succursum in tanto discrimine præstiterunt. Vidistis etiam non carnalis propinquus, sed tamen ex baptismo filiolus INGELGERIUS quantum periculum pro me liberanda subivit. Volo ut judicio vestro diffiniatur, quis potissimum heres terræ meæ habeatur; parentes, qui causam meam non defenderunt nec periculum subierunt; an INGELGERIUS,

Digitized by Google

GERIVS, qui causam suscepit & periculum subivit.

Gastinensis Comitatus Ingelgerio confertur à Rege.

7. Rex autem locutus cum consilio, ait: Parentes ADELÆ Comitissæ Gastinensis adjudicamus exsortes hereditatis ejus, quia fuerant periculi inexpertes; Ingelgerium autem qui pro ea pugnavit & periculum subivit, licèt non sit carnalis propinquus, sed spiritualis filius, heredem terræ illius judicamus, sicut filium matris. Sicut enim fuit socius tribulationum, sic debet esse possessionum. Post hanc vocem Regis exclamaverunt omnes qui aderant, rectum judicium judicasse Regem. Tunc Rex eum saisivit de castro Landonensi & de Consulatu Gastinensi; INGELGERIUS verò homagium & ligationem Regi coram omni curia fecit. Barones verò Gastinensis pagi præcipiente Rege homagium & ligationem Ingelgerio fecerunt: & terram suam de manu ejus susceperunt.

8. Postea verò illi Rex prædictus Vicecomitatum Aurelianensis civitatis in casamento donavit. Deindè verò apud Turonicos regiam præfecturam assecutus, terram illam à Normannis viriliter defendit; ibíque ipse sapienter ac justè officium commissum procurans, Turonensium Nobiles, atque Pontifices ADALAUDUS & RAIMO ambo germani fratres *, & ex Aurelianensi urbe nobiliter nati cives, neptem suam DELENDIM ei in conjugium copularunt, tradentes ei cum puella per auctoritatem Regis & Optimatum patrimonia sua, quæ eis in Aurelianensi pago & Turonico hereditate legitima proveniebant. Nam alodium cognationis eorum erat Ambazium villa, tunc tantummodò & in colle habens ruinas castelli antiqui, olim à versutis Normannis deleti: Buzentiacum etiam & Castellionem: quæ sanè prædictorum Præsulum rogatu huic Ingelgerio Rex LODOVICUS refecit ac munivit. Datus est etiam ei, eisdem intervenientibus, & dimidius Comitatus Andegav. civitatis: quia ultra Meduanam in Andegavo alter Comes habebatur: sed utraque pars territorii illius infestantibus assiduè modò Normannis, modò Britonibus, penè in vastam solitudinem cum ipsa civitate sua redacta erat,

* Adalaudus avunculus, Raimo nepos.

Castra Ambaziacum, & Castellionem.

Dimidium Comitatûs Andegav. recipit Ingelgerius.

Digitized by Google

atque ita iam diu Rege & prædictis duobus Episcopis & aliis Primatibus Franciæ, qui ibi stationes suas nimiùm tædiosas facere à Rege cogebantur, in custodiis civitatis hujus defessis, libenter Ingelgerio custode mutati omnes confidebant ad defendendam regionem & urbem; sævis prædonibus oppositus est, & Comes ibi factus. Nec ille minora ibi quàm sparabatur operatus est. Gravia verò bella insignésque victorias contra hostes factitavit.

Virtutes & præclara facta Ingelgerii.

9. Hic itaque INGELGERIUS consilio profundissimus, fide Catholicus, litteris apprimè eruditus, armis strenuus, magno consilio & fortitudine corpus Beati Martini quod à Turonensibus timore HASTINGI & ROLLONIS Autissiodorum transvectum fuerat, contra voluntatem Orientalium Francorum & Burgundionum multo stipatus milite nobiliter & honorificè revexit; quam revectionem non solùm miracula decoram reddiderunt; sed & liberalitas magnorum Procerum, Episcoporum etiam atque Abbatum non minima multitudo festivam, comitatúsque promiscui sexus & ætatis illustrissimam fecerunt. Quam revectionem quia ad honorem spectabat dominorum nostrorum Andegavorum, videlicet Consulum, nostro Operi inserendam putavimus; quam separatim & ex ordine, ut Beatus Abbas Odo disseruit, transcribemus.

Dani in Galliam irrunt, omnia diripiunt.

10. Igitur Danorum tellus quoniam sibi insufficiens est, moris est apud illos, ut per singula lustra multitudo non minima dictante sortis eventu à terra sua exsulet, & in alienis terris mansionem sibi quomodò ad propria non reversura vindicet. Urgente igitur duræ sortis inclementia, HASTINGUS cum innumera armatorum manu à finibus suis exsulans Gallias ingreditur, civitates obsidet, mœnia subvertit, turres terræ coæquat, oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame depopulatur. Contigit autem ut Galliæ superioris partibus incensis, Turonum simili eam exterminio consumpturus, descenderet. Ambazio itaque, & universis quæ inter Ligerim & Karum continebantur in favillam redactis, Turonum obsidet:

Turones obsident.

Digitized by Google

portis igitur custodias admovet, & nè quis tutò exeat magno studiosóque conamine providet. Aggeres struit, etiam aspera complanat, & quidquid urbi capiendæ commodum esset, ordinat. Alieni rumor infortunij delatus obsessis conceptæ formidinis fomitem submini-strat; muros tamen reparant, & turrium propugnacula resarciunt, & sagittarum grandine præmissa varios subjungunt assultus. Jam muri quatiuntur, crebro ariete & machinarum ictibus cedentes, ruinam sui minantur. Obsessi viribus diffidentes, spei penitus solatio destituuntur. Tandem verò Divina inspirante gratia in se reversi, beati patroni sui Martini corpus piè rapiunt, & ad locum quo belli violentior impetus erat deferentes, & mortuum pro vivis propugnatorem opponunt. O admirabilem per omnia virum! qui dum adviveret signipotens appellatus, fulgorem virtutum astris intulit, defunctus etiam bellipotens triumphator hostium cuneos sola sui præsentia confecit. Verè mirabilis Deus in sanctis suis. Sancti siquidem patrocinante suffragio & obsessis securitas & confidentia redditur, & obsessoribus formido & pavor non modicus immittitur.

Sed S. Martini præsentia Dani perterriti aufugiunt.

11. Fugiunt igitur Dani, fugientes Turoni persequuntur, fugientium pars gladio cadit, pars capta reducitur; & pars fugæ subsidio elapsa est, & usque ad sextum lapidem ab urbe persecuti sunt Dacos, triumphatoris sui corpus cum hymnis deferentes & gloria, per quem sibi triumphus cessit & victoria. Unde & in ejusdem belli triumphali memoria, in ipso loco quo sancti substitit corpus, in honore ipsius fabricata est Ecclesia, quæ propter belli eventum sancti Martini-Belli* sortita est vocabulum. In eo autem loco quo corpus ejus supra murum pernoctans victoriæ primordia initiavit, erant ruinæ antiquarum maceriarum, in quibus ferebant fuisse aulam Valentiniani *, in qua sedens nequaquam assurgere dignatus est beato Martino adstanti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsúmque Regem ea parte corporis qua sedebat afflaret incendium, solióque superbus excuteretur, & Martino invitus assurgeret. Ibi

De his Turonici victoriam reportant.

sive de Bello.

Ex Sulpitio de vita S. Martini.

Digitized by Google

Archiepiscopus cum populo devoto Ecclesiam quæ sancti Martini de Basilica dicitur, in honore itidem ipsius sancti instauravit. Ea propter igitur Synodo celebrata autoritate Archiepiscopi & Episcoporum qui convenerant, statutum est, ut singulis deinceps annis per universam diœcesim Subventionis ejus festum quarto Idus Maij solemniter celebretur, quæ nullo alio nomine rectiùs quàm Subventio censetur.

Festum subventionis S. Martini in Synodo ordinatur.

Rollo Danus iterum Galliam devastat.

12. Lapsis post HASTINGI incendia tribus lustris successit ejusdem gentis & simili sorte à finibus suis exulans ROLLO, vir armis strenuus, sed circa Christianæ professionis homines inhumanus, peditum multitudine, equestris ordinis copia, milite multiplici stipatus. Is Flandrensibus, Normannis & Britonibus in Martio congressu sæpenumero confectis, civitates eorum & oppida necnon & Ecclesias in favillam redigens, non minimas hominum strages dedit. Cenomannis postmodùm obsessa, exercitus sui procuratores Turonim usque transmisit, ut urbe pessumdata auri & argenti affluentem copiam & cetera ejus bona diriperent, & illius incolas vinculatos secum adducentes captivarent; Dei autem providente clementia tanta Cari & Ligeris excrevit inundatio, ut sui unione pelagus unum efficerent, & à civitatis accessu non minima sui altitudine cuneos hostiles arcerent. Verùm Majus-monasterium, quod non longè à Turonis erat, funditùs eversum, centum viginti Monachos, bis binos minùs, gladio percusserunt, præter Abbatem & viginti quatuor alios, qui cavernis terræ latitantes evaserunt. Abbate tamen à latebris abstracto, tormentis & cruciatibus ab eo exigunt, ut thesauros Ecclesiæ prodat, & Monachos qui in cavernis latebras fovebant in medium deducat. Vir autem Domini HERBERNUS Abbas licet varia & multiplici tormentorum violentia arceretur, nec thesauros declaravit, nec filios in latebris occultantes revelavit: ad hoc reservati sunt ut patroni sui corpus & inter alios prosequerentur. Ita quidem contigit; sed ipse citiùs comitibus exsilij sui mercedem restituit. Nemo enim illorum

Majori-monasterio funditus everso, Monachi periuntur.

Digitized by Google

residuus fuit, quem non Martinus Ecclesiæ præferret regimini, sublimaret dignitate. Recedentibus Danis, postquàm civibus tumore fluviali represso libera discurrendi reddita est facultas, auditum Majoris-monasterij infortunium & eversio, nec non & Abbatis cruciatus & pœnæ, & Monachorum pretiosa mors & passio, universorum & sancti Martini maximè Canonicorum gaudia obnubilans, lacrymosa administravit suspiria & doloris immodici copiosam materiam propinavit.

13. Mœstitiæ igitur & mœroris pallio amicti, vultu lugubri assumpto & ornatu sicut moris est compatientium, *Dolere cum dolentibus, flere cum flentibus*; dolentes & flentes ad memoratum accedunt locum, & doloris intrinseci tumore singultuosi, perstillantes foris lacrymas, viginti quatuor Monachos qui in cavernarum latebris morabantur, extrahunt, & Abbatem unà cum ipsis cum debito honore & reverentia ad suam secum deducunt Ecclesiam. In omnibus verò eos procurantes, delegerunt ipsis domum Ecclesiæ valvis inhærentem, à qua in Ecclesiam reciprocus ingressus & regressus secretior haberetur. Sex verò mensibus emensis comperto Canonici, quòd Rollo Cenomannis capta Turonim captum ire disponeret, communicato cum communibus suis consilio, pretiosam margaritam & singularem thesaurum sanctissimi videlicet Martini corpus Aurelianis usque transmittunt. Hujus latores & custodes extiterunt Herbernus Majoris-monasterij Abbas sæpè dictus, cum viginti quatuor Monachis suis, & duodecim Canonici, qui Deo & Christi Confessori Martino die ac nocte devotè deservirent; comitatui eorum indesinenter adhærentibus duodecim Castri-novi burgensibus, qui Sancti servitoribus piè deservientes, eis necessaria providerent, famæ verò postmodùm præcurrentis relatu edocti, quòd Dani ad Gallias superiores processissent, cum thesauro suo ad sanctum transmeant Benedictum: paucis verò elapsis diebus fama pervigili rursùm prænuntiante, quòd jam Rollo Aurelianis ad- *Rom. 12. 15.*

Digitized by Google

veniſſet, ſanctarum Bajuli reliquiarum Chableiam venerunt.

14. Tempore autem permodico ibidem commorati, metu iterum invaleſcente cum theſauro illo incomparabili Autiſſiodorum uſque procedunt. Epiſcopus verò fama præambula præmonitus; & tota civitas obviam ruunt, & tantum hoſpitem cum honore non indebito deducunt, & in Eccleſia beati Germani ſecus ejuſdem Præſulis feretrum Martini non imparis corpus ſancti reponunt. Per merita igitur beati Martini virtutes ibidem innumeræ & miracula fiunt: cœci ſiquidem viſum, claudi greſſum, febricitantes ſanitatem, aridi ſoſpitatem, leproſi mundationem, paralytici membrorum reintegrationem recipiunt. Fama verò, quæ clam nihil agere conſuevit, per univerſas regiones ſanitatum gratiam divulgante, tanta illuc indies infirmantium multitudo confluebat, ut ex innumera æſtimatione, regio cuilibet exercitui aſſimilata videretur. Et quia civitas tantæ inſufficiens multitudini univerſos capere non poterat; per circumjacentes vicos hoſpitandi gratia diffundebantur. Omnibus pro voto per merita beati Martini Antiſtitis ſalus optata reddebatur.

15. In familiæ verò ejuſdem Pontificis uſum univerſa infirmantium tranſibat oblatio: tantus autem oblatæ pecuniæ excrevit cumulus, ut numerum quantitas excedens Autiſſiodorenſibus Clericis invidiæ fomitem miniſtraret. Unde cupiditatis & invidiæ ſtimulo perurgente Martini miniſtros taliter alloquuntur: Quoniam tam à noſtro quàm à veſtro Pontifice miracula fiunt, & virtutes indifferenter; æquum eſt ut ſi quid utilitatis exinde provenerit, utriſque miniſtris in commune partiatur. Quibus evidenti ratione ſatisfacientes, illi poſtulantes jus communionis in hunc modum diffiliunt dicentes: Antequàm Martinus noſter hûc adveniret, veſtro hîc perendinante Germano nullorum mentio miraculorum erat; in adventu verò noſtri Antiſtitis, piis ejus id obtinentibus meritis, & ſignorum frequentia evidens exhibetur, & ex impenſæ per eum ſalutis reſpectu hujuſmodi

Digitized by Google

nobis beneficia proveniunt. Ut autem ex animo vestro omnis super hoc dubietatis scrupulus excludatur, leprosus hic qui præ oculis est, in medio si placet Præsulum sanandus inferatur: si verò à Martini latere leprosi latus positum convaluerit, & Germani lateri ejusdem latus adjunctum in lepra perstiterit, virtutis actori Martino miraculum adscribatur: Si autem è converso à Martini parte leprosi pars posita non curetur, & Germano pars inhærens sanetur, ad Germani meritum patefacta virtus & miraculum transferatur. Adquiescunt utrique, & prolata judicij sententia ab omnibus approbatur.

16. In argumentum igitur agnoscendæ veritatis in medio Præsulum leprosus ponitur. Decursa itaque nocte illa in vigiliis & laudibus, mane illucescente convenientibus utrinque partibus medietas hominis à Martini parte posita sana & incolumis reperitur; pars autem altera occulto Dei judicio sananda differtur. Ut autem per miraculum fides celsior clariúsque eluceret, leprosi interim pars sananda versus Martinum vertitur, & manè facto sub oculis hominum homo totus ex integro alteratus in salutem invenitur. Sopita est igitur totalis hæc contentio, Martini cultoribus extunc & deinceps infirmantium universa cessit in pace oblatio. O admirandæ urbanitatis Germanum Pontificem! qui cùm tanti meriti esset ut mortuos suscitaret, in domo hospiti suo tantum detulit honorem, ut in signorum exhibitione eo se videri vellet inferiorem. O signipotentis Martini attollenda præconia! qui Pontificalis ministerii dignitatem ubique in omnibus licet exul observans, & civitatem exilii sui susceptricem miraculorum gratia illustravit, & suis sequacibus benignum, largum & affluentem se semper exhibuit. Elapsis postmodum quampluribus annis pace Ecclesiæ reddita, Rollone fidei restituto, Turonici viri dominum & Patronum suum requirendi gratia Autissiodorum proficiscuntur.

17. Conveniunt igitur AUNARIUM ejusdem urbis Episcopum, ut eis suæ licentiâ permissionis proprium

Repetunt Turonenses S. Mar-

Digitized by Google

tini corpus: sed denegatur ab Autissiodorensibus.

reducendi Pontificem copia tribuatur. Quibus ille talè fertur dedisse responsum: Nolo Ecclesiam meam tanto thesauro defraudari, quam Episcopus factus eo investitam inveni. Videntes autem Turonici se per eumdem Episcopum nihil proficere, ad Regem Francorum, qui tunc temporis erat, meliora sperantes resiliunt, humili prece eum obsecrantes interpellant, ut Turonis Martinum suum restitui jubeat, & urbem orbatam multùm Pastoris absentia eo recepto in gaudium convertat. Ad quos Rex ait: Cùm utraque civitas Regii sit juris, & ab utraque nobis indifferenter serviatur, indignum ducimus, ut Autissiodorum, quæ de thesauri hujus possessione saisita est, præjudicii violentiâ spoliemus, & Turonim nostram quæ utcumque illius investituram amisit investiamus. Decidentes itaque Turonici à spe sua, ad propria frustrati revertuntur. Cogunt igitur concilium cum ADALAUDO Archiepiscopo Turonensi, REIMONE Aurelianensi, MAINOLDO Cenomanensi, & sancto LUPO Andegavensi, Cleri plebísque multitudine coactâ concilium ineunt quid facto opus esset. Eo tempore vir illustris INGELGERIUS Gastinensis Comes, HUGONIS Ducis Burgundiæ nepos ex filia, Lochiæ & Ambasiæ dominus, strenuus armis, summa probitate & potestate præditus erat, & Andegavensem Consulatum ex Regis munere nuper sibi impertitum procurabat. In Autissiodorensi etiam urbe aulam propriam & vineas vini superlativi bajulas, & prædia suburbana possidebat. Cùm igitur ad tantum virum hujus negotii peragendi commodo confluerent, allegationis hujus officio fungi ab universis acclamatum est.

18. Cùm autem ob istiusmodi causam dirigere nuntios disponerent, per subvenientem Dei, ut credimus, gratiam sancti Martini, ut ei moris erat, maturus intrat Ecclesiam. Exiens autem ab Ecclesia, ab universis cum gaudio suscipitur, & ab omnibus ei debitus honor & reverentia defertur. Cùm in medio eorum consedisset, tamquam à Spiritu sancto prænonitus, in hæc verba prorupit: Viri Turonici divitiis affluentes, cùm divi-

te

Digitized by Google

te ingenii venâ collatis, & prudentia & fortitudine polleatis, miror admodum & vehementer obstupesco, cur gaudium vestrum, lumen patriæ vestræ, vestrum, inquam, Antistitem Martinum, tam longo exsilio relegatum, vestra id agente incuria reducere negligitis. Quibus illi cum lacrymis aiunt: Gratias agimus primùm Divinitati quæ tuo id inspiravit cordi, ut de talibus nobiscum dissereres, & nobis in desiderio positis desiderii nostri desideratum commonitorium faceres; non enim, inquiunt, Domine mi, nostra, ut putas, incuria est, sed Regis Francorum pigra segnities nos impedivit, & Autissiodorensis Antistitis pervicax invidentia nobis Martinum nostrum cum multo labore & instantia requirentibus denegavit. Quoniam igitur obstinati illius Antistitis cor induratum est, & quasi alter Pharao factus est, non vult dimittere virum Dei nisi in manu forti. Te, Domine, cui nobilitas & strenuitas, probitas etiam & potestas suppeditant, communi & humili supplicatione obsecramus, ut zelo Dei & beati Martini amore ductus, huic te conformes allegationi, & ipsum & cum ipso gaudium huic luctuosæ restituas regioni.

19. Videns igitur vir illustris INGELGERIUS universitatis illius post Dominum spem in se penitus poni, lacrymas supplicantium miseratus & vota, promittit se injunctum sibi negotium pro viribus executurum. Collecta igitur tam proprii quàm peregrini exercitus multitudine non minima, sed fermè millibus tam militum, quàm equitum secum collectis, Autissiodorum venit. Continuant interim Turonici ex sui præcepto Pontificis unius hebdomadæ jeiunia, & suum sibi reddi Martinum Deo supplicant jugi oratione & precum instantia.

Ingelgerius cum exercitu Autissiodorum venit, ut vi & armis S. Martini corpus auferat.

20. Stupet civitas armato milite exinsperato se repleri. Diei igitur crastinæ aurora illucescente peregrinus Comes impiger, postquàm in Ecclesia ante dilecti Archipræsulis Martini corpus cum lacrymis orans peregrinationis suæ preces & vota persolvit, convenit Episcopum super depositi restitutione dicens: Pontificis honor

Digitized by Google

„ & nomen cùm te delectet, cur hujus prænominis ety-
„ mologiâ perditâ, virtutum pontem non facis, sed sub-
„ vertis, & gregi tuo factus forma deceptionis & doli, ve-
„ stigiis inhærentem à sublimi veritatis via dejicis, & in
„ perditionis præcipitium ire compellis? Cur necessitatis
„ tempore thesaurum fidei tuæ commissum dilationis in-
„ nectens moras reddere contemnis? Unum ergo ex duo-
„ bus tibi elige, aut Turonicis suum Martinum dilationis
„ cessante mora restitue: aut te nullatenus redditurum
„ responde. Cui Episcopus in his stomachatus ita respon-
„ dit: Non decet peregrinum cum armata manu loca san-
„ cta invisere, non Sanctorum pignora viribus & armis vel-
„ le sibi vindicare: hodie tamen cum tuis patienter sustine,
„ & quid super hoc acturus sim crastina tibi declarabit
dies. Communicato interim cum Coëpiscopis, qui tunc fortè aderant, consilio quis actionis hujus exitus vel finis esse valeat percunctatur. Cui SYAGRIUS Nivernensis unà cum DOMNOLO Tricacensi id ipsum sapienter res-
„ pondit: Non decet Episcopum aliena rapere, vel cujus-
„ libet depositum fraude vel violentia velle surripere.
„ Beati siquidem Martini corpus hostili gladio urgente à
„ Turonicis huc allatum, & ab eis penes te depositum no-
„ vimus. Quod ergo à fidelibus tibi commissum est; tu
„ quandoque fidelis restitue, & fidei læsæ damna resar-
„ ciens exasperato Comiti, verbis eum lenibus & officiis
„ demulcens, postulata concede. Nisi enim spontanea &
„ citò reddideris, ad tui dedecus & ignominiam ablatum
„ protinus tibi invito videbis. Fac igitur de necessitate
„ virtutem, & antequàm imminens extorqueat necessitas,
„ palliata prudens præstet liberalitas. Acquiescit Epis-
copus, & Andegavensi allocutione blanda delinito optatum exponit thesaurum.

Tandem corpus S. Martini restituitur.

21. Affuit etiam & divinæ memoriæ Abbas HERBERNUS coram Episcopis unà cum INGELGERIO iam fine sociis. Divinâ siquidem providentiâ, & beati Martini oratione assidua mediante, jam promoti erant per universam Burgundiæ provinciam omnes & singuli in Episcopatibus & Abbatiis scilicet ut qui cum exsulato,

Digitized by Google

exsules advenerant, in ipso exsilii solo divitiis & honoribus sublimarentur. Denique ipsis mandavit per veredarios sæpefatus Abbas Herbernus, ut interessent ducatui ad evehendum corpus sæpenominati Antistitis, ut quem simplices monachi & exsules à loco proprio in exsilium advexerant, jam Episcopi & Abbates constituti ipsum solum exsulem loco proprio & civitati restituerent, quod & factum est.

22. Celebratâ igitur propriâ de sancto Martino Missâ solemniter INGELGERIUS Andegavensis & AVNARIUS Autissiodorensis, assumptum onus illud nobile suis imponentes humeris repatriandi aggrediuntur iter. Deducunt Pontifices cum hymnis & laudibus sancti Antistitis Reliquias, & Clerus devotus, & vulgi undequaque concurrens frequentia. Reversis verò deductoribus illis, Martini exercitus aggressum capit iter, optato potitus triumpho. Debitum servitii præsens ab Abbate & Monachis necnon & à Clericis Deo in dies devotissimè exhibebatur, & Missa quotidie celebrabatur solemniter. In nobili illo exercitu nullus vel effeminatus, nemo ibi feminam, nemo rapinam noverat, sed unusquisque ex mercato competenti vivebat. Postquàm igitur Diœcesis suæ fines attigerat sacratissimi Præsulis Martini corpus, mirum in modum & oves morbidæ Pastoris præsentiam, & Pastor recognovit quantam ovibus deberet curæ diligentiam. Quamvis enim peregrinus inter extraneos miraculorum floruisset copiâ, inter suos tamen utpote sibi à Domino commendatos, & copiosior ei affuit sanitatum gratia, & fidei sanctæ propensior benevolentia. Quicumque ergo qualicumque incommodo ægritudinis laborabant, & non apportati, & non rogantes dextera lævâque per totam provinciam mirificè sanabantur. Quàm vera promissio Salvatoris dicentis: *Opera*, inquit, *quæ ego facio qui credit in me & ipse faciet, & majora horum faciet.* In signis enim & sanitatibus, quæ ipse Dominus per se dignatus est exhibere, fidem etiam poscentium cooperari voluit, ut crebrò Evangelica probant,

Celebris Relatio Reliquiarum sancti Martini.

Mira Deus per merita S. Martini operatus est.

Ioan. 10. 15.

Digitized by Google

Matt. 9. 22. unde est illud: *Fides tua te salvum fecit.* Per Martinum verò & non petentibus, & non accurrentibus, & quod majoris clementiæ est, etiam nolentibus subveniebat.

Non petentibus immo nolentibus subveniebat S. Martinus.

23. Dum enim talia tantáque virtutum insignia agerentur, quæ etsi invideret, occultare fama non potuit: ea præcurrente duo paralytici qui in villa cui nomen de Edera est, à prætereuntibus eleëmosynam petentes victitabant; dixerunt alter ad alterum: Ecce, frater, sub molli otio vivimus, nemo nos inquietat, omnes miserentur, solus nobis est labor petere quod optamus: licet cùm libuerit somno indulgere, quieti verò jugiter, & ut breviter dicam, ducimus in bonis dies nostros. Hoc autem totum vindicat nobis infirmitas hæc qua jacemus; quæ si curata fuerit, quod absit, necessariò nobis incumbet labor manuum insolitus, quippe mendicare jam inutile erit. Ecce audivimus de Martino isto, in cujus Diœcesi nos degimus, quòd revertens ab exsilio in toto suo Episcopatu neminem decumbentem prætierit non sanatum. Nunc ergo, frater, adquiesce consiliis meis, dicto citiùs fugiamus Martinum, ab ejus Diœcesi exeuntes, ne fortè nos sanitatum ejus copia comprehendat. Novum sanè consilium, vota prorsus eatenus inaudita, tanto nolle carere incommodo, se sibi reddi effugere. Quid moror? placet utrique consilium, & aptatis baculis sub utraque ascella reptando potiùs quàm gradiendo, fugam arripiunt. Sed Martini pernix potentia prosequitur fugientes, comprehendit refugas, comprehensos & inventos, invitos reparat sospitati. Quod illi in sese experientes, nec dissimulare poterant, nec audebant silere. Nimirum non nescij illum potentem perdere ingratos, qui & nolentibus subvenisset. Exclamant igitur prædicantes miraculum, & homines loci illius, quo id contigerat, ad laudem invitant Martini. Nec sibi integrum fore arbitrati, donec baculos, sui languoris indices, ad Martini matricem Ecclesiam detulerunt: palam omnibus exponentes, & suæ perfidiæ fugam, & Martini etiam circa invitos clementiam. Porro agricolæ mansionis, in qua signum hoc sanitatis celebratum

Digitized by Google

est., in honore signipotentis Martini Ecclesiam condidêre, quæ usque hodie Capella Alba nominatur.

24. Ingresso itaque beato Archipræsule Martino prope parochiæ fines, mirum in modum res inanimatæ & insensibiles Pastoris sui sentientes adventum, grata congratulationis suæ signa prætendunt. Universæ siquidem arbores & fruteta, tempore brumali repugnante licet natura, redivivis vestita foliis & floribus vernarunt, & in sui ornatu quantæ meritorum excellentiæ sit Pater patriæ repatrians demonstrarunt. Itidem dextra læváque in Ecclesiis ejusdem parochiæ sine humano adminiculo signa divinitùs pulsabantur, luminaria tam cereorum quàm lampadum divinitùs accendebantur; in duabus maximè Ecclesiis quæ nomini ejus dicatæ dignoscuntur, in priore quæ Majus-monasterium nuncupatur, in qua vivens in corpore lectioni, meditationi, vigiliis, jejuniis & orationibus, die noctúque Deo incumbebat: in altera quæ sancti Martini divitis Castrinovi dicitur, de quo primò Rollonem fugiens sublatus fuerat, in qua etiam ab universis Episcopis Diœcesis suæ, à Clero etiam & populo susceptus, in loco ubi nunc adoratur, huc usque servatur. Domino igitur, ut diximus, Turonensi Martino Turonum suam cum militibus suis ingrediente, tota civitas obviam ruit, & ab ADALAUDO Archipræsule Turonensi, & fratre ejus RAIMONE Aurelianensi, & MAINOLDO Cenomanensi, & sancto LUPO Andegavensi, & à Suffraganeis provinciæ totius Episcopis ei congratulanter occurritur, & omnis sexus indifferenter desiderato diu domino suo lætabundus occurrens, lacrymis quas gaudium extorserat perfunditur: ab Episcopis siquidem & Abbatibus, à Clero & virginibus, à populis & Baronibus, à pueris etiam & senibus in Ecclesiam suam cum cereis & crucibus, cum hymnis & laudibus glorioſus Antistes gloriosè deducitur, & in propriæ sedis pristino gradu cum debito honore & summa reverentia collocatur.

25. Hæc est igitur glorioſa & solemnis exceptio, qua à Deo Archipræsul Turonensis Martinus ab exilio rever.

Digitized by Google

tens, ab alumnis suis officiosè excipitur, & in propria ut dictum est sede residens, omni petenti se ut sui moris est plurimum suffragatur. Hujus autem exceptionis ce-
877. lebre festum ab incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo septimo, à transvectione tricesimo primo, Idibus Decembris celebriter agi ab ADALAUDO Archiepiscopo Turonensi, & à Comprovincialibus Episcopis celebrata Synodalis sancivit auctoritas. Quæ quando recolitur à Danis facta destructio, & Martini repatriantis celebris & jucunda à suis memoratur exceptio. Tu igitur, ô bone Martine, pie pater, pastor & patrone noster, nobis filiis alumnis, nec non etiam & veneratoribus tuis more tuo bona confer, noxia submove, & orationum jugi instantia gaudia nobis vitæ interminabilis obtine, præstante Domino, &c.

26. Absida siquidē quam deferebant erat fusilis ex auro & argento, quod dicitur electrū, spissitudine duorum digitorum, actoremque operis beatū PERPETUUM insculptor designarat suffragio litterarum & versuum; nec erat rima, foramen, fenestra, vel ostium in ea. Hanc autem fecerat beatus PERPETUUS quando elevavit corpus ejus à terra involutum priùs in purpura rubea & diligenter consutum, sícque in hanc absidam posuit. Fecit etiam altare quadratum & concavum ex lapidibus tabularis, quem magna tabula cooperuit, & cum aliis cæmentavit. Fecit præterea intus aliam absidam ex oricalco, cupro & stanno fusilem, habentem palmum in spissitudinem, cum ostio fusili, quod gunfis & vertevellis, & quatuor clavibus firmabatur, ubi & hanc absidam electrinam posuit, secundámque fredam desuper auro optimo & lapidibus pretiosis ornatam, tanto Sacerdote dignam. Exceperunt sanctum corpus Idibus Decembris, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo septimo. Meruítque isdem Consul * cum venerabilibus Episcopis ADALAUDO Turonensi, & sancto LUPO Andegavensi, & MAINOLDO Cenomanensi infra ambitum altaris in altera absida componi; ipsúmque ostium cum absida ligaverunt, ita ut ne pateret aditus

* Ingelgerius.

Digitized by Google

vel introitus. Communi autem consilio dederunt INGELGERIO Consuli Præbendam beati Martini & ipsi & heredibus ejus in perpetuum.

Præbenda S. Martini ipsi & heredibus cõfertur.

27. Quia verò Ecclesia ejusdem Sancti tunc temporis carebat Thesaurario vel Ædituo, Consulem INGELGERIUM inthronizaveruut, & Thesaurarium constituerunt, & defensorem Ecclesiæ fecerunt, & tutorem omnium possessionum ejus ubicumque essent delegaverunt: qui sedem Thesaurarii, & domos cum redditibus quamdiu advixit obtinuit. Omnes autem qui cum Consule Ingelgerio ad corpus beati Martini reducendum fuerant evocati, maximè verò Barones Turonici pagi feodaverunt societatem, & beneficium Ecclesiæ largiti sunt. Contigit autem eodem mense dum esset Consul Ingelgerius Turonis, Adalaudum confectum senio viam universæ carnis intrare. Ingelgerius verò Consul auxiliante Deo & intercedente beato Martino, opitulantibus etiam Clericis, necnon & consentientibus civibus Turonicæ civitatis, inthronizavit & in sede Episcopali sublimavit* HERBERNUM senem sanctum beati Martini Majoris-monasterii Abbatem & ministrum.

Thesaurarius & defensor.

*Herbernus Abbas fit Archiep. Tron.

28. Aliquantisper hic quandiu vixit grassantium rabiem retorsit, quietem pacis in Andegavo præter Transmeduanensem pagum reddidit. ROBERTO Hamonis filio, viro forti sibique fideli, Ambasium commendavit. Qui tantùm partem oppidi jure hereditario possidebat, & Ingelgerio homoligius erat. Talia actitans INGELGERIUS morte obiit. Sepultus est in Ecclesia beati Martini Castri-novi. Cui filius ejus FULCO ille qui cognominatus est Rufus, successit. Iste quoque consimilia patris actibus aut etiam majora adversus impugnatores exercuit.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De FULCONE RUFO.

1. MOrtuo itaque patre suo, tempore LUDOVICI Regis *nil facientis*, ad tutelam filii sui CAROLI parvi pupilli remanentis, & ad defensionem Regni jam labefacti, quod ille satis debile per invalitudinem suam fecerat, communi Francorum tractatu electus & accinctus est HUGO Dux Burgundiæ, filius alterius HUGONIS, qui orphani illius ex parte matris suæ consanguineus erat, sicut loquuntur historiæ. Hic idem Hugo vir & spectabilis fidei & virtutis, tutelæ suæ validiùs officium quàm transactus Princeps, qui regnaverat, administrare pro liberatione patriæ speravit, feciſſétque si vitæ prolixitas annuisset. Nam recepta est Christiana devotione & fidelitate potestas illa, quæ suo tempore cum reverentia pia & humilitate Abbacomitatus est dicta, à successoribus verò ejus in arrogantius vocabulum, quod est ducamen, mutata, adeptus est Princeps, ille item in præmium & honorificentiam pro labore suo partem terrarum in Regno: quod factum est per Episcopos & Nobiles totius Regni; qui ei, volente & concedente CAROLO Rege puero, dederunt Neustriam: quo nomine continetur quidquid à Parisius & Aurelianis interjacet inter Ligerim & Sequanam inferiùs usque in Oceanum. Iste itaque tractus cùm ei datus esset ad integrum, cum Comitatibus & civitatibus, & Abbatiis, castellisque, præter Episcopatus solos, qui in Regia dominicatura retenti sunt, voluit Comites reliquosque Proceres suos animosiores & fortiores ad propugnandam regionem efficere: ideóque omnes aut muneribus aut honoribus ampliavit.

Hugo Dux Burgundiæ tutor Regis.

Totũ Consulatũ Andeg. Fulconi Rex tribuit.

2. Iste FULCONI Rufo sibi per aviam suam consanguinitate, sicut prædictum est & nobis traditum, conjuncto, integrum Comitatum Andegavensium, qui priùs bipertitus erat, donavit; similiter ei & Abbatias sancti

Digitized by Google

sancti Albini & sancti Licinii contulit: quæ ambæ antea Regis dominicaturæ fuerant. Quæ omnia CAROLUS simplex filius LODOVICI qui Nil fecit, sibi donavit, concessit. Vastus animus istius immoderata & incredibilia nimis faciebat: nam ipse audax, patiens erat inediæ, algoris & vigiliæ, sed tamen ardens in cupiditatibus, parum subdolus, varius cujuslibet rei simulator ac dissimulator exstitit. Contra etiam istum pleraque Nobilitas invidia æstuabat, & quasi pollui Consulatum credebat, si eum novus homo, quamvis esset egregius, adeptus totum foret. Sed licet diu disturbarent, ubi periculum Normanorum atque Britonum omnia disturbantium advenit, invidia atque superbia, pòst præfuere. Nam semper cùm plures bonis invident, malos & inertes extollunt, nova optant, odio mutari plura, turbâ atque seditionibus nituntur. Is verò adepto toto Consulatu quoscumque moribus esse idoneos credebat, & bello usui fore notos noverat, omnes hos sibi alliciebat. Igitur iste FULCO uxorem nobilem de pago Turonico duxit nomine ROSCILLAM, Garnerii filiam, cujus erant tunc tria castella in Turonico, illud quod dicimus Lochas, atque Villentrasti & Haia. Quorum duo postea Fulco non bona ratione adquisivit. GARNERIUS iste, cujus filiam Fulco duxit, filius ADELANDI fuit, illius scilicet cui Carolus Calvus Lochas dedit, qui Ambasium sibi similiter à Rege datum Adalaudo Episcopo filio suo ex baptismo, & fratri suo Ramoni cùm adhuc vivus esset reddiderat. Nam jure hereditario eis contingebat, eisque prænimium parvulis prædictus Rex abstulerat.

3. Iste Fulco longævo tempore vixit, filiósque suos adultos vidit, quorum unus nomine GUIDO per Hugonem Abba-comitem, Suessionis Episcopus factus quædam improbabiliter fecit; sed illud laudabile & clarum fuit, quòd CAROLUM simplicem (quem paulò ante dixi remansisse de LODOVICO Nihil faciente, quem supra memoravimus orphanum) istum à Normannis captum negligentibus aliis Francis, ipse Guido obses spontaneè factus pro eo, laudabiliter à vinculis abstraxit. Habuit

Digitized by Google

& Fulco Rufus alium nomine INGELGERIUM adolescentem militarem & validum, qui ubi primùm adolevit, pollens viribus & ingenio, decoráque facie, non se luxui neque inertiæ corrumpendum dedit, sed equitando plurima præclara faciebat, & minimum de se ipse loquebatur. Quibus actibus suis omnibus vehementissimè carus, hostibus verò terrori habebatur. Sed iste Normannis resistendo multas præclaras pugnas perfecit, à quibus ad ultimum captus & occisus, lucem juvenis amisit. Necnon Fulco Rufus habuit & tertium juniorem prædictorum, de quo pòst loquemur.

4. Rufus itaque FULCO ad senilem ætatem perductus, jam infestatione Normannorum aliquatenus sedata, cùm lumine visus imminuto sibi propinquare sentiret mortem, de excessibus in quibus offenderat compunctus & pœnitens. (Nam in libidinum petulantiam vitiosus fuisse narratur) per Dominum HERVEUM Andegavensem Episcopum, virum religiosum & timentem Deum, emendationem culparum suarum Deo obtulit. Qui pro redemptione earum thesaurum suum totum pauperibus erogavit, & Monasteriis insuper sancti Albini sanctíque Licinij, in quibus utrisque tunc temporis Clerici degebant, optimam curtem Ciriacum super alveum Ligeris positam in eleëmosynam eis in perpetuum tradidit. Clerici verò sancti Martini post donationem factam & scriptam, à duabus aliis congregationibus in partem sextam acciti sunt. Fulco senex & plenus dierum mortuus est in senectute bona, sepultúsque in Ecclesia beati Martini juxta patrem suum Ingelgerium.

CAPUT V.

De FULCONE *Bono vel Pio.*

1. POst hæc mortuo Fulcone Rufo, alter FULCO filius ejus junior, qui cognominatus est Bonus, successit. Nam tres habuisse legitur, GUIDONEM Episcopum, INGELGERIUM & istum FULCONEM. Iste fuit

Digitized by Google

pacifici & tranquilli & mitis ingenij; optimus iste sua beneficia laudari quàm aliorum ipse narrare malebat. Boni ipsius mores domi & militiæ colebantur. Jus bonum, concordia maxima, minima avaritia in ipso erat. Iste nutrivit sanctum ODONEM, & ei Cellam juxta beati Martini tribuit Ecclesiam, & quotidianum victum ex eadem camera adquisivit, eique concessit. Qui postmodùm magister scholæ & Præcentor ejusdem Ecclesiæ eodem Consule adminiculante constitutus est.

2. Factum est postmodùm ut præfatus Comes FULCO, consilio deceptus juvenum qui cum eo nutriti fuerant, de thesauris beati Martini nescio quo pacto tulerit duo vascula auri, sed chamo infrænatus avaritiæ dum ea reddere nollet, gravi plexus est ultione: ad mortem verò usque perductus ad beati Martini se jubet portari sepulcrum, ibique quamplurima promittens munera, nec sic sanitatis recipiebat munia. Præterea diutissimè fatigatus, adeò usque est defectus, ut mortis tantùm exspectaret exitum. Ad quem cùm Donnus ODO visitandi gratia venisset, dixit illi: Redde miser vascula beati Martini quæ infeliciter abstulisti, & protinus salvaberis. Ille autem & illa reddere & alia spondet conferre, si rei dictæ fidem actus probaret. Mox beati Odonis & obsequentium manibus elevatus, ad corpus beati Martini perductus, terráque prostratus est, nec moram pati potuit subsidium sibi promissum, sed qui venerat manibus veluti vehiculo latus, recuperatis artubus, remeare cœpit suis gressibus. Siquidem ita factum est, ut ille correptus, de cetero talia non committeret, & quæ promiserat fideliter adimpleret. Cœpit interea pater ODO eum admonere, ut relicto mundo hoc tantùm satageret, quemadmodum soli Deo placeret. Ille autem respondit: Mihi ista modò suadere non potes, habeo tamen dilectissimum Militem HALENGRINUM nomine, in armis strenuum, & in consilio providum, qui si te audierit, mox tuæ voluntati obediens erit. Quod ita sequenti tempore factum est.

Restitutis vasculis quæ ex thesauro S. Martini abstulerat Fulco sanitati redditur.

3. Intra paucos verò dies recuperata virtute domum

Digitized by Google

suam reversus est. Confluentes ad eum undique sanitati ejus congratulantes, assumpto sermone quæ & quanta pertulisset illis circumstantibus cœpit exponere, addens insuper quàm citam virtutem in verbis Domni Odonis comperisset. Unus autem ex assistentibus & auditor internus erat prædictus HALENGRINUS, qui mox corde compunctus, depositis omnibus quæ possidebat concitè venit ad eum. Deposita itaque capitis coma & sæculari militia, ex nunc Christi factus est agonista. Ad hunc ODONEM misit FULCO Bonus, de quo agimus, epistolam, ubi obnixè deprecatur ut narrationem evectionis & revectionis corporis beati Martini Turonensis, quæ ab avo ejus INGELGERIO & per cum facta est, ex ordine & seriatim transcriberet. Quod & fecit, ut in gestis ejusdem Ingelgerij Consulis invenire poteris.

4. Iste FULCO nulla bella gessit, etiam sua ætate pax cum Normannis facta fuerat: Namque baptizato eorum duce ROLLONE cum omnibus suis concessa erat eis à Rege Franciæ & à Duce Hugone, pactis pactionibúsque de servitio Francis reddendo, & pace tenenda, terra illa, quam ex illo tempore usque modò tenent. Nam Rollo Christianus Catholicus effectus, GILLAM filiam CAROLI Simplicis duxit uxorem, & deinceps terram sibi datam Normanniam vocari præcepit. Britanni quoque eisdem Normannis jussu Regis & Ducis tributarij facti sunt; qui pro perfidiis in eos antea commissis ita ab eis comprimebantur, ut non possent in vicinos suos, Andegavenses dico, vel Pictavenses vel Cenomanenses ullas infestationes sicut antea facere. Sed etiam per totam Franciam pacis tranquillitas erat maxima.

Fulco Canonicus S. Martini piè vivebat.

5. Illis temporibus totius bonitatis amator FULCO secundus in pace degebat. Unde in Monasterio beati Martini apud Turonos collegio Fratrum adscriptus, Canonicus ibidem esse & dici gaudebat. In Festis etiam ejusdem Sancti in Choro inter psallentes Clericos cum veste clericali, & sub disciplina eorum adstabat. Qui Ecclesiastici decoris & religionis studiis delectabatur:

Digitized by Google

Ecclesiæ Dei cultum & honorificum decorem diligens ex suo proprio plures augmentabat. Enimverò erga Ecclesiam beati Martini speciali amore & reverentia degebat. Illuc cùm pergere ad certas per annum solemnitates celebrandas disponeret, copiosum & divitem apparatum expensarum sollicitè præmittebat. Hospitaba apud mediocrem aliquem ex Clericis, & domum suam ubi mansurus esset, magno ornamentorum cultu venustare secundùm consuetum morem semper faciebat; hoc autem eo consilio faciebat, ut in discessu suo hospes ille, quamvis antea tenuis, ex rerum reliquiis sibi prorsus dimissis ditatus remaneret. Quod ita non de paucis eum actitasse compertum est.

6. Contigit quodam tempore Regem Franciæ apud Turonem civitatem cum turma nobilium virorum in vigilia festi æstivalis sancti Martini affore. Adfuit autem tunc inter alios Proconsulares & alios personatos viros præfatus Consul sicut stella radians, forma præclarus, statura procerus. Dum igitur vigiliarum solemnitas ab occasu Solis apud sanctum Martinum statim inciperetur; adfuit inprimis Consul Andegavorum mente devotus, habitu & veste Clericali nulli in Lectionibus & Responsoriis & psalmodia secundus. Cúmque alii Nobiles legibus aut edictis mundialibus Regis Franciæ seduli auditores adstarent, ille præfatus Consul laudibus Divinis necnon & vigiliarum & Missarum Sacramentis & solemnitatibus in habitu clericali inter Clericos intentus quæ Dei sunt ceteris devotior celebrabat. Quod cùm audissent quidam nobiles Palatini, lateri Regis adhærentes, religionem viri ostentui & monstro habentes, in Regis præsentia deludentes, cœperunt dicere, quia Comes Andegavorum Presbyter ordinatus fuerat, & sicut Presbyter canebat. Rex autem Franciæ cum aliis nobile opus viri derisit. Quo audito Comes Andegavorum literas hujusmodi formam habentes scripsit: Regi Francorum Comes Andegavorum: Noveritis, » Domine, quòd Rex illiteratus est asinus coronatus. » Quibus litteris perlectis Rex Francorum vero prover- »

Digitized by Google

» bio tactus ingemuit, dicens: Verum est, quod sapientia,
» & eloquentia, & litteræ maximè Regibus & Consuli-
» bus conveniunt. Quanto enim quis prælatior, tanto
» moribus & litteris debet esse lucidior. Factum est, ut omnes qui Deo dignum ac litteratum Consulem ac strenuum Militem illudendo caput agitabant, postmodùm eum in reverentiam haberent, qui licet litteris regulísque grammaticæ artis, Aristotelicis Ciceronianísque ratiocinationibus perspicaciùs * peritissimè eruditus esset, inter majores & meliores ac strenuos Milites optimus habebatur. Composuit autem isdem memoriæ Consul reverendæ cantu & dictamine duodecim Responsoriorum historiam, honore & amore beati Martini compulsus, dictamine præcipuam, cantu & melodia luculentam, qualicumque verò ex parte Turono propinquans, illud Monasterium prospicere potuisset, mox equo desiliens, & ibidem humili prostratus devotione orabat, veniam delictorum suorum sibi per intercessionem sancti Confessoris expostulans.

* *f.* perspicacioribus.

Quam liberalis in pauperes.

7. Sicut pauper arrogans, merito suæ perversitatis omnibus odiosus, sic procul dubio dives humilis, tantæ virtutis intuitu cunctis sanè sapientibus amabilis est & carus. Unde Fulco Bonus specialem gratiam apud Deum & homines obtinebat, quia cùm corpore, opibus, sanguine, sanus, abundans & præclarus esset, non debilem, non pauperem, non abjectum aliquem despiciebat. Sæpè quidem numero offendens hujusmodi homines, liberali humilitatis benevolentia, nomen, patriam, modum, incommoda ab eis inquirebat. Hic deinde egentium relevans copiosis sumptibus egestatem dicebat ad eos: Ite modò ad glorioſum dominum meum dominum Martinum, & dicetis ei: Servus vester, sancte & gloriose Martine, Fulco Bonus nos transmittit ad vos, quatinus solito vestræ pietatis beneficio pro Dei & ipsius servi vestri amore subveniatis nobis. Nec facilè frustrabatur sospitatis optatâ gratiâ, quisquis Fulconis Boni ad Martinum perferebat nuntia. O viri fidelem conscientiam! O fidem bene meritam! ô sanctissimam, mortalem

Digitized by Google

adhuc, at jam cælestem amicitiam, qui tantò ampliùs à Martino se præsumebat diligi, quanto devotiùs ipse eum diligebat. Non igitur usquequaque à Martini miraculis expers erat Fulco Bonus, cujus fide & interventu obtinebatur ut fierent.

8. Hic fortè dum occasione pacis & justitiæ tenendæ per terram suam equitaret, agmine Nobilium circumvallatus per Portumpilæ transiens usque ad portum Evardonis devenit. Cúmque beati Martini Confessoris & Antistitis procul aspiceret Ecclesiam, sicut semper solitus fuerat, equo desiluit ac flexis genibus toto corpore prostratus in terram diutiùs oravit. Ceteri deferentes Comiti honorem, exspectantes substiterunt. Orato diutius & devotè, cùm ab oratione surgeret, vidit à dextris hominem aspectu horribilem, totum sanie defluentem, corrosis manibus & præacutis pedibus elephantulis postulis, ac leprosa impetigine totum miserabiliter occupatum, ac misericordiam à Comite petentem. Ceteri Nobiles de familia Comitis horrentes nec accedere, nec adspicere volebant. Comes, cujus mens sanior erat, manus misit ad loculum, misericordiam leproso volens impendere. Cui leprosus subsequenter ait: Non, domine mi, non indigeo modò hujuscemodi indulgentia: sed quia pedibus lepra corrosis, nec ipse ire nec equo deferri ad Ecclesiam Confessoris præ nimia infirmitate possum, necessitas ac voluntas mihi esset, quatenus tu ipse me deferres, forsitan invenirem ibi aliquem Dei hominem, qui pro redemptione peccaminum suorum in Conventu leprosorum mihi necessaria administrari juberet. Quo audito Comes proprio mantello diligenter leprosum involvit, ac ceteris partim illudentibus, partim stupentibus, propriis humeris pium pondus ferè per duas leucas deferens, ad Ecclesiam beati Martini devenit. Quo pacto forma leprosi tam à pondere quàm ab oculis deferentis evanuit. Comes verò intelligens Spiritus sancti mysterium, ceteris illudentibus tacendo dissimulavit. Cúmque pacto die noctisque mediæ transacto* ad matutinas, sicut solitus fuerat, in clericali

Leprosum suis humeris impositum Fulco defert ad Ecclesiam S. Martini.

Disparuit leprosus.

f. * peracto

die noctéque media transacta.

habitu in Choro beati Martini juxta Decanum resideret, diutiùs obdormivit. Interea quidam vir reverendus habitu, protectus stola candida, vultu igneo, stillantibus oculis ac angelico vultu, habens in comitatu suo Leprosum illum, quem vir Dei devotus detulerat, adstitit, ac reverendo Consuli de hujusmodi visione admirabili dixit. Ego sum Martinus dominus tuus, ille leprosus est Christus quem tu sæpiùs in membris suis piè fovisti, sed hodie in sua persona & capite & humeris portans honorasti. Noscas ergo quia sicut non erubuit eum tua humilitas in terra, ita Christi bona sublimitas te non erubescet in cælo. Quo viso vir Dei nòn in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem in suo opere cognoscens, ex humili humilior redditus est.

Leprosum ipsũ Christum fuisse asserit S. Martinus.

9. Ejus autem tempore pago Andegavensi, sicut prædictum est, pacis quiete divinitùs concessa, idem Comes & territorium illud, Ecclesias quoque reparare satagens, agriculturæ & animalium nutrituræ operam dabat. Ipse etiam & alios suo exemplo incitans inopiam præteritorum temporum, quam hostilitates diutinæ invexerant, abundanti opulentia bonorum terræ recompensare studuit. Tunc verò multi ex extraneis diversísque regionibus circumpositis incolæ in pagum istum commigrarunt, tam clementi bonitate Principis, quàm ubertate glebæ huc evocati. Namque terra ista per diutinam solitudinem sui, & cessationem culturæ pinguefacta, mirabili tunc fertilitate fructuum & bonorum omnium resplendebat. Silvarum incrementis pleraque sui parte vestita, eas incidentibus & concidentibus colonis ipsis locis utentibus facili labore satisfaciebat. Contigit quodam tempore in Festo beati Martini hiemalis, cùm de manu Episcopi Missam canentis Corpus & Sanguinem Christi susciperet, rediénsque in choro levi tactus incommodo inter manus Clericorum sociorum suorum exspiravit, sepultúsque est in eadem Ecclesia juxta patrem suum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

GAUFRIDUS GRISATUNICA. 978.

1. ISte FULCO Pius tres filios habuit, quorum primogenitus GOFRIDUS Consulatum rexit, alter GUIDO nomine Episcopus Podii fuit, tertius minor DROGO dictus, à Fulcone nimis dilectus, quia eum in senectute genuerat, peritiâ litterarum & artium liberalium edoctus, benignitate Hugonis Regis in Episcopatum Podii fratri suo successit. GOFRIDUS Consul more Gallico militiæ peritus, pectore & brachio vir in re militari efficacissimus, in multis expeditionibus singularis approbatus fuit. Strenuitas in eo specialiter præfulgebat, clementia in eo florebat, dapsilitatem unicè diligebat, hostibus hostiliter inimicabatur, suis viriliter patrocinabatur, quæ omnia præcipuè optimos Principes decent: qui ob insignia summi & singularis meriti à Rege in præliis Signifer, & in coronatione Regum Dapifer tam ipse quàm heredes ejus constituuntur, & agnomen *Grisa-tunica* referens præmia maximæ probitatis sibi adquisivit.

Fulconis Pii tres filii.

Fulco Grisatunica dictus Signifer & Dapifer Regis.

2. Cùm autem voluisset Deus sublimare ROBERTUM filium Ducis * in Regem, GOFRIDUS prædictus cum tribus millibus armatorum subvenit domino Regi suo. OTTO siquidem Rex Alemannorum cum universis copiis suis Saxonum & Danorum montem Morentiaci obsederat, & urbi Parisius multos assultus ignominiosè faciebat. In hac necessitate prælii Rex ROBERTUS & pater suus Ducatum primæ cohortis prædicto Comiti GAUFRIDO tradidit, & ad persequendum exercitum Alemanorum ducem & consiliarium constituit. Persecutus est itaque Rex ROBERTUS Alemannos cum præeunte Gaufrido usque ad flumen Esnæ. Comes verò Gaufridus gnarus pugnandi & assuetus magnam stragem hostium super flumen dederat ante Regis Roberti adventum, quod stagnum putares non flumen. Aleman-

* Hugonis.

Armis Ottonem Aleman. Regem vicit.

Digitized by Google

nis itaque fugatis Rex ROBERTUS congregato generali consilio patris sui Episcoporum, Comitum & Baronum dedit GAUFRIDO Comiti quidquid Rex LOTARIUS in Episcopatibus suis habuerat, Andegavensi scilicet & Cenomannensi: si qua verò alia ipse vel successores sui adquirere poterant, ea libertate qua ipse tenebat sibi commendata concessit.

Adversus Herbertum Rex arma sumit, obsidet Melodunensem civitatem.

3. Siquidem nequitia HERBERTI Comitis Tricacensis non potuit sustinere prosperitatem Roberti Regis, sed ad ejus deprimendam perfidiam quem majorem potuit exercitum Rex congregavit; obsedit Meledunum; denique cùm diu ibi sedisset, vidisséque quòd nihil proficeret, vocato Gaufrido cum Andegavensibus suis sine mora ad consuetum obsequium properavit. GAUFRIDUS verò præmisit Conestabularios suos, ut Regem interpellarent qua parte illum sedere præciperet. Illi verò reversi nuntiaverunt domino suo quòd tantus esset exercitus, ut nullus esset eis ad obsidendum competens locus, prædictum verò oppidum in insula Seicanæ situm est circumdatum undique muro. Videntes autem Andegavi quod nullum possent habere hospitium induunt arma, prorumpunt per medium exercitum, transmeant fluctus Sicanæ, dant assultum oppido, virtute consueta capiunt castrum, & quod exercitus non potuit per septem menses, isti dimidiæ diei spatio adepti sunt. Franci verò hujus gentis inauditam admirantes audaciam ubicumque locorum ipsos omni laude magnificabant. Videns autem tanti Principis strenuitatem, & ipsum prævalere in Regno tam armis quàm consilio, & quæ hîc & alibi bene meruerat, sibi & successoribus suis jure hereditario Majoratum Regni & Regiæ domus Dapiferatum cunctis applaudentibus & laudantibus exinde donavit.

Comes Andegav. cum suis illam assultu capit.

Comites Cenomanens. & Corbonensis renuunt fidē Regi præstare.

4. Etiam hujusmodi obsequium præstitit Comes GAUFRIDUS domino suo Regi Roberto. DAVID Comes Cenomannicus & GOFREDUS Comes Corbonensis dedignabantur feodum recipere suum deprædicto Rege, asserentes nullo modo se posse subjici generi Burgundionis. Audiens autem Rex eorum superbiam, & vi-

Digitized by Google

dens Regni sui non parvam diminutionem, habito consilio cum comite GAUFREDO, & cum Primatibus Regni, tempore constituto & die nominato decrevit obsidere castrum Mauritoniæ. Comes verò Gaufredus præ- Comes
noscens adventum exercitus Regis movens castra de Gaufridus
Vindocino, dans assultum prædicto castro virtute con- capit cas-
suetа & probitate gentis suæ, Gaufridum & oppidanos tra de Ven-
minus timentes cepit, & domino suo Regi reddidit. docino.

5. DAVID verò dedignans ad colloquium Regis ve- Ipsius di-
nire, mandavit quòd nullomodo se ei subjiceret, & tioni Rex
quòd nullo tempore Rex Robertus Cenomannicam Cenoman.
suam videre præsumeret. Audiens autem Rex arroganti- subjicit.
am & indignationem prædicti Comitis, ipsum David & Cenomannicam suam Gaufredo Comiti & succes- *Fabulam*
soribus suis ex dono Regio tribuit jure hereditario possi- *redolent*
dendam in perpetuum. *quæ sequuntur.*

6. In diebus illis HUASTEN Danus tribus annis Gal- Dani Fran-
lias circa loca maritima maximè infestans, ad ultimum, ciam ar-
ad consobrinos suos EADWARDUM & HILDUINUM *, qui mis & in-
Consules Flandriæ erant, cum quindecim millibus Da- cendiis de-
norum & Saxonum pervenit, secum habens HETEL- vastant.
VULFUM miræ magnitudinis & fortitudinis virum, quem *f.* * Balduinum
Franciscâ linguâ HAUSTUINUM vocat. At verò Dani cum Saxonibus per regionem Francorum discurrebant, rapinis & incendiis quæque poterant oppida vel villas pessundantes. Peragrata itaque armis atque incendiis auxilio Flandrensium tota ferè illa depopulatáque regione, quam propè Franci Flandriam habitant, consultum est Parisius transire, terrorémque suum ubique spargere. Ventum itaque in vallem amænam & pulcherrimam inter locum, qui Mons-morentius dicitur, & Parisius, castellúmque Morentij captum munientes, Castellum
diutiùs ibi morari existimaverunt. Cujus præsumptionis Morentij
timore Rex in solemnitate Pentecostes undique Proce- propè Pari-
res suos Parisius congregare dispositi, videns sibi nullam sios capiũt.
fieri tunc copiam pugnandi, cùm Franci intra mœnia urbis refugerent compulsi, foras erumpere non erant ausi. Singulis igitur diebus HETELVULFUS Danus veluti

Digitized by Google

Danus plures Francos duello superavit & occidit.

alter Goliath agminibus Francorum exprobrans, ante urbem Parisiacam singulare duellum ab aliquo Francorum exigens veniebat, à quo cùm complures milites ex nobilioribus & ex fortioribus Francorum duello devicti & perempti fuissent, Rex dolore commotus nè quis ampliùs contra eum exiret prohibuit. GAUFRIDUS Comes Andegavus audito Regis nuntio, qui eum venire ad curiam in prædicto festo submonuit, Landonensi castro, quod suum erat, ante impositum sibi diem ire disponens, paucis diebus ante Dominicam Ascensionem Aurelianis venit; ubi cùm certissimè virtutem & crudelitatem prædicti Dani didicisset, fingens se vir magnanimus ad colloquium cujusdam amici sui absconditè ire, suis ut præirent & Landonensi castro eum expectarent præcepit. Ipse verò uno solo milite cum duobus armigeris secum retento, clam à suis discedens, serò Stampis hospitatus, socios nè cuiquam se detegant monuit.

7. In crastino Consul furtivus viator egreditur, non longè à Parisiaca urbe burgum sancti Germani devitans, à molendinario qui molendinos Secanæ custodiebat, dato ei suo habitu, navigium sibi parari impetravit. Volens adhuc Consul se occultare, ea nocte in domo molendinarij dormit. Mane cum uno solo equo milite suo sibi sociato, cum duobus armigeris, molendinarij navigio Secanam transit. Viso Dano ejúsque clamore audito Comes infremuit, & armatus citò equum ascendit, relictis in navi sociis, amœna planitie solus ei obviavit. Uterque autem cornipedem calcaribus urgens, appropinquavit. Comes perforato hostis pectore ferro etiam inter armos foras emisso Danum prostravit, qui & illæsus recessit, licèt Danus gravissimo ictu dato, fracto clypeo scisáque lorica juxta sinistrum latus Consulis ferrum deducens, fractâ hastâ equum illius in postremo femore vulneravit. Respiciens Comes Danum gemebundum torvis oculis adhuc minacem, nitentémque exurgere, festinus descendit, abstracto ipsius gladio proprio velut alter David caput abscidit. Iterum

Comes Gaufridus Danum devicit, prostravit, & caput ejus amputavit.

Digitized by Google

equum statim scandit, & cum hostili equo & capite ad navim properat; fluvio enavigato domino navis caput ut in civitatem deferat tradidit. Ipse clandestinus viator Landonensi castro ad suos rediit, sociis in via ne se detegant obnixè præcepit. Multi autem ex murorum & propugnaculorum spectaculis, & ab Ecclesiarum apicibus prospectabant, & quamvis qui essent ignorarent, tamen prosperitati ejus invidebant. Lætabantur autem in Domino Jesu, & gratias agentes securiùs cives extra urbem cursitabant.

8. Denique bajulus capitis venit in urbem, & Rege præsente nomen & militis personam se affirmat ignorare, uti eum quem numquam viderat, tamen si videret cognoscere eum non dubitaret. Rex aliud animo considerans, vel deliberans, ad præsens siluit. Dani dolentes, magis in iram efferati Francos ardentiùs impetebant, & ab ingrassationibus in eos nullatenus abstinebant; & licet montem Morentium spoliatum & combustum reliquerunt, tamen loca omnia Silvanecto & Suessioni adjacentia, usque etiam Lauduno Clavato perturbabant. Venerunt statuto die Parisius convocati Principes, Duces videlicet & Consules, & totius Franciæ Magnates, omnésque majores natu quorum peritia præeminebat, simul in aula Regis convenerunt: Gaufredus Comes Andegavis indutus tunica illius panni, quem Franci grisetum vocant, nos Andegavi buretum, inter Principes sedebat. Molendinarius ad hoc à Rege evocatus affixis oculis ipsum agnovit, & licentiâ à Rege postulatâ, vultu jucundus ad Consulem accessit, qui genuflexo arrepta Comitis tunica Regi & cæteris ait: Hic cum hac grisa sternendo Danum Francorum opprobrium abstulit, & exercitui eorum terrorem incussit. Rex ut deinceps Gaufridus Grisa tunica vocaretur edixit, cui omnis multitudo assensum præbuit.

Grassantur Dani per loca Silvanectis, Suess. & Lauduno proxima.

9. Cùm hæc agerentur, ecce ex improviso Legati adfuerunt, qui Danos in valle Suessionis castra posuisse retulerunt; quibus adjuncti sunt innumeri milites Flandrensium in Ducatu suo habentes populum quampluri-

Digitized by Google

mum. His auditis locutus Rex ad Optimates, sic de-

Regis oratio ad exhortandos. Nobiles ut adversus Danos dimicent & expellant.

» mum ora resolvit; Videtis, Optimates, quod sine pro-
» fundis singultibus enucleare non possum, quantis ca-
» lamitatibus & incommoditatibus populus Francorum
» percellitur. Quid plebeios homines commemorem; cùm
» plures ex nobis ex illustri sanguinis stemmate orti inedia
» palleatis, & gravis lues Danorum vestros lares conta-
» minet? Jamdudum agri vestri in solitudinem redacti, vel
» nullo vomere excoluntur. Nè, quæso, deturpetur
» propter negligentiam laus Francorum. O genus infra-
» ctum! O gens invictissima nè terreamini! Res in arto
» est, bellum ex adverso est, hostis multus in proximo est.
» Expergiscimini, fortissimi milites, ecce dimicandi tem-
» pus est, bellicosas manus exerite, viréque avitas dum
» tempus est ostendite. Quid opus est verbis? Jam nunc
sibi quisque loquatur. Nobilitas igitur quid Regi con-
suleret, anxiabatur. Quorum quidam responderunt:
» Nullam ad præsens dare possumus pugnandi senten-
» tiam, sed volumus & collaudamus, quatenus ista re in-
» ducta pugnam procrastinemus donec majores vires
» habeamus.

Gaufridi Comitis item oratio.

10. GOFRIDUS tamen Grisatunica suum exprimens
» consilium adiecit: Vos domini Consulares & illustres
» viri, lux & flos victoriosæ Franciæ, decus & speculum
» pugnatricis militiæ, pro vobis ipsis decertate, & pro
» fratribus vestris animas ponite. Nam quoad populum
» qui se Regi & nobis commisit multum mori conspica-
» mur; Video vos, Deo gratias, unanimes, nec aliquis
» in hac re debet ab alio diffidere. Quid refert dominus à
» servo, nobilis à plebeio, dives à paupere, miles à pedite,
» nisi nostrum qui præsidemus eis prosit consilium, & pa-
» trocinetur auxilium. Si Dani mihi dominabuntur im-
» punè, nolo ampliùs vivere. Timendum est si moriamur
» inglorii; aut si comparemur jumentis insipientibus,
» brutis assimiles animalibus. Omnes quidem anhelare
» debetis ad pugnam, quia omnes id ad communem credi-
» tis profuturum salutem. Ego verò id ipsum collaudo,
» vehementer efflagito, rogo ne sicut segnes moriamur,

Digitized by Google

vel imbecilles, ne simus improperium vel omnium infamia gentium. «

11. His dictis non sine gravibus illorum lamentis quos relinquebant processerunt, nec isti nec illi sperabant de cetero posse frui adspectu mutuo, hi & illi proruebant in carorum oscula, & omnes in lacrymas ciebantur. Venerunt autem circa Sueſſionis regionē, & intraverunt vallem unam formosa planitie venustam, illic unusquisque suas acies gradatim ornaverunt & ordinaverunt. Locuti sunt Optimates de bello ordinando, & negotium illud commiserunt Andegavensi Comiti GAVFRIDO. Eia, inquit, Gaufridus singuli vestros evocate vel convocate, & signo dato unusquisque cum vestra acie militate, ubi autem opus fuerit rem peragite, & actuum & ictuum paternorum ne obliviscamini. Ordinatæ sunt itaque sex acies, quinque ex illis præcesserunt, qui belli pondus sustinerent, & inimicum agmen efficaciter feriendo repellerent. Franci procedunt ad pugnam.

12. Rex postremus cum acie sua gradiebatur omnibus provisurus & subventurus, & si Dani prioribus prævalerent, totam belli ingruentiam excepturus, litui clangebant, bucinæ reboabant, utriusque multitudinis clamor audiebatur, & jam clipeus clipeo, jam umbone umbo repellebatur, hastis confractis, enses mutilabantur & cominus utraque Danorum & Flandrensium instabant legiones, & ipsorum supervenere succenturiæ quæ graviter primos cœperunt repellere. Nequibant autem impetum tot nationum sustinere, sed titubantes cogebantur cedere. Tantus enim erat clamor & strepitus telorum & imber; ut ipsum etiam aërem obnubilarent. Ingemuit Rex, undique prospiciebat eos tanquam oculatus, & ait: Christe tuos sustenta Francos. Et Gaufrido qui suum detulerat vexillum, per nuntium adjecit: GAUFRIDE calcaribus rapidum urge cornipedem, & Francis titubantibus esto juvamen. Memor esto, obsecro, parentum nostrorum, ne lividemus in aliquo titulum Francorum. Conflictus utriusque exercitus Gallorum & Danorum.

13. GAUFRIDUS sanctæ crucis signo munitus, & auxi-

Digitized by Google

liaribus constipatus manipulis properus affuit, Danísque miles audaciſſimus obſtitit. Interdum enim perfidos aggreſſus eſt illos ut vexilli Regis ſingulas in ore Danorum volitare faceret, altóque clamore ſuo eos aliquantulum deterreret. Ad illius primipilaris impetum Franci animo reſumpto in Danos irruunt unanimiter, & pugionibus vibratis inſtabant efferatiùs inſtantes, fragor armorum multus erat, & ab æreis caſſidibus ignis elucubratus multus ſcintillabat, vulnera vulneribus illidebantur, & campi nimio ſanguine purpurabantur. Inteſtina videres dependentia, & cæſa capita & trurcata corpora paſſim oppetentia. Exterriti ſunt autem Dani præ timore nimio, & repentè cuneis eorum labentibus, fugæ ſe commiſerũt. Perſecuti ſunt eos ſternendo Franci, proterẽdo, mactando, & cæſi ſunt ibi multi milites & pedites, adeò ut ipſorum Duces inventi ſint poſtmodùm mortui in medio quinque millium mortuorum, magno autem Franci potiti triumpho, læti reverſi ſunt, ſecum adducentes equos multos, ſpoliáque multa quæ ſibi ipſi manu ſua in prælio pepererant. Factum eſt gaudium magnum in Francia, Deóque dignas omnes edidere gratias.

Dani partim cæſi partim in fugam verſi ſunt.

14. Rurſus à partibus Alemanniæ bellum novum exortum eſt. Quidam Teutonicus de Suevia EDELTEDUS nomine, qui de genere FARAMUNDI & CHLODOVEI deſcenderat, Regnum Francorum jure hereditario exigebat Qui auxilio Ottonis Italiam, Lotharingiam & ſuperiores partes Franciæ impugnabat. Conquerebatur in propatulo de fœderatis pactionibus quas HUGO Rex in præſentia HENRICI Ducis Lotharingiæ, & RICHARDI Comitis Normanniæ, & GOFRIDI Andegavi in quodam colloquio fecerat, ſcilicet quòd Regnum Francorum HUGO ſibi dimitteret, ita dumtaxat ut ſibi Ducatum totius Franciæ daret, ſicut Dux Hugo olim poſſederat, quod prædicti Principes, ut aiebat, & multi alii Magnates fide ſua pepigerant. GAUFRIDUS Griſa-tunica aliis dubitantibus ſurrexit, & ait: Nuſquam perjurii volo redargui, nec patiar ut nobis domineris. Regem méque & ſocios de fide mentita defendo. BERTOLDUS frater Ducis

Diſſidium inter Edeltedum Suevum & Regem Franc. *Fabula.*

Digitized by Google

Ducis Saxoniæ vir factus ad unguem pro Teutonico duellum arripuit, & adjecit: Pares & coæquales vestri quod justum est dijudicent. Altercatio enim hæc insopitabilis est. Congregati sunt utriusque partis majores, auditæ sunt utriusque litigantis quæstiones. Itum est in partem, & responderunt expectantibus judicium: Communi consilio à nobis concordatum est, quòd qui victor exstiterit, Regnum in pace teneat. Alter consilii nostri « auctoritate Regno dimisso viam suam pacificus accele- « ret. Id totum ita concessum est, & sic se simpliciter « prosecuturos manu in manum Episcoporum firmatum est.

15. Regina GAUFRIDI Andegavis consanguinea partem zonæ B. MARIÆ Virginis, quæ in capella sua erat, quam CAROLUS Calvus à Byzantio attulerat, ei misit, & ut nuda colli ex ea ligaret præcepit, affirmans quòd in hoc vinceret. Ad bellum igitur Gaufridus animatus, jam majori fiducia procedebat. BERTOLDUS siquidem tantæ animositatis & stoliditatis erat, ut nullum sibi audere venire obviam ad pugnam arbitraretur; aiebátque: Sinite eum, exeat, veniat; ego illum contemptibi- « lem caniculum, qui de bello ausus est præsumere, statim « prævalens suffocabo. Ventum est ad prælium, pugnatur « viriliter: primo impetu neuter cecidit, sed BERTOLDUS dum equum giraret, à Comite lanceâ inter scapulas graviter vulneratur. Sanguis illius funditur, utrimque irremediabiliter pugnabatur, cassidesæneæ resonabant, nulla eis requies præstabatur, cùm BERTOLDUS equo cadit, citóque in pedes surgit, Consul animosus descendit. Tunc eorum corpora sudore & cruore liquentia conspiceres, cùm manus manibus, pedes pedibus, corpora corporibus impingebant. Ad ultimum verò ruptâ loricâ Bertoldi, extis ejus fusis, ille prælior fortissimus Gofridus Grisa-tunica victor extitit. Franci verò Christo gratias egerunt, diémque illum solemnem duxerunt, Deóque dignam immolaverunt laudem. Teutonici cum duce suo EDELTEDO confusi ad propria redierunt. Gofridus licentiam redeundi à Rege & Regina poposcit,

Partem zonæ B. Virg. Regina dat Gaufrido.

Gaufridus Comes singulare certamen init cum Bertoldo qui ab illo victus fuit.

Digitized by Google

Zonæ B. Virg. partē in Ecclesia ponit, atque inibi Canonicos constituit.

Zonámque sibi dari promeruit, quam in Ecclesia B. Virginis Mariæ Lochis posuit, & Canonicos ad simul vivendum constituit, & ex propriis rebus multa eis dedit. Post hæc Gofridus Deo favente repulsis & repressis hostibus, plures annos vixit, terrámque suam in pace rexit: nullus enim contra eum mutire audebat. Genuit autem plures filios quorum minor MAURICIUS nomine, ceteris patre superstite mortuis, supervixit. Ipse verò mortuus sepultus est in Ecclesia Beati Martini Castri-novi.

Obit Gaufridus.

CAPUT VII.

De MAURICIO.

Mauricii virtutes enumerantur.

1. MAURICIUS Gofridi Grisæ-tunicæ filius, vir prudens & honestus, bonorum & pacis amator, plus sapientia quàm bellis Consulatum pacificè rexit vel tenuit. Qui quòd fructus ingenii & virtutis omnísque præstantiæ tunc maximus capitur, cùm in proximum quemque confertur, haud ignorabat. Igitur suis certis parentibus, & vera amicitia sibi conjunctis multa beneficia contulit; quæ teste Tullio meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Superiores exæquare se cum inferioribus amicis aliquando debere: inferiores verò non dolere se à suis aut ingenio aut forma, aut dignitate superari, Mauricius affirmabat. Qui hac opinione multos ex suis elevans, ad amplissimos honores perduxit. Ipse verò peritus in causis, oratoriis ornamentis sibi adhibitis, audaciùs ceteris in curiis eloquens vir loquebatur, & quæ esset erudita, quæ popularis oratio edocebat. Duxit autem uxorem de Alvernienſi pago, filiam HAMERICI Consulis Santonici, neptem RAIMUNDI Pictavis Comitis, ex qua FULCONEM Nerram genuit.

Uxorē ducit Mauricius.

Insurgit in Mauricium Landricus Dunensis.

2. Surrexit in eum vir quidam iniquus, dolo & omni malitia repletus, LANDRICUS Dunensis, qui in Consulatu Andegavensi multa nefaria perpetravit; Ambaziaco verò & Lochis fideles Consulis pluribus laboribus in-

Digitized by Google

justè vexavit. Hunc Landricum pater Mauricij Gofridus Consul Ambazio hereditaverat, & domum munitissimam à meridiana parte Castri-novi sitam cum plurimis casamentis ei donaverat. Iste Mauricio filio ejus retributionem quam Deus nescit, scilicet mala pro bonis sæpe reddidit. Existimabat enim Ambasium Consuli auferre, confidens in auxilio Odonis Campanienſis qui possidebat Campaniam usque Lothoringiam, Briam etiam & Carnotim, Turonim & Blesim. De nomine hujus castelli & constructione sive constructore ejus breviter lectori intimare curabimus. YVOMADUS quidam *Fabula.* juvenis de Britannia secum habens mille viros, à prælio cum Odone Carnotensi Consule rediens, locum in Comitatu suo ubi remaneret petiit; qui blandis blesísque sermonibus eum decipiendo, locum super ripas Ligeris ad libitum impetravit. Unde non villam sed oppidum firmissimum ne ab Eudone vel alio eriperetur, erexit. Quod cùm diu post adspiceret, iratus ait Eudo: Hoc tibi non concessissem si verbum sapientis patris filio dictum memoriter retinuissem:

Sermones blandos blesósque vitare memento.
Simplicitas veri fama est, fraus dicta loquendi.

YVOMADUS iram ejus mitigans supplicando, obtestando castrum obtulit. Sed Eudo ut erat benignus hominibus, jusjurandum ab eo suscipiens, castellum illud concessit, & à deceptione Blesim vocavit.

3. Itaque LANDRICUS per Turonim & Lengiacum descendens Valeiam impugnabat, favente sibi Salmurienſi GELDUINO, qui Salmurium Vceúmque & alia multa in Turoni & Blesenſi territorio de feodo prædicti Odonis tenebat. Resistebant tamen Landrico duo germani fratres ARCHENBAUDUS de Busenciaco & SULPICIUS beati Martini Thesaurarius, ambo prænimium Consuli fideles, qui partem Ambasiaci oppidi jure hereditario possidebant. Isti domum defensibilem Ambasio habebant in loco ubi post obitum fratris sui Thesaurarius arcem lapideam composuit, & à propria domo & à domicilio Comitis Landricum & suos infestabant. MAU-

Digitized by Google

Mauricius graviter ægrotans filiũ suum Fulconẽ adhortatur.

RICIUS gravi morbo præoccupatus FULCONEM filium suum jam adultum militémque fortissimum sic alloquitur: Fili, nulla domus est pusilla quæ amicos habet plurimos. Moneo igitur ut eos caros habeas qui mihi & tibi fideles amici fuerunt, malis hominibus, quibus utilissimum esset malitiam effugere, ne parcas. Semper mali bonis invident, teste verò Seneca, Facilius est pauperi contemptum effugere quàm diviti invidiam; bonis enim nocet qui malis parcit. Video te, Deo gratias, ab avita probitate non degenerare; propter quod nunc gaudeo, & ut Thesaurarium fratrem tuum manu teneas præcipio. His dictis vir inclytus naturæ concessit, sepultúsque jacet in Ecclesia sancti Martini juxta patrem suum.

Moritur.

CAPUT VIII.

De FULCONE *Nerra.*

1. FULCO Nerra, cui consuetudo fuit *animas Dei* jurare, juvenis haud modici pectoris, Consulatum à multis hostibus viriliter aggressus est defendere. Semper enim contra novum Principem nova confestim bella emergunt. Monitu nempe pessimi Landrici ODÕ Campanienſis & GELDUINUS Salmurienſis Fulconem à Turonica expellere tentaverunt, putantes Ambasiacum Comiti auferre. Surgebat eis præsentis temporis opportunitas. Nam SULPICIUS Thesaurarius, fratre suo noviter mortuo, solus sub Consule tunc Ambasium regebat. Nec differt heros cordatissimus vindictam hostium properare, séque periculo exponere. Collecto igitur quantum potuit exercitu, terram inimicorum audaciter introivit, & ultra Blesim profectus ad castrum Dunum devenit. Habitatores illius castri cingulis militaribus accincti, armísque protecti ad pugnam se more militum castrensium paraverunt, & mox conglobati Consulem & suos invaserunt. Sustinuerunt igitur Andegavi frequentes impetus eorum usque ad vesperam, & cùm re-

Fulconem à ditione Turon. expellere conantur Odo Cãp. & Helduinus Salmur.

Digitized by Google

cedere attentarent, concursus instantium devitare nequibant, cùm Odunenses à tergo recedentibus insisterent. Postquàm Consulares nec laborem poterunt sustinere amplius, nec eos compescere, conglobati gradatim conati sunt redire, & cum eis pugnare. Itaque præmissis Ambasiacensibus Andegavi eos undique aggredientes coangustaverunt & prævaluerunt. Dunenses correpti timore, disgregati fugere cœperunt. Comes præliando in castrum suum ipsos fugavit. Multi itaque de gente plebeïa capti, alij gladio necati sunt. Requieverunt ergo ea nocte in loco illo tenentes milites viginti, & cereros captos ligatos custodierunt. In crastino terram illam deprædati sunt, & colonos illos humotenus pessumdederunt. Potiti ergo gaudio victorum *, Ambasiacum die tertio reversi sunt.

f. * cum gaudio victoriam.

2. Consul Ambasio domum Landrici obsedit, & tam ardenter expugnationem illius domus sui confecerunt, ut ipsos de domo ad resistendi desperationem compulerint. Scientes itaque se nec resistere posse, nec ne si caperentur meritas pœnas & mortes evadere, ex dedenda domo Comiti si sibi vita concederetur, cœperunt per Legatos tractare. Librato itaque consilio visum est bonum omnibus, sine discrimine obsidentium, tam grande removere periculum. Itaque vita eis indulgetur, & domus recepta funditus deletur. LANDRICUS & sui à castro illo expellitur; inde Comes Ligerim transiens in domum suam, quæ tunc antiquitus Casamentum vocabatur, nunc verò Villa Moranni, hospitabatur. Deinde per Semblaciacum, quam etiam firmaverat sibi, & per terram hominis & amici sui HUGONIS de Alvia qui dominus castri, quod Castellis dicitur, & sancti Christophori erat. Indeque Valeiam intrans Andegavis, civibus nolentibus Turonicis, ad libitum descendebat. Mirebellum verò & Losdunum Fulco possidens, Kainonim, qui Odonis proprius erat, Salmurum & Monsorellum, illósque de insula Buchardi abhinc sæpe expugnabat: & per terram Guennonis qui dominus Noastri erat Lochis redibat.

Victoriam de illis refert Fulco.

Digitized by Google

Laudetur Fulco.

3. At Fulco alter Cæsar beneficiis, munificentia, mansuetudine, misericordia, dando, sublevando, egenis & oppressis ignoscendo magnus habebatur : in eo miseris refugium : negotiis amicorum intentus, sæpe sua negligebat. Qui etiam in animum induxerat laborare, vigilare, nihil denegare quod dono dignum esset. Magnum imperium, novum bellum, ubi virtus enitescere posset exoptabat. Quibus temporibus Geldoinus nobilis vir ex genere Danorum, castro Salmurensi in fidelitatem Blesensis Comitis & omnibus appenditiis ejusdem castri dominabatur.

Amicitiam init cum Lisoio & aliis ad decertandum adversus Odonem & Geldoinum.

4. Fulco prædictus Comes, Herberto Cenomanensi fideli sibi amicitiæ copula adjuncto, Lisoium ad certamen pugnandi cum Odone & Geldoino arripuit, cupiens eis Turoniam auferre. Ad hoc igitur peragendum Fulco Comes ut erat hujusce rei sagacissimus, & bellator fortissimus, quoscumque probos potuit suæ fidelitati adjungere non distulit. Itaque prædictum Lisoium ascivit, inveniénsque eum in his quæ deliberaverat cordatissimum, suis familiaribus consiliis impertivit. Quid mirum ? Veteri enim proverbio dicitur : Similis similem quærit. De talibus quoque Tullius ait : Amicitia proborum nisi detestabili scelere dirimi non potest. Consimilis enim sensus extitit amoris, si aliquem nacti sumus cujus moribus & natura congruamus, ita quòd in eo quasi lumen probitatis aliquod prospicere videamus. Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum. Quippe cùm propter virtutem & probitatem etiam eos quos numquam vidimus quodammodò diligamus.

5. Denique prædictus Fulco castrum Lochas & Ambasiacum oppidum Lisoio ad custodiendum tradens, ut omnes tam nobiles quàm ignobiles jussibus suis obtemperarent, & per omnia ei parerent, præcepit. Lisoius ubi naturam domini sui & mores subditorum hostiúmque cognovit, ut erat impigro & acri ingenio, multo labore, multáque cura, præterea modestissimè Consuli parendo & sæpe eundo obviam periculis, in tanta

Digitized by Google

claritudine brevi pervenit, ut suis carus vehementissimè, hostibus quàm maximo terrori esset: quod autem difficillimum est, & prælio strenuus, & bonus consilio erat. Quorum alterum ex providentia timorem auferre solet, alterum ex audacia aliquid magnum sine consilio aggredi. Suscepto igitur regimine duorum castrorum, Lisoius impiger & irrequietus Blesenses, Calvimontenses, nec non terram sancti Aniani habitantes quotidiana deprædatione & incensione vastabat, & Comes Fulco ei sæpè auxiliabatur. Denique Fulco Comes negotia sua pertractans, hunc virum bellicosum militaribus armis efficacissimum Lisoium de Basogerio, nepotem Vice-comitis de sancta Susanna, Lochis & Ambaziaco præfecit, & militibus tam majoribus quàm minoribus ut ei obedirent præcepit. Ipse fratres habebat, cognatos, natos, & affines multos, qui omnes cum Lisoio spontanei remanserunt.

6. Quidquid, teste Boëtio, certum deserit ordinem, lætos non habet exitus. Comes siquidem Britanniæ Conanus ordinem sui Consulatus cupiens excedere, spreto Fulcone, virtute quatuor filiorum confisus, fines Andegavorum vastare non destitit. Meduana fluvius inter occidentales amnes non ultimus, qui placidis undis Andegavium perlabitur, quem pons saxeus Hybernas passurus aquas amplectitur, usque ad hunc Conanus & filij Consulatum habere volebant. Interea Conanus Fulconem sciens ab Andegavis abscessisse ad curiam Regis, Aurelianis ire disposuit, filiis suis ut Andegavum discurrerent, & interim languidiora terræ ut explorarent præcepit. Audientes autem filij Fulconem abesse, gavisi sunt, sperantes se Andegavensibus prævalituros, utpote quos paucos & immunitos opinabantur. Dum Consules Aurelianis Regem exspectarent, in quadam domo ut ventrem purgaret secessit in thalamo ejusdem domus à Fulcone solo pariete diviso Conanus venit, suis ibi aperit quòd filij sui quarto die usque ad portas Andegavis omnia demoliendo discurrent. Quo audito Comes ad succursum suorum fingens se festinat

Fulco de Britannis insignem reportat victoriam.

Digitized by Google

Landonenſi caſtro ſuo ire, nocte & die equis ſæpè mutatis equitat, ſuis in via ut ſequantur imperat. Secundo die ſerò Andegavis abſconditè intrat, multos milites & pedites extra urbem congregat. Britones ſtatuto die uſque ad portas urbis ſecuri impetuosè currunt.

7. FULCO & ſui latitantes in eos ſecuros celerrimè irruunt, alios proſternunt, alios in fugam convertunt. Nam regreſſu Conſulis cognito, reſiſtendi nec ad momentum conſtantiam habuerunt inimici. Ita diſperſi quo quiſque potuit citiſſimè diffugerunt. Mortui ſunt in illo conflictu duo filij Conani, innumeríque pedites perempti. Alij duo cum multis Baronibus & militibus & peditibus capti. FULCO autem ſtatim ad curiam Regis citiſſimè rediit, & ipſo die quo venerat Rex, ipſe & quidam ſuus miles equitans varium equum Alani primogeniti filij Conani, ante aulam regiam deſcenderunt. Quæſitum eſt à Britonibus quomodò equus ab illis habeatur, verúmque auditur & Conano nuntiatur. Defler Conanus caſum ſuorum, coram Rege lamentatur. Ab Epiſcopis pax quæritur, & mediante ROBERTO Rege, & RICHARDO Normannorum Duce, qui viduam filiam Conani habebat uxorem, concordia efficitur. Alanus primogenitus Conani cum fratre ſuo redimitur. Omnes capti dato competenti pretio liberantur, & à FULCONE Conſulatus ultra meduanam quietè & pacificè poſſidetur.

* Glaber 8. Nunc de moribus Britonum quid Glabellus* Rodulfus hiſtoriographus in hiſtoria ſua ſcripſerit, & de Conano Pſeudo-Rege facto & de bello cum eodem Fulcone habito noſtro operi breviter inſeramus.

Ex Glabri lib. 2. c. 3. [Narrant ſiquidem plerique diſputantes de mundani orbis poſitione, quòd ſitus regionis Galliæ quadra dimetiatur locatione. Licet ergo à Riphæis montibus uſque Hiſpaniarum terminos in lævo habens oceanum mare, in dextro verò paſſim juga Alpium, propria excedat longitudine menſuram rationis quadriformæ. Cujus etiam inferius ſeu finitimum, ac perinde viliſſimum Cornu-Galliæ nuncupatur. Eſt illius Metropolis caſtrum Dolum:

Digitized by Google

Dolum: inhabitatúrque diutiùs à gente Britonum, quorum solæ divitiæ primitus fuere libertas fisci publici, & lactis copia. Qui omni prorsus urbanitate vacui, sunt-que illorum mores inculti, sed faciles coli, ac levis ira, sed citò placabiles, multa sed fatua garrulitas. Horum scilicet Britonum aliquando Princeps extitit quidam CONANUS nomine, qui etiam acceptâ in matrimonio Fulconis Andegavorum Comitis sorore, ac demum insolentior suæ gentis Principibus cœpit existere. Nam more Regio imposito sibi diademate in sui anguli popello plurimam inconsultè exercuit tyrannidem. Postmodùm verò inter ipsum CONANUM & prædictum FULCONEM, Andegavorum videlicet Comitem, exortum est indissolubile jurgium; ita ut crebris suorum invicem depopulationibus ac sanguinis effusionibus lacessiti, ad ultimum quoque quamquam civile tamen ineluctabile inirent cominus prælium. Cùm igitur multúmque vicissim sibi mala quæ poterant irrogassent, ab utroque decretum est, ut in loco qui Concretus dicitur, quisque illorum cum suo exercitu die constituto advenientes prælii certamen inirent. Sed Britonum exercitus excogitata fraudis muscipula partem Fulconis exercitus nequiter prostraverunt. In prædicto namque loco, scilicet ubi certamen ineundum fuerat, clam prævenientes plerique Britonum, ibíque nimiùm astutè profundum atque perlongum fodêre vallum, ramísque arborum superinsertis densatim, impositâ videlicet hostibus muscipulâ, recessêrunt.

Astutiâ Britonum Andegavenses prostrati.

9. Die igitur constituto juxta condictum dum illuc uterque cum suo exercitu adveniret, atque acies utraque jam in procinctu videretur, informata gens Britonum callida fraudísque propriæ conscia, simulans se velle arripere fugam, scilicet ut avidiùs demergeret hostem in latentem muscipulam. Quod cernens FULCONIS exercitus, cupiénsque expeditè super eos irruere, corruit pars ex eis non modica, in foveam videlicet Britonum astu paratam. Ilicò autem conversi Britones, qui priùs fugam simulaverant, immaniter super Fulconis

Digitized by Google

exercitum irruentes, asperrima quamplures ex eis cæde prostraverunt. Ipsum etiam pulsum de equo in terram loricatum dejecerunt, qui exsurgens nimio accensus furore, dictis relevans, exacuénsque suorum animos, ac velut turbo vehementissimus per densas segetes impellens, omnem exercitum Britonum crudeli nimium cæde mactaverunt, deletóque pene universo exercitu Britonum, ipsum etiam CONANUM illorum Principem truncatum dexterâ vivum capientes FULCONI reddiderunt. Qui potitâ victoriâ reversus ad propria, non illi postmodùm quispiam molestus extitit.

Fulco tamen potitur victoria.

Ex Glabri hist. lib. 2. cap. 4.

10. De eodem igitur Fulcone perplura dici potuissent ipsius gestorum, quæ scilicet fastidium vitantes siluimus. Unum tamen restat memorabile quod impræsentiarum relaturi sumus. Cùm enim circúmquaque in diversis præliorum eventibus plurimum humanum fudisset sanguinem, metu gehennæ territus sepulcrum Salvatoris Jerosolymorum adiit: indéque ut erat audacissimus admodum exultanter rediens, aliquantum ad tempus à propria feritate est lenior redditus. Tunc ergo mente concepit, ut in optimo fundorum proprii juris loco Ecclesiam constitueret, ibidem Monachorum cœtum coadunaret, qui videlicet die noctúque pro illius animæ redemptione intervenirent. Qui etiam ut semper curiosè agebat, cœpit quosque percunctari Religiosos, in quorum potissimum memoria Sanctorum eamdem Ecclesiam fundare deberet, qui videlicet & pro ejus remedio animæ omnipotentem Deum orarent. Cui inter ceteros à propria etiam uxore, quæ valde sano pollebat consilio, suggestum est, ut in honore ac memoria illarum cælestium virtutum quas Cherubim & Seraphim sublimiores sacra testatur auctoritas, votum quod voverat expleret. Qui libentissimè annuens, ædificavit Ecclesiam admodum pulcherrimam, in pago scilicet Turonico, miliario interposito Lochacensi castro. Expleto denique quamtociùs Basilicæ opere, protinus misit ad HUGONEM Turonorum Archipræsulem, in cujus scilicet constituta erat Diœcesi, ut illam sacraturus quemadmodum decre-

Fulco cùm rediisset Jerosolyma condit Monasterium.

Digitized by Google

verat adveniret. Qui venire distulit, dicens se minimè posse illius votum dicando Domino committere. Qui videlicet matri Ecclesiæ sedis sibi commissæ prædia & mancipia subripuerat non pauca. Hócque potiùs illi videbatur competere, ut primitus si quid injustè diripuerat alicui, restitueret, sícque deinceps justo judici Deo propria quæ voverat offerre deberet.

11. Cúmque igitur ista FULCONI à suis perlata fuissent, diutina feritate resumpta, animo indignè ferens Episcopi responsa, insuper comminatus est illi validius, ac sublimius quod valuit adegit consilium. Mox denique copiosâ argenti & auri assumptâ pecuniâ Romam pergens, JOHANNI Papæ causam suæ profectionis exposuit, ac deinde reportans quod ab illo optaverat, plurima ei munerum dona obtulit. Qui protinus misit cum eodem Fulcone ad prædictam Basilicam sacrandam, unum ex illis quos in beati Petri Apostolorum Principis Ecclesia Cardinales vocant, nomine PETRUM, cui etiam præcepit veluti Romani Pontificis auctoritate assumpta, quidquid agendum Fulconi videbatur intrepidus expleret. Quod utique audientes Galliarum quique Præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apostolicam regebat sedem, Apostolicum primitus ac Canonicum trãsgrediebatur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quispiam Episcoporum in alterius Diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente. Igitur die quadã mensis Maii congregata est innumerabilis populi multitudo, ad dedicationem scilicet prædictæ Ecclesiæ. Ex quibus multo etiam plures illuc Fulconis terror ob suæ elationis pompam venire compulit. Episcopi tantùm qui ejus ditione premebantur, coacti interfuere. Cœptâ igitur die constituta satis pompaticè hujusmodi dedicatione atque peractâ, Missarúmque ex more sollemniis

Digitized by Google

celebratis, postmodùm ad propria rediere. Denique imminente ipsius diei hora nona, cùm flabris lembus serenum undique consisteret cælum, repente supervenit à plaga australi vehementissimus turbo, ipsam repellens seculam ac replens eam turbido aëre diu multúmque concutiens, deinde verò solutis laquearibus, universæ ejusdem Ecclesiæ trabes, simúlque tota teges per pignam templi ejusdem occidentalem in terram corruentes, eversum jerant. Quod cùm multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simúlque præsentibus ac futuris quibúsque, nec huic simile agerent, evidens indicium fuit. Licet namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ Sedis ceteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque Orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex, ac sponsus propriæ sedis, uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi Diœcesi.]

Hactenus Glaber.

12. Ædificatis igitur religioni officiis utilibus, vir Deo devotus consilium de religione cum religiosis habens, tandem ex definito Sanctorum consilio evocat sancti Genulfi Stratensis Abbatem nomine ODONEM, cujus tunc in Dei rebus & sacra opinio & vita spectabilis habebatur. Hunc igitur supplicat, ut sanctam domum quam ipse ædificaverat, in suam susciplat curam, providens ei non solùm redditus necessarios, sed & quæque utensilia, videlicet libros, vestes sacras, vasa altaris, turibula, candelabra, cruces, phylacteria, & insuper portionem quam de ligno Dominicæ Crucis, nec non & quod de Domini sepulcro mirabiliter sibi favente Divinitate ipse momorderat, ad Dei honorem sicut diu optaverat in eamdem Ecclesiam reponens. Cujus viri illustris devotionem sanctus Abbas intelligens, etsi oneri sibi imposito, ut est mos Sanctorum, se imparem judicaret, tamen ne hominis sanctum retardaret propositum, adquievit. De suis

Odonem Abbatem prefici curat Monasterio à se exædificato.

Diversis ornamentis decorat Ecclesiam.

Digitized by Google

igitur probatos eligens Fratres, novam Ecclesiam novo conventu publicat*, non tamen ibi novitas levitati succubuit. Ibi siquidem lex fuit patris parere imperio, prævenire æquales obsequio humilitatis, supportare debiles, adgaudere fortibus, sibi quemque nullum esse, omnes omnibus. Abbas autem qui hoc onus susceperat, ne affectasse videretur oneris honorem, curâ temporalium aliis impertitâ, ac si tirocinii calore fervens, loci novitatem novo religionis exercitio decorabat. Sic igitur plantatio illa cælestis, per manum illustris Comitis Fulconis plantata, per sancti Genulfi Abbatis doctrinam irrigata, in paradisum voluptatis excrevit, ut de ea hodie non immeritò dicatur: *Ecce odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hic igitur Abbas quamdiu rebus humanis interfuit utramque Ecclesiam, Stratensem scilicet & Lochacensem ut bonus Pastor pio moderamine gubernavit. Ea tamen quæ ætate minor videbatur, & quæ de illa Stratensi quasi de matris uberibus lac doctrinarum suxerat & cælestis infantiæ rudimenta, numquam ab ejus sacris consuetudinibus resilivit. Post cujus decessum utraque Ecclesia liberam sortita electionem suum singularem Pastorem habere promeruit. Idem utrubique tenor officii, idem rigor disciplinæ & ordinis, mox etiam idem in vestitu & victus necessariis ac si matre & filia, lege inviolabili perseverat. Super hæc autem omnia quæque placita sunt Deo & hominibus vigent inter eos, videlicet concordia Fratrum & amor proximorum.

An. * populat.

In eodem Monasterio viget disciplina regularis.

Gen. 27. 27.

13. Fulco siquidem ex uxore sua Gofridum Martellum & filiam Adelam nomine genuit. Vir Deum timens Fulco Romam gratiâ peregrinationis venit. Tunc temporis Papa Sergius quartus præsulatum Romanæ sedis sorte felici regebat: sciénsque Fulconem virum justum & sapientem & annosum, conquestus ei de Crescentio Deo odibili, qui quotidianis assultibus populum Romanum & terram circum adjacentem depopulabatur, nonnullos occidebat, alios capiens graviter redimebat: singulorum & omnium victum & vestimen-

Fulco ex uxore Gofridum & Adelam genuit.

Romam pergit.

Digitized by Google

tum sine prece vel precio vi auferebat : peregrinorum & negotiatorum itinera disturbabat & redimere faciebat. Nec erat aliquis in Longobardia qui posset contumaciam ejus edomare : Et licet omnes eum timerent, nullus erat qui diligeret. Auditâ querimoniâ Apostolici reverendus heros inquit ei : Domine mi Pater, ego aggressus sum viam Jerosolymitani itineris, quam cum benedictione vestra volo perficere. Denique adorata cruce & ejus reverendo sepulcro, revertar ad vos, & per vos. Tunc consilio vestro faciam satis, & præceptis in omnibus parebo, sicut decet filium patri obedire ; & acceptis cum benedictione à Domino Papa litteris *, iter eundi Jerusalem quam tunc Gentiles tenebant arripuit. Qui Constantinopolim veniens, ROBERTUM Ducem Normanniæ idem iter aggressum ibidem reperit.

Iter Jerosolym. aggreditur. * Ad Imperatorē *adde.*

14. RICHARDUS namque Dux Normannorum ex Juditha filia Comitis Britanniæ duos filios Richardum & Robertum habuit. Richardus primogenitus à fratre suo Roberto veneno necatus est : qui de perpetrato facinore Deo satisfaciens, anno Ducatus sui septimo nudipes hoc iter suscepit. Iste Robertus WILLELMUM virum probum, qui Angliam adquisivit, ex concubina ante hoc factum genuerat. Quo invento FULCO & sibi sociato, litteras Papæ Imperatori tradidit. Isti ambo viris Antiochenis, qui fortè ibi aderant adjuncti, jussu Imperatoris per terram Saracenorum deducuntur, Robertus itinere Bithyniæ obiit ; ibidémque sepultus quievit. De quo maximum apud suos idcirco justitium exstitit, quoniam non fuerat ei proles ex matrimonio aliqua ad regnum suscipiendum provinciæ, quamvis sororem Anglorum Regis Cnuth manifestum sit duxisse uxorem, quam odiendo divortium fecerat. Ex concubina tamen filium genuerat, Willelmi nomen activi ei imponens, cui antequàm proficisceretur universos sui ducaminis Principes militaribus adstrinxit sacramentis, qualiter illum in Principem pro se si non rediret eligerent. Qui etiam statim ex consensu Regis Francorum Henrici unanimiter postmodum firmaverunt. Fuit enim usui à pri-

De Richardo, Roberto & Guillelmo Normanniæ Ducibus.

Digitized by Google

mo adventu ipſius gentis in Gallias, ex hujuſmodi concubinarum commixtione illorum Principes exſtitiſſes. Sed & hoc nè ſupra modum putetur abominabile, libet comparationem de filis concubinarum Jacob inducere, qui ob hoc non caruere paterna dignitate inter ceteros fratres conſtituti Patriarchæ. Et longo pòſt inferiore tempore; ſingularis monarchiæ magnus imperij protochriſticola Conſtantinus ex concubina Helena legitur genitus fuiſſe:

15. FULCO ſiquidem ſub conductu Jeruſalem ducitur; portam tamen urbis intrare non potuit, ad quam peregrini ut intrarent violenter ſuas pecunias dare urgebantur: dato autem pretio tam pro ſe quàm pro alijs Chriſtianis, ad portam ſibi prohibitam morantibus, urbem celeriter cum omnibus intravit, ſed ſepulcri clauſtra eis prohibuerunt: nempe cognito quòd vir Dei alti ſanguinis eſſet, deludendo dixerunt, nullo modo ad ſepulcrum optatum pervenire poſſe, niſi ſuper illud & crucem Dominicam mingeret: quod vir prudens licet inuitus annuit. Quæſita igitur arietis veſica, purgata atque mundata, & optimo vino albo repleta, quin etiam aptè inter ejus femora poſita eſt, & Comes diſcalciatus ad ſepulcrum Domini acceſſit, vinúmque ſuper ſepulcrum fudit, & ſic ad libitum cum omnibus ſociis intravit, & fuſis multis lacrymis peroravit. Mox duritia lapidis in mollitiem verſa divinum ſenſit imperium, Coméſque deoſculando ſepulcrum dentibus maximum evellit & abſcondit fruſtum, quod deluſis & ignorantibus Gentilibus, attulit ſecum. Qui & larga donaria pauperibus largiens à Surianis ſepulcrum Domini cuſtodientibus de cruce Dominica ſibi dari promeruit. Qui regreſſus Lochis, ultra Angerim fluvium, Bello-loco ſcilicet, Eccleſiam in honore ſancti ſepulcri, Monachos cum Abbate ibi imponens conſtruxit.

Fulco ſepulcrũ Domini Jeroſolym. veneratur.

Abbatiã eidem ſepulcro dicatam fundat.

16. Ambaſiaco verò in Eccleſia ſanctæ Virginis MARIÆ de cruce Salvatoris poſuit, & parum corrigiæ ex qua manus Chriſti ligatæ fuerunt; in qua Eccleſia ſuo tempore corpus beati Florentini Preſbyteri & Confeſ-

Digitized by Google

soris à pago Pictavienſi tranſlatum fuerat, ubi & Canonicos ipſe & SULPITIUS beati Martini Theſaurarius conſtituerunt.

Bellum inter Fulconem Andeg. & Odonem Camp.

Conqueruntur homines FULCONIS de ODONE Campanienſi, & GELDUINO Salmurenſi, & de GOFRIDO ſancti Aniani domino, qui omnes anno & dimidio quo Fulco moratus fuerat, terram & homines ſuos multis importunitatibus afflixerant. Quippe Gelduinus curiam ſancti Petri Pontilevij utpote proprium fiſcum munierat: (non ibi adhuc Monachi erant) contrà Fulco in monte prope Carum fluvium, qui de propria terra Gelduini erat, & de feodo Archiepiſcopi Turonis, villâ Rebellis nobilis Bentergius, quæ inter ipſum montem & Carum erat & villâ Nantolij, deſtructis, quæ ambæ de feodo Gelduini erant: oppidum quod Montrichardum vocatur compoſuit, & Rogerio Diabolico Domino Montheſauri cuſtodire mandavit. Interea ODO ad delendum Montricardum multos milites & pedites Bleſis congregat. Quo audito Comes delectiſſimos milites & pedites ſecum adducens, HERBERTO Cenomanenſi Conſule ſibi fœderato & adjuncto, occurrit. Viri iſti probi & militiæ actibus erant periti. Avos quorum Rex Francorum ad repellendam verſutiam Normannorum & Britonum in iſtis regionibus hereditaverat. Odo more ſuo nimia multitudine confiſus fluvium Beuronis tranſit.

17. FULCO Ambaſiaco diſcedens prope Pontilevium venit: HERBERTUS juxta ripas Cari equitans Berengio caſtra fixit. Quid plura? acies ordinantur. Odo attonitus, gelatóque corde ſtat, non æſtimans Andegavos ſecum auſos præliari; ſuíſque breviter, inquit: Totas effundite vires. Quiſquis patriam caróſque parentes, „ qui ſobolem ac thalamos, deſertaque pignora quærit „ videre, enſe petat. Cauſa jubet melior dominum ſperare ſecundum. Pugnatur, FULCO & ſui prænimiùm gravantur. Ipſe Fulco equo cadens graviter verberatur. Pene victoriam Bleſenſes adepti ſunt, niſi nuntius feſtinus ad Herbertum veniſſet, qui Fulconem victum captúmque

Digitized by Google

túmque nuntiat. Postquàm rumor iste per totum percrebuit ejus exercitum, Comes HERBERTUS, ut erat miles acerrimus, advolat cum suis commilitonibus; adsunt repentini quos advocaverunt socij, & à siniſtro cornu inimicos præoccupant. Complacuit Christo virtutem illis conferre, & inimicis confusionem inferre. Nam milites ODONIS ferociſſimos ictus Cœnomannorum, Andegavorúmque impetus sustinere non ferentes; protinus in fugam versi, pedites suos in campo trucidandos dimiserunt. Quibus ad libitum detruncatis, Andegavi quantum possunt vel audent, insequuntur fugientes, prosternentes omnes equites quos consequi prævalent. Ita ferè sex millibus tam captis quàm peremptis; reliqui quò quisque potuit evaserunt. Fuga & strage hostium peracta, victores ad castra diripienda veniunt. Collectis opimis spoliis, pretio & numero captorum ditati, Ambasiaco redeunt.

Post acerrimum conflictum victores extiterunt Andegavenſes.

18. Sequenti anno cùm ODO Campanienſis à Duce Lotharingiæ impugnaretur, vir prudens & modestus FULCO ad distringendam urbem Turonicam quam multum desiderabat esse suam, oppidum in monte Budelli statuit. ODO è contra diversarum gentium multitudine secum adducta, accito cum omnibus suis Salmurienſi GELDUINO munitionem illam obsedit. Similiter FULCO quos potuit in Valleiam adunat, & sapienti usus consilio Ligerim transmeat, & festinus tota nocte equitans, summo diluculo Salmurium defensoribus vacuum intrat, totúmque confestim oppidum usque ad arcem capit. Illis de arce nulla spes erat salutis, nullus locus effugij præter dedecus deditionis. Noverant gentem Andegavorum ferocem & bellicosam, nec eos ab incepto desistere, donec eis omnia ex voto contingerent: sciebant eos penitus immisericordes: ideò sub lege deditionis Consuli satisfaciunt. Impunè, inquiunt, jubeas recedamus, arcémque istam tibi trademus, tuere nos ab istis carnificibus, ut liceat nos vivos tibi servire. His auditis Comes illos honorificentiâ liberalitatis suscepit, magnis dapsilitatibus honoravit Quod idcircò feciſſe dicitur,

Salmurienſe castrum capit Fulco.

Digitized by Google

quatenus & liberatos sibi affectaret, aliósque ad deditionem invitaret. Reddita arce satellibbus suis ibi dimissis imperavit, ut de servando castro curiosi procurarent. FULCO pro voto Salmurio potitus, aliàs ire disposuit, & ante Cainonem transiens, inter Noastrum & insulam Burchardi, ponte facto Vigennam transit, & Montem-Basonis obsidet. Odo ab obsidione montis Budelli secessit, & ad Fulconis exercitum pedem dirigit. Ingeniosus FULCO obsidione dimissa usque ad Lochas recedens in pratis sua tentoria collocavit, sicutique remisso exercitu quievit.

Robertus Rex coactus Regnum disponit.

*Ex Glabri lib. 3. cap 2 OdoCamp. rebellium maximus.

19. * [Igitur disponente Francorum Regnum ROBERTO Rege, plurimas ei intulere sui contumeliæ insolentias, illi maximè quos aut ex mediocri, aut ex infimo genere; tam ipse quàm uterque FULCO, ejus scilicet pater atque avus fecerunt, maximis honoribus sublimes, inter quos fuit ODO rebellium maximus, qui fuit filius THEOBALDI Carnotensis cognomento Fallacis, ceteríque quamplures inferioris potentiæ, qui exinde extiterunt ei rebelles, unde esse debuerunt meliores vel humiliores, quorum non dispar fuit ODO secundus, scilicet prioris Odonis filius, qui quanto potentior, tanto fraudulentior ceteris. Nam cùm obijsset STEPHANUS Comes Trecorum & Meldorum HERBERTI filius, ipsius Regis consobrinus, absque liberis, arripuit idem Odo contra Regis voluntatem universa quæque latifundia, in Regis videlicet dominium jure cessura. Fuit etiam juge litigium, & bella frequentia inter ipsum ODONEM & FULCONEM Andegavorum Comitem, quoniam uterque tumidus superbiâ nimiâ, & pacis refuga. Accepit autem supra dictus Rex neptem prædicti Fulconis, nomine & animo CONSTANTIAM, inclytam Reginam, filiam WILLELMI Comitis Arelatensis, natam de BLANCA sorore ejus Fulconis, ex qua etiam suscepit quatuor filios, & duas filias. Extitit tamen aliquando quidam HUGO dictus Belvacensis, qui inrer ipsum Regem ejúsque conjugẽ nequam semen odij spargebat, suíque gratia præmij Reginã ei fecerat odiosam. Tantam denique

insuper gratiam à Rege consecutus fuerat, ut Comes palatij haberetur. Factúmque est ut die quadam Rex in silva venatum iret, idémque HUGO ut semper solebat cum illo; venerúntque missi à FULCONE Andegavorum Comite, avunculo scilicet ejusdem Reginæ, fortissimi milites duodecim, qui supradictum HUGONEM ante Regem trucidaverunt. Ipse verò Rex licet aliquanto tempore tali facto tristis effectus, postea tamen, ut decebat, consors Reginæ fuit.]

20. [Suscepit * igitur præfatus Rex de supradicta conjuge sua filios quatuor, providúsque de Regni successu elegit regnare post se illorum primogenitum Hugonem nomine, puerum adhuc, clarissimæ in dolis illustrem. Cúmque de ipso sacrando sublimiores Primates regni sagaciores consuluissent, tale ei dedere responsum: sine puerum, Rex, si placet, crescendo procedere in viriles annos, ne veluti de te gestum est, tanti pondus Regni infirmæ committas ætati. Erat autem idem puer fermè decennis, qui minimè illorum acquiescens dictis, matre præcipuè instigante, Regio in Compendio accitis Regni Primoribus coronam ut decreverat ex more à Pontificibus puero fecit imponi.] Robertus Hugonem priùs coronatum Regē declarat. *Ex Glabri lib. 3. cap. 9.* Paulò pòst obiit Hugo.

[Dum igitur incomparabili mentis simul ac corporis decore floreret, exigentibus majorum flagitiis repentè mors invida illum surripuit. Sed quale justitium contigit universis, nullo sermone valet exprimi. * Qui in eadem qua primitùs coronatus fuerat Ecclesia beati Martyris Cornelij, videlicet Regio in Compendio est sepultus. Post cujus obitum cœpit iterum idem Rex tractare, quis potissimùm de residuis filiis post se regnare deberet. Constituerat autem secundum Burgundiæ Ducem Henricum nomine post Hugonem natum, ipsúmque decrevit pro fratre in Regnum sublimare. Sed rursum mater muliebri animositate agitata, tam à patre quàm à ceteris qui parti illius favebant, discordabat, dicens tertium ad Regni moderamen præstantiorem fore filium, qui & Roberti patris nomine censebatur. Hoc quippe inter fratres seminarium discordiæ fuit. Coadu- *Ibidem Glaber post pauca.* *Item Glaber post versus aliquos prosequitur.* Henricus

Digitized by Google

Roberti filius 2. Rex coronatur.

natis denique Rex Metropoli Remis Regni Primatibus, stabilivit Regni coronâ HENRICUM, quem delegerat. Tunc demum post aliquod temporis spatium illi duo fratres firmato amicitiæ fœdere, præcipuè ob insolentiam matris, cœpere invadere vicos & castella sui patris, ac circum circa diripere quæ poterant bonorum ejus. Nam ille quem Regem fecerat, Drogas illi castrum surripuit; Alter verò in Burgundiæ partibus Avalonem atque Belnensem. Pro quibus Rex gravi turbatus mœrore, colligens exercitum ascendit Burgundiam, bellum plusquàm civile patratur.]

Ipse cum fratre adversus patrem insurgit.

Diem extremum Rex Robertus clausit.

21. [Anno * quoque sequenti mense Julio ROBERTUS Rex apud castrum Meledunense diem clausit extremum, delatúmque est corpus ejus ad Ecclesiam sancti Dionysij Martyris, ac in eadem sepultum. Tunc rursus oritur inter matrem & filios rediviva discordiæ crudelitas, ac præteritarum irarum fræna laxant inveterata odia: diu multúmque vastando res proprias debacchatum est, donec FULCO Andegavorum Comes, avunculus scilicet ipsorum, matrem redarguens cur bestialem vesaniam erga filios exerceret, utrumque in pace reduceret. Sequenti verò anno eodem mense, atque in eodem castro, quo Rex obierat, & ipsa obiit, indéque portata est ad sancti Dionysij Basilicam, ac juxta Regem sepulta.

* *Ibidem Glaber paucis interjectis.*

Matrem Constantiam vexant filij.

Obit Constantia.

Robertus à fratre Dux Burgundiæ constituitur.

22. HENRICUS nempe Rex paternis rebus potitus germanum suum ROBERTUM constituit Burgundiæ Ducem. Præterea cùm idem Rex rempublicam vivaci mente & agili corpore Regni sui discuteret, contigit ut LEOTHERICUS Senonum Archipræsul obiret. Ilico verò unum de suæ gentis nobilibus consecrari mandavit, atque in ejus loco subrogari. Sed ODO rerum ditissimus, licèt fide pauper, alterum è contra delegerat, ne jus regium hac in parte foret integrum. Nam qui viventi patri Roberto multa tam iniqua calliditate surripuerat, arte simili filiis facere cupiebat. Cùm enim primitus civitates Trecorum videlicet ac Meldorum cum multiplicibus castris illi præripuisset, post mortem ejus

* *Sequentia item ex Glabro.*

Odo Comes calliditate Regem & ejus fratrem deji cere conatur.

Digitized by Google

conjugi & filiis ejus surripuit urbem Senonicam, quam etiam tunc adversus illos infamis possessor vallaverat. Quod cernens HENRICUS, acri animi ferocitate tam diu illum insecutus est debellando, quo usque genuflectens se ei subderet, ejúsque ditioni obediens pareret. Erat enim idem ODO natus ex filia CHUNRADI Regis Austrasiorum, BERTA nomine, licèt à patris sui proavis obscuræ duxisset genus lineæ. Et quoniam Regi RODULFO, avunculo scilicet ejus, non erat proles ulla, quæ foret regni ejus heres; præsumpsit ipso vivente vi potiùs quam amore regni habenas præripere, conferens insuper multa donaria, ut ei assensum præberent, Primoribus patriæ. Sed nequaquam *: *Domini est regnum; & cuicumque voluerit dabit illud.* Est etiam proverbium: *Secundùm fidem hominis, erit amicus illius.* Gens enim præcipuè regni ejusdem assertionem fidei floccipendit, & fœdus pro nihilo ducit.

Et Regnum Austrasiæ invadere.

* al * ne quicquam

23. Extitit igitur post mortem HENRICI Imperatoris, qui fuit nepos Regis Radulfi, CHUNRADUS habens in conjugio neptem præfati RADULFI, ob hoc maximè valenter resistens contradicebat ODONI; quorum etiam lis acerrima Regni utriusque maximam fecit depopulationem. Ad ultimum denique cùm jam in conspectu Dei excederet mensura tanti mali, collecto undecúmque exercitu permaximo conscendit ODO in Tullensem pagum, quem jam sæpiùs depopulaverat, ibíque oppugnans cepit Barrense castrum, cum magna tamen direptionis eversione totius provinciæ. Cùm itaque in eodem castro locatis militibus ad custodiam ferme quingentis, decrevit tamen ipse quantociùs ad propria repedare, utpotè qui curis agebatur innumeris. Præstolabantur itaque illum Legati ex Italia directi, deferentes arrham principatûs, ut aiebant, totius Italiæ regionis. Contempserant enim suum Principem prædictum, videlicet CHUNRADUM Mediolanenses conjuratione facta adversus eum, junctis sibi quos poterant ex civitatibus in circuitu: existimabant quoque eumdem ODONEM posse percipere Regnum Austrasiorum atque ad eos

Odo frustrà ad Regnum Italiæ adspirat.

Digitized by Google

transire, ut illic gereret principatum: Sed sicut ait manu fortis, insignis Præcentor bellorum Domini *Dejecisti eos*, inquiens, *dum allevarentur*; ita contigit. Nam subitò GOCILO Dux totius primæ Rætiæ regionis* cis rhenum cum exercitu nimio in eum irruens, omnẽ Odonis exercitum in fugam convertit, licèt ex utraque parte plurima multitudo moriens corruerit. Tunc denique & ipse Odo capite plexus, miserrimè interiit. Cujus lacerum cadaver & excapitatum ROGERIUS Catalaunorum Præsul, habens secum virum venerabilem Abbatem RICHARDUM, à cæde suscipiens uxori reddidit. Narrant etiam plerique, quòd corpus ejus diù multúmque quæsitum inveniri non potuit, donec uxor ejus veniens tali interſigno invenit. Habebat enim verrucam inter genitalia & anum, quod sic inventum accipiens, direxit illud Turonis, ibíque sepultum est juxta patrem suum in Capitulo beati Martini Majoris-monasterij. Et quidem finis Odonis talis extitit. Quem idcircò huic seriei intexere voluimus, ut inpræsentiarum cognosceretur rerum Creator justissimus, potenter explere quod olim Thesmophoro suo Moysi promisit: *Ego*, inquiens, *Dominus, qui judico peccata patrum in filiis in tertiam & quartam generationem.*

al. * Promeretiæ

Miserrimè interiit Odo.

Pœnas dat ob suas & patrum nequitias.

24. Tertius namque hic ODO, de quo à nobis sermo superior est habitus, nepos* fuit illius THEOBALDI Carnoti Comitis, cui cognomen Tricator fuit. Hic* nempe quondam junctus ARNULFO Flandrensi Comiti, expetens per legatos WILLELMUM Rotomagorum Ducem velut ad familiare pacis colloquium, promittens se ex parte Regis Francorum, seu HUGONIS Magni, qui fuit filius Roberti Regis, quem Saxonum Rex OTTO, postea verò Imperator Romanorum, Suessionis interfecit, ei dicturum utilia esse. At ille quoque ut erat vir innocens, licet potentissimus, ubi ille constituerat per fluvium Sequanæ * evectus navigio velociter illò affuit. Qui dum simul convenientes irruunt in amplexus, unus simplicitate vera, ceteri duo illecti simulatæ pacis atque amicitiæ miscuere colloquia. Post finem verò insimula-

al. * trinepos

* Theobaldus

De nece Guillemi Ducis Normann.

al. * Someræ

Digitized by Google

torum verborum cepto recessu, jam longiusculè progrediente Guillelmo; revocavit eum THEOBALDUS quasi secretiora adhuc ei crediturus seu cariùs vale dicturus. At ille remum dextra accipiens prohibuit ut nemo suorum exiens illum sequeretur, exilivit ad ripam, THEOBALDUS* quoque illum appropinquans quasi aliquid locuturus, ilicò exertam quam ad hoc tulerat sub pallio spatham, uno ictu caput à corpore decussit. Quod cernentes qui cum Guillelmo venerant, remigando fugam arripiunt; nuntiavere Rotomagensibus quod contigerat. Erat enim Guillelmo filius concubinæ RICHARDUS nomine, tamen adhuc adolescens, quem accipientes sui statuerunt pro patre Principem regni. THEOBALDUS nempe patrato scelere, concitus perrexit ad HERBERTUM Trecorum Comitem, petens ab eo sororem ipsius dari sibi in conjugium, uxorem scilicet prædicti Guillelmi quem interfecerat: at ille statim promisit dari, vocans eam ad colloquium sui, quæ nondum genuerat prolem, quasi consolaturus ex damno mariti, tradidit eam Theobaldo, (detestabile satis conjugium) ex qua genuit ODONEM, patrem videlicet istius, cujus finem terrimum supradiximus.*.] *al.* * Arnulfus.

* *Hactenus Glaber ubi supra.*

25. Interim FULCO iterum Montem Basonis obsedit & cepit, & GUILLELMO Mirebelli ad servandum tradidit. ARRAUDUS Brustulij aliique proditores GOFRIDUM dominum suum sancti Aniani Principem Fulconi tradunt, qui postea Fulcone absente Lochis in carcere ab ipsis proditoribus strangulatus est. Comes Senescallo suo LISOIO neptem Sulpicij Thesaurarij uxorem dedit; cui arcem Ambasiaci cum omnibus appendentiis ejus, Virnulium Mauriacumque, & Significriam Campaniæ donavit, ipsum ita retinens filio suo MARCELLO* commendavit. Itaque terra usque ad obitum FULCONIS in pace siluit, qui non diu tamen pòst vixit, cujus finis hujusmodi extitit. Bis jam Jerosolymis perrexerat; tertio autem itinere in eundo peracto, adorata cruce Domini & sepulcro ejus, & multis etiam lacrymis effusis, dispertita jam multa pecunia ibi & hospitali, in aliis etiam

Varia Fulconis Andegav. acta,

al. * Martello.

Fulco in urbe Me-

Digitized by Google

tensi diem extremum clausit.

sanctis locis Deo servientibus, & multis egenis, veniénsque Metensem urbem, levi tactus incommodo, diem clausit extremum, corpúsque illius à medicis apertum, & intestina illius sublata, & in cimeterio Ecclesiæ condita sunt, lapis etiam superpositus; unde usque hodie sepulcrum FULCONIS Andegavensis Comitis ab incolis vocatur. Corpus autem illius conditum aromatibus, & honorificè usque Locacense castrum translatum, ad Monasterium quod ipse construxerat delatum est, atque in eodem honorificè sepultum.

CAPUT IX.

De GAUFRIDO MARTELLO.

Goffridi Martelli Ducis Andegav. mores.

1. GOFFRIDUS MARTELLUS post mortem patris sui honorem Consulatus adeptus est. Martellus præ omnibus generis sui animosior negotia sua omnia cum impetu pergebat. Plebs Andegavorum maximè dominum suum Martellum contra THEOBALDUM & contra GUILLELMUM Pictavienſem Consulem incitabat. Ut autem illud Lucani referam:

Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret:
Quem sua libertas immotis pasceret armis.

Erat etiam eis magnum decus, ferróque petendum plus patria potuisse sua, mensuráque juris vis erat. Martellus sæpè multis vim faciebat. Cui cùm diceretur: Malè de te loquuntur homines: aiebat; Faciunt quod solent non quod mereor: bene enim loqui nesciunt. Itaque Ambasiaco milites multos cum Lisoio posuit, qui Turonum Blesimque vastarent. Similiter illi de Monte Basonis quidquid usque Kainonem erat demoliti sunt. Lochenses cum Rogerio Diabolerio terram sancti Aniani, Pontilevium & Calvimontem usque ad Cussonem fluvium sæpe deprædabantur.

Turonicam civitatem Martellus obsidet.

2. Martellus ad ultimum omnibus suis copiis congregatis, Turonicam urbem obsedit. Dimisit tamen Lisoium Ambasiaco cum cunctis militibus, & mille quingentis

Digitized by Google

quingentis peditibus qui vias custodirent, nè Blesenses ad ejus exercitum liberè descenderent. Audivit Lisoius, & certum erat, quòd Comes Theobaldus contra dominum suum Martellum bellum ingens præpararet. Quibus auditis, & ad unguem diligenter singula rimatis, quæ gens cum eo esset, quid pararet, & quo in loco suos præliaturos disponeret, domino suo Gofrido Martello præsens in ipso exercitu ita locutus est: Bellum vobis imminet non incertum, & insuper conveniunt agmina Francorum & Burgundionum: civitatem ergo quam obsedistis dimittite, hominibúsque vestris ab omnibus munitionibus vocatis de vobis tutandis expeditores adestote; & ego vobis die prælij quo volueritis occurram: Melius est nos convenire & pugnare, quàm nos à vobis separari, & superari. In bellis mora modica est, sed vincentibus lucrum quàm maximum est. Obsidiones multa consumunt tempora, & vix obsessa subigantur municipia: bella vobis subdent nationes & oppida, bello subacti evanescent tamquam fumus inimici. Bello peracto & hoste devicto, vastum imperium & Turonia patebit. Bonum est ergo accelerare ne nos inveniant inimici nostri, & æmuli nostri dum venerint, imparatos: quoniam si Deum poterimus promereri ducem & præambulum, non dubitanter statim de inimicis nostris triumphabimus. His dictis Lisoius Ambasio redit.

« Lisoius ut obsidionē « deserat, « hortatur.

3. Comes Theobaldus cum infinita gente per Pontilevium transiens juxta Montrichardum ad flumen Cari descendit, & copiosis boum & ovium armentis inventis, opima præda sui ditati, & partibus sancti Quintini ante Bliretum * tentoria figentes, & nocte ac die recreati sunt. Martellus relicta obsidione Laudiaco monte prima die eis obvius venit. In crastino Blesenses catervatim ex castris proruunt: Andegavenses à Laudiaco eis è contra procedunt. Cúmque jam se invicem contuerentur, ordinatum per sex acies exercitum suum Martellus his affatur alloquiis: Eia milites videtis & inveniſtis apud quem * venistis; vos verò pugnaturi, confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus; potens est enim

Ditiones Andegavenses præ datur Comes Theobaldus. * *Blaré*

Obsidione relicta Martellus obviam it Blesensibus & gravi conflictu ipsos debellat, plures occidit, fugat alios. *al.* * ad quod

Digitized by Google

» vos salvare Omnipotens. De fuga nullus cogitet um-
» quam, quoniam longè nimis à nobis Andegavis abest,
» metum omnem qui etiam viros effeminat abjicite, &
» de vobis ipsis defendendis viriliter procurate. Ictus im-
» pugnantium indefessi sustinete, confisi Dei adjutorio,
» manus bellicosas exerite, virésque dum tempus est os-
» tentate. Nunc armis & animis opus est, non est tempus
» socordiæ, neque imperitiæ.

4. His & talibus à Consule dictis accensi omnes ad pugnam procedunt, congressum ultra non ferre differentes. Nec mora ante Burgum sancti Martini Belli ad pugnam iconveniunt in loco qui publicè *Nait* vocatur. Reboant tubis & simul *eia* clamant. Immergunt se latissimis confertissimísque hostium turmis, obvios quosque sternunt, nec imbecilles inveniunt hostes, immo verò totis viribus sibi obstantes. Nam duas acies quæ præcesserant, multitudine nimia pene funditus consumunt. Corruunt multi, vulnerantur plures. Andegavi impetus sustinent improborum, vicissímque eos impetentes, viriliter retrocedere compellunt. Martellus qui in postrema parte cum acie sua substiterat, ubi densiores hostium suorum vidit acervos, accurrit, totúmque de Comite transferens se in militem, alios lancea deturbat de caballis, alios ense dimidiat in sellis, convocat suos, instantes confortat, & eis animatis, in adversarios discurrit. Lusoius domino suo auxilium præbiturus cum suis militibus & peditibus, centum vexilla gerentibus, ab Ambasiaco advolat citissimus, qui viso prælio in dextro cornu habenas laxant, & calcaribus cornipedes urgent, & scutis pectoribus oppositis turmas Comitis depellunt, & oppositos discutiunt, & unusquisque suum sternit humi.

5. Andegavi siquidem denuò eos invaserunt, quorum virtutem Theobaldini satellites diutiùs non sustinentes, pavore subito sibi immisso in fugam versi, scapulas dederunt, plures cuspidibus insequentium confossi sunt. Insecuti sunt eos & retinuerunt equites & pedites, & equos multos vivos, eísque parcendo paucos occidunt. Qui cum Martello erant, omnes in ferrum ruunt, ipso

Digitized by Google

præ omnibus fortissimè & fugante fugientes, & prosternente. Insequentes Ambasienses fugientibus instant, & quos consequi prævalent omnes prosternunt, & in nemore quod Brajum dicitur juxta aulam Astuini Comitem THEOBALDUM consequuntur, & capiunt cum quingentis & octoginta militibus. Non enim in Brajo equi currere potuerunt: Consulem à Brajo abstractum, sic nempe nemus vocatur, Martello reddunt. Hostibus ita repulsis, Deo favente, & repressis, & diversis partibus turpiter fugatis, cum lætitia maxima redierunt, & à turbinibus bellorum immunes, eo anno quieverunt. Iste THEOBALDUS cùm esset in vinculis, & pro eo nullam argenti, & auri GOFRIDUS Martellus redemptionem vellet accipere, captivus mori metuens, & semetipsum plusquàm sua diligens, anno incarnati Verbi millesimo quadragesimo primo pro sua deliberatione Turonim Gofrido Martello in perpetuum habendam concessit. Martellus Turoniâ quiete susceptâ (Nam sibi Theobaldus Kainonem & Lengiacum quæ adhuc possidebat cum omnibus quæ jure eis appendebant reddidit) Rege Francorum mediante cum Theobaldo pacificatus est.

Capitur Theobaldus Comes.

Ut se redimeret Turoniâ, Kainonem & Lengiacum Goffridus dimittit.

1041.

6. Quid GLABER RODULFUS historiographus de bello hoc in historia scripserit, nostro operi inseramus.

7. [Fuerat orta grandis discordia usque ad effusionem multi sanguinis inter HENRICUM Francorum Regem Roberti filium, & filios supra taxati ODONIS, THEBALDUM videlicet & STEPHANUM. Contigit enim post multas strages cladis utrarumque partium, ut idem Rex ablato ab eisdem dominio Turonicæ urbis, daret illud GOTFRIDO cognomento Tuditi, filio scilicet Fulconis jamdicti Andegavorum Comitis; qui collecto magno exercitu ipsam civitatem anno uno & eo amplius obsidione circumdedit; adversus quem tandem hostili manu pergentes dimicaturi, revera ut afflictæ indigentíque alimoniis succurrerent urbi ambo filij prædicti Odonis. Quod GOTFRIDUS comperiens, expetivit auxilium beati Martini, promisítque se emendaturum humiliter quidquid in ipsius sancti Confessoris, ceterorúmque Sancto-

Quid de hoc bello Glaber scripserit *in lib. 5. cap. 2.*

Digitized by Google

rum possessionibus raptu abstraxerat. Indéque accepto sigillo, imponens illud propriæ hastæ, cum exercitu equitum peditúmque multorum obviam perrexit adversum se dimicaturis; dúmque venirent utræque partes in communi, tantus terror invasit exercitum duorum fratrum, ac si vincti essent ligaminibus, pariter omnes imbelles extiterunt. STEPHANUS autem arreptâ fugâ cum aliquibus militibus evasit: Theobaldus verò cum cetera multitudine totius exercitus captus, ad Turonensem civitatem deducitur, ipsámque Gotfrido reddidit, atque cum suis omnibus huc illúcque dispersis, in captione remansit. Nulli dubium est beato Martino auxiliante, qui illum piè invocaverat, suorum inimicorum victorem exstitisse. Referebant enim alij ex acie fugientes, quòd tota phalanx militum Gotfredi in ipso procinctu belli, tam equites quàm pedites, candidissimis indumentis videbantur adoperti. Nam ex rapina pauperum ejusdem Confessoris ferebant supplementum suis filij Odonis. Præbuit enim universis audientibus formidolosum stuporem, quòd mille septingenti & eo ampliùs viri armis instructi absque sanguinis effusione in prælio capti sunt. *]

**Huc usque Glaber.*

Juramento quæ promiserit Theobaldus.

8. Quindecim sacramenta juravit THEOBALDUS propria manu Consuli GOFRIDO, & viginti Barones Castellenses cum eo, & quadraginta milites vavasores eisdem verbis quibus & ipse. Ex quibus omnibus quatuor operi inseramus. Primò juravit, & jurando concessit civitatem Turonensem cum castellis, munitionibus, feodis & casamentis: Secundò juravit quòd Comitatus durabat ab Occidente à fluvio Toedo nomine, qui inter Salmurium castrum & Abbatiam sancti Florentij effluit, & sic in Ligerim effluit, usque ad Haïas Blimartij, quæ & Haïæ dicuntur sancti Cyrici. Tertiò juravit quòd nec per se nec per alium aliquem quæreret, quomodò unum vicum vel aliquam villam ex Consulatu perderet. Quartò juravit, quòd infra septem leucas munitionum suarum, aliquam munitionem nec ipse faceret, nec alicui suorum permitteret facere.

Digitized by Google

9. GELDUINO Salmurienſi, & filio ejus GOFRIDO Calvimontis, Martellus omnes feodos quos habuerant citra Vigennæ fluvium & decimam ſancti Cyrici reddidit: Qui Salmurium tunc Comiti conceſſerunt. Inſuper etiam GOFRIDUS Calvimontis pro prædictis Martello homagium fecit. Itaque Martellus facto homagio pro ſuſcepta terra Theobaldo, ipſo deliberato, donaria militibus diſtribui conſtituit.

10. Hac præterea tempeſtate erant cum Comite GOFRIDO duo juvenes nobiliſſimi, filij Domini Caſtri-Gunterij, ex quibus primus vocabatur RAINALDUS nomine patris ſui, alter GOFRIDUS nomine Conſulis, cujus & filiolus erat. Ex quibus primum militem factum patri tranſmiſit. Pater verò jam vetulus, cruce facta, licentiâ Comitis Jeroſolymis perrexit; filius verò ejus primogenitus RAINALDUS homagio Conſuli facto, terram ſuſcepit, & quinque annis ut miles ſtrenuus nobiliter rexit. Frater verò ejus Comiti ſerviens, & probitates fratris ſui audiens, cupidus gloriæ, aggreſſus Conſulem precibus ſuorum obtinuit, ut eum militem conſtitueret, & causâ filiationis modicum terræ ei largiretur, quò poſſet ei gratioſiùs & accuratiùs ſervire. Comes autem precibus juvenis & ſuorum delinitus, libentiſſimè annuit & militem conſtitutum dominium ſuum Caramantum, quæ & villa Moranni, quam pater ejus Fulco firmaverat dedit, & totam terram ab Haïa Blimarcij quæ & ſancti Cyrici uſque ad Bleſentiacum, tali nimirum pacto ut intra illa fortem domum ſive caſtrum munitiſſimũ firmaret, quippe quòd in ingreſſu & egreſſu Turonici Comitatus, & in marchia erat Bleſenſium, Vindocinenſium, Ambaziacenſium & Calvimontenſium. Qui terram illam tali pacto ſuſcepit homagio, & ligiatione Conſuli facta: ſecundo autem anno quo conſtitutus miles eſt, & terram illam à Conſule ſuſcepit.

Goſridus beneficia cõtulit duobus nobilibus Rainaldo & Goſfrido.

al. *domũ ſuam.

11. Mortuus eſt pater ejus & frater, utrique Rainaldi vocati verno tempore & uno die, pater Jeroſolymis, frater Gunterij Caſtro; qui ſolus remanens homagio & ligiatione Conſuli facta, terram patris vel fratris defun-

Digitized by Google

ctorum susceperit regendam, cum illa quam ei Comes amore filiolatus dederat. Dedit & ei conjugem, neptem uxoris suæ puellam nobilissimam, corpore & vultu pulcherrimam, nomine BEATRICEM. Facta est autem prægnans eodem anno quo eam duxerat. Unde hilaris effectus, statim cœpit ædificare nobiliter castrum. Cùm autem ut quantociùs ædificaretur elaboraret, natus est ei infans masculus; qui aliquantulum ex morte patris vel fratris confortatus, & gaudio gavisus, puerum nomine patris vel fratris Rainaldum videlicet vocari præcepit; castrum autem novum ex nomine filij sui castrum Reginaldi vocari præcepit. Qui ex nobilibus ortus, & nobiliter educatus, armis strenuus & miles acerrimus, statura procerus, vultu decorus, verbis facetus, amabilis fuit omnibus. Qui propter probitates suas à prædicto Consule Theobaldo * in tantum dilectus est; ut ei magnam terram donaret, quæ vicina erat terræ supradicto castello adjacenti, cum villis, feodis & casamentis.

Castri-Rainaldi origo.

al. * Gofrido.

12. Siquidem eo tempore virum Cenomanicum, qui multum sibi servierat, FULCOIUM de Torneio in curia sua Martellus habebat: verùm cùm quid Fulcoio pro servitio recompensare vellet, quod sibi gratum fore debuisset diu præmeditaretur, domum munitissimam quæ usque hodie Mota Fulcoij à vulgo vocatur, terrámque magnam ex suo proprio cum multis Ambasiaco feodis donavit. Seneca affirmante, quòd quietissimam vitam agerent homines in terris, si duo hæc verba à natura rerum tollerentur *meum & tuum*. Hinc est, quòd Wilelmus Pictavienſium Comes Consulatum Santonicum suum esse volebat, & vi præoccupatum tenebat, quia patrui sui fuerat. Martellus eumdem Consulatum reclamabat, quia avi sui fuerat, cujus heredes absque liberis mortui erant, & ideò ad heredes sororis avi sui honorem debere reverti affirmabat. Denique hujus litigij causâ diu ventilatâ, multa mala in Andegavensi pago & Pictavienſi perpetravit, & per quatuor annos tota terra circa Losdunum & Mirebellum; à Salmurio etiam Pi-

Quòd Santon: cũ Consulatũ occuparet Guillelmus Pictav. quem suum esse diceret Gofridus, dissidia & bella.

Digitized by Google

ctavis vastata & ferè deleta fuit. Similiter Martellus quidquid erat circa Pictavis Clinonem fluvium & ultra, nec non suburbia ipsius civitatis succendit ac deleuit.

13. Gofridus igitur cum Willelmo pugnare disponens, Lisoium grandem natu huic negotio advocavit. In cujus consilio, auctoritate & sententia uti illius qui in vario genere bellorum versatus fuerat, totius prælij ordinem commisit. Nam teste Tullio: Prudentes senes in re gerenda similes sunt navigatoribus, qui quamvis in navigando nihil agere dicantur, cùm alij malos scandant, alij per foros currant, alij sentinam exhauriant; ille clavum tenens sedeat in puppi quietus, licèt non faciat quæ juvenes, tamen multa, & majora & meliora facit; ut Lisoius in hoc prælio, in quo dominus suus Pictavenses cum Duce suo turpiter devicit. Non viribus solummodò, aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ non geruntur, sed consilio & prudentia, quibus non orbari sed augeri senectus solet. Santonici etiam & multi ejusdem Consulatus Proceres sæpè cum Martello fœdus pepigerunt, fieri & sui ipsius, & ejus cui præsidebant urbis deditionem illi pacti sunt, si usque ad eos quoquomodo posset pervenire.

14. Firmatis itaque amicitiis & fœderatus cum Radulfo Vice-consule Thoarci, Martellus cum omni sua gente, & amicorum & vicinorum copiis ad urbem Santonicam suscipiendam tam ipse, quàm prædictus Vice-consul tetenderunt. E' contra Guillelmus Pictavorum Dux, vir equidem bellicosus, nulli audacia secundus, prudentiâ præditus, divitiis copiosus, militaribus auxiliis constipatus, cupidus laudis inflatus supercilio jactantiæ, magni nominis homo, gentes maximas congregat, videlicet Pictavienses, Lemovicenses, Angolismenses, Petragorenses, Arvernos, Wascones, Bascos, Tolosenses, nec non alios innumeros coagulaverat, & exercitum immensum conflaverat. Isti omnes adventum Martelli exspectantes ad oppidum, quod Caput Vultonæ * dicitur, adunati subsistunt. Quod oppidum in alta rupe situm, à Capite-Vultonæ * fluvij, sive à ca-

Vulgo * Chef-bon.

tonne.

Digitized by Google

vitate rupium nomen accepit. Nam quidam Cayn. Vultonæ, alij Cavitonium * nuncupant. Multi autem qui ibi subsiterant, apud se deliberabant, an discederent, an propiùs ad bellum accederent? discedere suadebat fama quæ felices Andegavorum successus prænuntiabat, & ex felicibus de victoria Theobaudi & Francorum feliciores fore auspicabantur, & idcircò metus quam maximus pectoribus singulorum inserebatur: Accedere verò ad prælium eos exhortabatur ira pudórque peregrinorum nullatenus adhuc repressa temeritate. Confidebant etiam in coagulatorum diffusa multitudine, & in sua, sicut jactabant, animositate. Præterea inglorios se esse dicebant, nisi multi paucorum stoliditatem compescerent, nisi alienigenas à suis finibus disijcerent.

al. * Cavitrium, & Caultrinũ.

15. Quoniam autem Aquitaniæ Principes bellum pertrahi conquerebantur, Dux eorum WILLELMUS festinus in planitie Caput-Vultonæ descendens, Martello & suis occurrit. Veniebant igitur Pictavi catervatim congaudentes & victoriam in manibus autumantes, & de spoliis inimicorum diripiendis jam lætantes: afferebant itaque suos unusquisque funiculos, quibus vinctos ad sua tecta captivatos ducerent Andegavos: qui cùm se invicem conspicerent, accuratè quisquis aciem suam instruxit.

Conflictus utriusque partis acerrimus & obstinatissimus.

16. Martellus & sui sagittarios & pedites suos ordinaverunt, & ipsis præmissis, pedetentim ut mos est, pergebant. Edocebantur autem qualiter obclamarent, qualiter obstarent, qualiter impenetrabiles inimicos feriendo penetrarēt, & ut ad signa sua nihil reverentes frequenter respicerēt & se ipsos ad ictus hostiles sufferendos obdurarent; licèt hæc omnia in aliis bellis benegestis didicissent. Nec minus è regione Pictavenses cuneatim stellis innumerabilibus innumerabiliores densabantur, & per agmina innumeræ legiones à latere in latus extendebantur, gerentes vincula quibus hostes ligare putabant. Porro manipuli, eorum militares prout erant instructi loca condicta tenebant. Existimabant enim Andegavos statim fugam arripere, de fuga quippe sua nulla mentio fuerat, quoniam

Digitized by Google

niam se vicisse putabant. Confidebant siquidem & in multitudinibus suis innumeris, & in pectoribus gentium animosis, & in ducalibus ne umquam fugerent edictis. Ergo bello utrimque parato, ut ventum est ad locum, unde aliquantulum jam propiores se inspicerent, pari concurrunt agmina motu. Pictavenses ira metúsque, Andegavenses spes acquirendi Santonicum Consulatum incitabat, vociferantur omnes, & confusis clamoribus ipsum pulsatur cælum, fragor nimius vel de collisionibus armorum, vel de illisionibus cassidum resonat & gladiorum. Plangores & ululatus undique vel morientium, vel vulneratorum audiuntur, MARTELLUS & Andegavi illos viriliter aggressi sunt occlamantes, & audacter per medias acies irruunt.

17. Globus etiam Turonorum militum subsequentium dominum suum multos stravit, & vexillum ipsius Ducis prostravit, quod pedites viriliter equitésque sequentes, rapuerunt & retinuerunt, quod non mediocrem eis incussit timorem. Guascones omnes & Lemovicenses confestim fugam inierunt, quos ceteræ gentes insequuntur. Pictavenses stupefacti, aliquantulùm demorati subsiterunt. MARTELLUS & sui simul illuc conversi, eos tamquam segetem in transverso gladiis secabant, & eorum corpora detruncantes dimidiabant. Irrorabantur sed potiùs inundabantur sanguine campi. Pictavenses tremefacti, Duce suo graviter vulnerato, respirandi locum non habebant, nec aliquatenus respirabant. Insecuti sunt eos fugientes, illi dumtaxat evaserunt, qui effugere quoquomodo potuerunt. Multos capiunt Turonenses, sed Andegavi quos poterant cursu prævenire, illis nullæ dabantur induciæ: alios lanceis transfodiebant, alios gladiis jugulabant, in commune nulli parcebant. Et quoniam prædictum opidum aliquatenus ab ipsis distabat qui fatigati remanebant, aut capiebantur aut in mortem ruebant. Dies itaque illa Pictavensibus nimiùm fuit adversa; fuit enim dies tribulationis & dispersionis, dies mortis & confusionis; cum vinculis quos ad hostes suos ligandos advexerant, ligati sunt. WIL-

Tandem Andegavenses de Pictavensibus insignem reportant victoriam.

Guillelmus Picta. captus.

Digitized by Google

HELMUS etiam Consul vulneratur & capitur.

18. MARTELLUS & sui cæde peracta reversi sunt in campum, & ibi intra tentoria nocte illa quieverunt, & contra boream qui acriter sufflabat corpora mortuorum congregaverunt. Martellus post hæc, quàm citiùs potuit Santonis devenit, obviam ei venientes qui in urbe erant, apertis portis, urbem ipsi tradiderunt. Itaque ibi requieverunt cum gaudio, & Santonicum Consulatum receperunt, quem Martellus facta pace cum Pictavensi Duce, quoad vixit tenuit. Nam Dux à plaga prælio facta sanus effectus, Episcoporum & Religiosorum consilio, hominio à Martello suscepto, prædictum Consulatum & quietum concessit, & multis pecuniis liber à captione, qua illum Martellus in prælio capiens spatio trium annorum tenuerat, ad propria remeans, ipso in anno finem vitæ habuit. Factum est autem inenarrabile gaudium in Andegavia & Turonia, & cum gaudio in pace diu requieverunt, & ubique terrarum Deo gratias agentes, multoties triumphatores exaltati sunt.

Urbem Santonicâ Godefridus ingreditur, ipsâque potitur.

19. In diebus illis WILLELMUS Dux Normannorum HERBERTUM Cenomannicum Consulem nimis impugnabat, cui Martellus auxiliator & tutor fuit; & idcirco WILLELMUS Dux, qui postea Angliâ adquisitâ Rex Anglorum extitit, multa à Martello mala perpessus est. GOFRIDUS Martellus filius Fulconis cùm filios non haberet, Comitatum suum, scilicet Andegaviam & Turoniam, quam, sicut suprà scriptum est, conquisierat, nepotibus suis GOFRIDO Barbato & FULCONI, Richino reliquit. Andegaviam & Santonas Fulconi Turoniam cum Landonensi castro Barbato donavit. Martellus morbo repentino occupatus irremediabiliter languore per dies ingravescente, ad mortem usque perurgetur, & non sine grandi dolore inter suos defungitur.

Moritur Gofridus Martel.

20. Ædificavit autem Cœnobium sanctæ Trinitatis apud Vindocinum castrum, Monachósque posuit & Abbatem constituit. Causa autem ædificationis hujuscemodi extitit. Quodam tempore Dominico die, aurora illucescente, contigit Consulem unà cum uxore ad fene-

Cœnobium Vindocinense ædificavit.

Quam ob causam.

Digitized by Google

ſtram aulæ, qua thalamus ejus illuminatur, verſus Aquilonem faciem poſuiſſe. Erat autem aula in ſupercilio montis, ubi nunc Eccleſia beati Georgij habetur: burgus autem ubi habitantium multitudo ex latere montis contra Aquilonis flamen erat. Extra burgum autem contra Orientem erant paſcua latiſſima, & in medio fons latiſſimus, ubi & ad quem pene univerſus populus caſtri veniebat haurire. Cùm autem Conſul & ejus conjux, AGNES nomine, ſpatium aëris & ſtellarum multitudinem intuerentur, & de multis confabularentur, ſubitò viderunt ambo ſtellam longiſſimam ac ſi militis haſtam in ipſo fonte cadere. Cùm autem turbati eſſent, cecidit ſecunda; plus mirantibus & ſtupentibus cecidit tertia. Deniq ue Conſul feſtinus, cultioribus veſtimentis indutus, unà cum uxore de ſupercilio montis deſcendit, & in Eccleſia beati Martini, quæ prope ipſum fontem erat, Miſſam in honore ſanctæ Trinitatis canere fecit. Hoc ipſum etiam quod viderat Epiſcopis, Abbatibus & aliis religioſiſſimis narrabat viris, & ſuper hoc quid acturus foret quærebat. Omnes autem quos conſulebat uno animo & uno ſermone unum dedere conſilium, ut in ipſis paſcuis Eccleſiam ædificaret in honore ſanctæ Trinitatis, & altare ipſius Eccleſiæ ſuper ipſum fontem conſtitueret, ſervos Dei inibi congregaret, qui die noctúque Deo ibi ſervirent. Qui ſano conſilio adquieſcens, cœpit juxta Eccleſiam ædificare officinas utiles Monachis. Elegit etiam ex religioſori Monaſterio totius Galliæ, videlicet ex Monaſterio beati Martini Majoris-monaſterij viginti quinque Monachos, ex quibus unum ipſis præfecit, Abbatémque conſecrari delegit. Vxor verò ejus ædificavit in ſupercilio montis Eccleſiam ſancti Georgij, Canonicóſque poſuit, & Capellam Conſulis vocari præcepit. Hic & bona Eccleſiæ beati Laudi valde ampliavit, & undecim Canonicos in ea poſuit; cùm tamen modò tres vel quatuor Preſbyteri tantùm ibi eſſent: ſic continetur in privilegio ipſius, quod eſt in eadem Eccleſia. GOFRIDUS autem Comes perfecit Eccleſiam ſancti Nicolai in ſuburbio Andegavæ civitatis, quam pater ejus

Uxor illius Agnes Eccleſiam S. Georgij ædificavit.

In Eccleſia S. Nicolai Andegav. quam ipſe

Digitized by Google

perfecit, Monachos instituit.

Fulco inceperat nec perfecerat; Monachos & Abbatem posuit, multísque possessionibus ditavit, ibidémque sepultus quiescit.

CAPUT X.

De GOFRIDO Barbato.

Quanta mala illorum Consulum tempore evenerint narrat.

1. DUM GOFRIDUS Barbatus & frater suus FULCO Richin honorem Martelli possiderent, quæ & quanta mala Consulatum involverint, & veritas historiæ jubet evolvere, & horror magnitudóque cladis prohibet referre. Sed nescio quid ipsis malis præstet eorum malorum verba subtrahere, quorum illi facta pertulerunt, quin potiùs noceret etiam malis exempla eorum perditionis supprimere, quandoquidem ipsis etiam sit perversis utilè, ipsorum exitio alios ab eorum deterreri imaginatione. Quòd si fortè ipsis malis nihil boni conferat, & quare eis adversa evenerint, aut etiam quomodò & cur perierint nosse, sequentibus tamen saluberrimum esse potest, cognitis aliorum ruinis, à viis ruinosis cavere. Proinde non ignoretur fortunam suam invidiam, quam sæpè potentibus commodat, his fratribus accommodasse, quos communitas Consulatus in turbam misit & malè concordes effecit. Nam Lucano teste: Nulla fides Regni sociis, omnísque potestas impatiens consortis erit, nec gentibus ullis, credite. GOFRIDUS Barbatus armis strenuus cum Cenomannensibus est fœderatus, cujus auxilio HELIAS de Fisca Cenomanum recuperavit, quod WILLELMUS Rex Anglorum sibi auferebat.

Supp. * Gofridus fuerit.

Jacobi 4. 6.

Conatur Comes Gofridus ditioni suæ do-

2. Quantæ cupiditatis & avaritiæ, quantæ etiam crudelitatis & superbiæ *, & quomodò ei Deus restiterit & humiliaverit, ut legitur: *Deus superbis resistit:* Et, *Frangit Deus omnem superbum:* locus in præsenti habetur. Diabolus cujus cibus & delectatio est à mundi principio sancta depravare, pacifica perturbare, bonis operibus obviare, & electionem BARTHOLOMÆI Abbatis Majo-

Digitized by Google

ris-monasterij, atque benedictionem sanctissimè factam molitus est modis quibus potuit infestare. Instigavit igitur Comitem Turonensium, nomine GOFFRIDUM, cognomento Barbatum, ut locum Majoris-monasterij suo dominatui subjugaret, & Abbatem loci cogeret, ut de manu illius baculum pastoralem reciperet.

minii Majoris-monasterij subdere; immo & illud eripere.

3. Grex igitur beati Martini Majoris monasterij stupefactus, ac mente confusus ex tam inaudita hactenus ratione, cogitare cœpit ac dicere, quo fieri posset, ut tanta & tam longa Regalis potestas, & specialis semper Domini Martini gloria ex priscis & ex suis etiam ipsis temporibus, qui dum adviveret proprium ibi Abbatem esse constituit nomine Galbertum, qui nunc ibidem humatus quiescit, ab Imperatoribus & Regibus hucusque inviolabiliter conservata, modernis temporibus alicujus dominio nisi Regio, sicut semper, aut Abbati proprio subderetur. Aiebant enim: Habemus namque non minima Imperatorum Regumque Præcepta, necnon & Apostolicorum perplurima Privilegia, quibus hic noster locus pro veneratione pij patris nostri domni Martini, qui eum fundavit, specialem obtinet dignitatem & gloriam, & numquam ab aliquo Regum, nisi aut Regi aut Abbati proprio sancti Martini fuit subjectus, qualiter etiam est ab omni Præsulum dominio in quantum in ordinandis Monachis necessitas cogit Ecclesiæ sequestratus, cum quibus ne id fiat satis defendere possumus.

4. Una igitur mente atque decreto venit idem grex ad prædictum Comitem, illíque hæc omnia retulerunt, ut scilicet hanc Abbatiam Majoris-monasterij, nec ipsum Monasterium in alicujus dominium nisi in suum proprium Abbatem ullatenus devenire permittat, ne honor & gloria tanti Patris quæ semper crescit in cælis aliquatenus minorari videatur in terris, à tantis hactenus inviolabiliter conservata Regibus, Patribus atque Principibus. Comes autemo bstinatè immo fortiter in sua sententia permanebat, & si hoc fieret, locum destruere minabatur. Monachi verò Comitem sæpe & ra-

Digitized by Google

tionabiliter convenerunt, & per personas Ecclesiasticas atque sæculares discreti sanique consilij nitebantur commotionem Comitis tranquillare.

5. Comes autem quanto magis videbat Monachos resistere suæ voluntati, tanto vehementiùs turbabatur, tantóque indiscretiùs non jam loco solummodò, sed & ipsis Monachis minabatur, & minas crudeles crudeli opere adimplebat. Locum namque Majoris-monasterij & loca appendentia, ubicumque potestas ejus attigit, aggressus funditus adnullare, possessiones Monachorum & substantias hominum Monasterij rapere violenter & vastare: & quomodo sævitiam suam expleret etiam in corpora Monachorum cœpit attentiùs observare, ut compleretur quod scriptum est: *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis*: in tantúmque desæviit persecutio & excrevit, ut etiam sæculares homines Comitis intemperantiam mirarentur, & imprecantes Comiti, Deum pro Monachis precarentur. *Psal. 36.12.*

6. Monachi autem cùm hæc diu cum patientia tolerassent, nec jam possent pericula imminentia sustinere, orationes quas pro suis persecutoribus juxta Evangelij effundebant præceptum, statuerunt devotiùs ampliare; nudatísque pedibus ad corpus beati Martini processerunt, assumptis secum debilibus & leprosis, quos de victu vel vestitu Monasterij sustinebant, & quorum preces apud Dominum valere confidebant quàmplurimum, ubi unanimiter in orationibus persistentes implorabant Deum & Sancti merita, ut pestem illam tam sævissimam suâ misericordiâ temperaret, ne locum illorum persecutor ille destrueret, unde ipse post modùm in infernum pœnas luiturus descenderet.

7. His peractis, etiam ad Abbatem Cluniacensem recolendæ memoriæ virum, HUGONEM nomine, suam petitionem direxerunt, suppliciter exorantes, ut ipse & sancta Cluniacensis Congregatio pro tanta persecutione mitiganda Dei clementiam precarentur; insuper ut ipse Abbas locum Majoris-monasterij consolari sua præsentia dignaretur. Qui benignus ut erat, petitioni eorum

Digitized by Google

benigno animo adquievit. Cúmque Majus-monasterium perveniſſet, conſolatus eſt Fratres, & Turonis ad Comitem ſunt profecti, cujus pedibus proſternati eum ut ab illa perſecutione jam ceſſaret precabantur humiliter, ſed incaſſum. Nam Comes in ſuam ſævitiem obſtinatus, nec lacrymis flexus eſt Monachorum, nec Abbatis precibus adquievit, nec ſe vel modicè à perſequendis Monachis temperavit.

8. Quibus ad Monaſterium redeuntibus, Abbas quoque reverſus eſt Cluniacum, Abbate Majoris-monaſterij comitante Qui videlicet Abbas Majoris-monaſterij antequàm inde rediret, ſuſcepit ſacros ordines Sacerdotis; quando enim electus eſt in Abbatem, adhuc Diaconi miniſterio fungebatur. Porrò Deus qui erigit eliſos, & ſperantes in ſe non deſerit, non dormitabat cuſtodiens Iſraël ſpiritualem, & afflictioni ſervorum ſuorum, qui, ut ſcriptum eſt, jam duplicia pro peccatis ſuis receperant, miſereri ultrà non diſtulit: qui cùm ſit omnipotens atque juſtus, in caput Comitis juſtè fecit ejus injuſtitiam redundare. Nam ut manifeſtum fieret quàm injuſtus Comes ille adverſus Abbatem & illos Monachos extitiſſet, & ut appareret quàm juſta ultione puniendus erat, qui ſanctam illam Eccleſiam tam irrationabiliter infeſtabat, Deus qui ſemper in ſanctis ſuis mirabilis, pro ſuis fidelibus dignatus eſt inſigne miraculum operari.

9. Poſtquàm enim Comes contempſit Abbatem BARTHOLOMÆUM & Abbatem Cluniacenſem & Monachos exaudire, parvo intervallo interpoſito frater ejus, FULCO nomine, adverſus eum cum manu valida inſurrexit, nec ab ejus perſecutione ceſſavit, donec eum captum, & ab honore privatum per multos annos in captionem detinuit. Ibíque afflictus & Divina ultione datus etiam in reprobum ſenſum, vixit poſtea pluſquàm triginta annos in hac miſeria, etiam hoſtibus miſerandus, certè juſto judicio privatus eſt & corporis & animi libertate, juſtè tota vita ſua miſerabiliter oppreſſus eſt unius hominis poteſtate, qui contra Dominum ſæviens

Fulco inſurgit in fratrem Gofridum, quem captum diu in carcere detinuit.

Juſto Dei judicio punitur Gofridus.

Digitized by Google

nitebatur multos servos Dei injusta servitute deprimere, justo judicio amisit in perpetuum dominationem quam tenebat, qui in possessiones Dominicas injusta tyrannide sæviebat. WILLELMUS Cenomannum concedente sibi HERBERTO acceperat, & HELIÆ, cui hereditario jure obvenerat violenter auferebat.

Hæc obscura, & alieno loco videntur inserta.

CAPUT XI.

De FULCONE *Richin.*

Quæ gesserit Fulco referuntur.

1. FULCO subdolus fratrem suum nimiùm cepit impugnare, & Consulatum totum turbare; & tunc totius Comitatus Barones unus in alium ceperunt insurgere, nunc BARBATO nunc FULCONI favere; & tunc proditiones multæ inter eos exortæ sunt. Quo tempore fit proditio apud Andegavem anno Verbi incarnati millesimo sexagesimo sexto proditores perimuntur. Tunc GOFRIDUS de Pruliaco occisus est, pater illius Goffridi qui Comes Vindocini fuit. Comes Pictavensium WILLELMUS, utipater suus vocatur miles accerrimus, juvenis astutus & laboriosus prædictis fratribus sic discordantibu Santonicum Consulatum aggressus cepit & possedit. Helias consul Cenomannicus & complures sui Consulatus Proceres FULCONEM pro BARBATO graviter expugnabant *, & ut Barbatum deliberaret petebant, & auxilio PHILIPPI Regis Francorum, & STEPHANI Comitis Blesis ipsum vi abstrahere nitebantur, sed Fulco cum Stephano, hominagio sibi facto, Regem Francorum adiit, & cum eo fœderatus, Philippo Regi Landonense castrum concessit.

1066.

Id est, impugnabant

Fulco abstulit Ambasium Arnulfo de Magduno.

2. Rediens FULCO à Francia Ambasiaco cum ARNULFO, qui custodiam domicilij ab ipso in feodo habebat, hospitatus, feodum ei abstulit & domicilium, positâ propriâ ad libitum custodiâ, sibi proprium retinuit. Sic Arnulfus de Magduno, & filius ejus LEONIUS ab Ambasio expulsi sunt. Sæpe Fulco talia actitans, progeniem suam doli ream licet injustè accusari fecit. Est autem

Digitized by Google

autem hæc quædam vis malis moribus, ut innocentiam multitudinis devenustent scelera paucorum, cùm tamen è diverso bonorum raritas, flagitia multorum nequeat excusare virtutibus communicatis. Sed non exacerbescat cùm videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione paucorum vitiorum. Erant enim tunc multi in bono administrando segnes, in malo obloquendo celeres, seditionibus occupati, caritate infirmi, factione robusti, in æmulationum conservatione stabiles, de quibus mentionem faciens quod scitum historiæ est, facio *.

al. * quod suum est historiæ facio.

3. Erant autem tunc Ambasiæ tres Optimates, quorum nullus alij credebat fore secundus, nec erat, quoniam nullum servitium alter alteri debebat, habentes singuli domos defensibiles; Sulpicius dominus Turris-lapideæ, & Fulcoius de Torinneio, quem Comes Martellus primus ibi hereditaverat, qui dominus domûs quæ Mota-Fulcoij dicebatur, erat. Tertius erat Arnulfus filius Leonii de Magduno custos domûs Consulis, quæ vocabatur domicilium, ad cujus jus pars major Ambasiensis castri pertinebat. Fulco Comes pater Martelli Leonio de Magduno in feodo custodiam domicilij & commendatias silvæ longæ, quæ suæ erant, usque Remorentino olim donaverat. Nam Fulco cùm Landonensem Vice-consulatum possideret, sæpe per Magdunum inter Aurelianum & Baugenciacum situm transibat, & Leonium inter principales amicos habebat: Sulpicius vir prudens armísque strenuus fuit; cujus frater Lisoius non inferior virtute extitit, qui ita natali amicitia erant conjuncti, ut eorum vita ab omnibus laudaretur. Nam teste Tullio: Si exemeris ex natura rerum benevolentiæ junctionem, nec domus ulla, nec urbs ulla stare poterit, nec agricultus etiam permanebit. Id si minùs intelligitur quanta vis amicitiæ sit concordiæque, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest, ut ex discordia Fulconis Richin & Barbati quæ pene terram eis subditam totam delevit. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas, quæ non

Domini Ambasiani.

Digitized by Google

odiis atque discordiis funditus possit everti? Ex Sulpicio atque Lisoio quantum boni sit in amicitia judicari potest, qui licèt causâ invidiæ à multis potentibus aggressi, viriliter se defendentes, nihil ex suo amiserunt, quamvis ipse Fulco eos Ambasiaco sæpe expellere tentasset.

4. Fulco Richin Barbatum fratrem suum captum tenuit, & in vinculis Chainoni castro posuit, & utrumque Comitatum in proprietatem sibi suscepit. Barbato Arnulfus, Fulconi Richin Fulcoius favebat, Sulpicius neutri. Itaque Fulco Richin à Rege Francorum utrumque Comitatum suscepit, ipsíque Landonense castrum in perpetuum concessit. Dúmque à curia Regis Fulco rediret, hospitatus cum Arnulfo in domicilio, consilio Fulcoij domicilium ei abstulit, & cuidam homini suo Rainaldo Porcello ad custodiendum tradidit, ipsúmque Arnulfum ratione satis debili quia Barbatum dilexerat, Ambazio expulit. Post hæc malitiosus Fulcoius nutu Consulis Sulpicium & suos impugnabat, existimans quòd Comes honorem Sulpicij filio suo Fulcoio daret, qui Elisabeth sororem Comitis duxerat, si eum ab Ambaziaco expellere posset.

5. Jam pridem Consul Richin à probitate antecessorum suorum deviaverat, veráque vocabula rerum amiserat. Nam aliena bona largiri liberalitas, malorum, & reorum audacia fortitudo ab eo vocabatur: sed tamen misericors manſuetúsque erat, nimiúmque ad credendum malis facilis, quem Fulcoius aggrediens multis adulationibus, ut arma contra Sulpicium sumeret impetravit. Similiter Burchardum de Montheſauro, qui Eufennam * Sulpicij & Lisoij sororem habebat, contra ipsos ad omnia mala agenda incitavit, sed Sulpicius Lisoiúsque à Calvo-monte Comitem Buchardum atque Fulcoium infestabant, illíque nolentibus totam terram usque Lochas & Turonim vastantes deprædantésque, omnia incendebant. Munierunt etiam Ambasiaco arcem suam, & sic sæpe in ipso oppido inter utriusque partis homines lis vulneratióque & occisio nimia erat. Erat autem Sulpicio auxiliator sororius

an. * Eufemiam

Digitized by Google

ejus THEOBALDUS Rupium dominus, per cujus portum Sulpicius & sui transmeantes, maxima damna inimicis suis faciebant. Diu post hoc Comes consilio Ambasiensium cum Sulpicio dolo inducias cepit, patefacta terra siluit. SULPICIUS in custodia cujusdam Ambasiensis militis nomine HEBRARDI arcem suam posuit, ipse cum uxore Calvimontis mansit. Quadam verò die dum Sulpicius Ambasiaco esset, & in domo Cæsarij in pace securúsque quiesceret, Fulcoius Comiti qui Turonis erat mandavit. Comes statim milites suos nocte misit, eúmque in eadem domo turpiter captum Andegavis incarceravit.

Ambasium expugnat Fulco.

6. FULCO Richin exercitu suo congregato, Ambasij arcem expugnare adorsus est. Intravit autem Comes juxta domicilium suum in oppido, inde balistarij & sagittarij spicula illis de arce dirigebant; ab arce verò pila & sagittas, immensósque lapides jactabant. Illi de domicilio, quod turre porrectius erat, nimis eis nocebant, utpote super quos lapides à mangonellis jaculati desursum ruebant, major pars exercitus, quæ in foro juxta Ecclesiam sancti Dionysij relicta erat, impetuosè in burgum ruebant, quorum phalanges armatæ mœnia circumvallabant, & classica lituorum tubarúmque clangebant, ignémque copiosum jacientes omnia incendebant. Illi de turre omnimodis eos impugnabant, percutientes in clypeis, in galeis, in capitibus, nihil otiosum omittere, ignem non cessabant jacere, donec ab utrisque totum oppidum succensum, ipsáque Ecclesia sanctæ MARIÆ cremata est. Post ignem arietibus & petoritis Comes eos aggressus, per quinque hebdomadas parum eis nocuit, nihil proficiens, exercitum redire ad propria permisit.

Post quinque hebdomadas discedere confusus cogitur.

7. Interea LISOIUS frater SULPICII à Calvomonte & ab ipsa arce repentinos concursus faciens, phalanges Turonorum sæpe palantes inveniens impugnabat. Multi dum impetum ejus evitare nesciunt, in reperentinum mortis discrimen ceciderunt, quod ad luctum & magnum detrimentum hominibus Comitis accessisse, nemo

Digitized by Google

sani capitis dubitat. Orta est igitur inter eos non modica tristitia, quoniam Comes eis nullum auxilium conferre poterat. Dum enim unusquisque quod suum est quærit, à communi providentia tepescit. Populi quoque usque ad communem perniciem desolantur, ubi Principes se ipsos non consolantur. Vicini Proceres de concordandis fratribus cum Comite locuti sunt. Comes compunctus corde, animo suo liberaliter damnatus est, sic res ad effectum processit.

Sulpicius viriliter se defendit.

7. EBRARDUS qui turrim custodiebat, audiens SULPICIUM deliberatum, ipsam arcem nesciente LISOIO, sine aliquo pacto ut stultus hominibus Consulis tradidit. Quod Sulpicio & suis nimis displicuit. SULPICIUS & sui famuli Ambasiaco in loco qui Vetus-Roma dicitur, mansionem amissa turri accepit. Oppidani potita quoquomodo pace, ut mos est, lætati sunt. STPHANUS Blesensis Comes adjunctis sibi Cenomannensibus de liberatione Barbati cum Fulcone locutus, postquàm res ad nullum effectum processit, Principes Cenomannorum contristati, & Comites discordantes ad sua irati redierunt. FULCO Proceres suos Turonis confabulandi gratia convocat, maximè SULPICIUM, heri & nudius tertius * ut sibi contra Stephanum auxiliaretur aggressus est, sed res illa ad nullum effectum processit, quoniam Sulpicius absque causa cum domino suo Stephano disceptare nolebat, & sacramentum Stephano factum palàm Fulconi coram omnibus prætendebat, quod prævaricari nullatenus volebat, sed tamen utrisque pacem debitam tenere cupiens, servitium decens utrisque facere non denegabat. Quamobrem Comes dolo ibidem habito consilio, Sulpicium capere disponit. At ille quæ parabantur ab amicis edoctus, Ecclesiam beati Martini intravit; ex qua eum SALOMON dominus Lavardini consobrinus ejus extraxit, & cum multis usque ad Rupes Corbinis deduxit, sic auxilio Dei & beati Martini, & amicorum suorum Sulpicius evasit, & Ambasio Comitem antevenit, & suos ne à Comite caperentur fugere hortatur. Ipse statim discedit, Salgionem munit, & fu-

*Deest * spoliatum.*

Digitized by Google

gitivos ab Ambasio ibi posuit; quibus præfectum suum virum animosum, & viribus corporis prævalidum, nomine GOFRIDUM, bene munitum præfecit. Quos Sulpicius sic allocutus est: Fideles amici, non votis neque « supplicationibus muliebribus auxilia parātur, vigilando, « agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt, ubi « socordiæ & ignaviæ vos tradideritis, ne quidquam « Deum implorabitis: Nam ipse & Sancti ejus irati infe- « stique sunt. Sed in ea difficultate Sulpicium non minùs quàm in rebus hostilibus magnum, & sapientem virum fuisse comperio. Namque edicto præcepit, ne quisquam suorum ibidem gentium panem aut alium cibum alteri venderet, sed omnia eis essent communia, ne lixæ, ne gregarij servi agmen eorum sequerentur, vigilias crebras ponere, ac si hostes juxtà adessent. Præterea pollicetur semet cum suis copiis sæpe affore.

8. Interea omnibus compositis, discedit. Illi de hac munitione quidquid inter Carum & Ligerim, & etiam usque ad Angerem fluvium à Montrichardo usque Turonis deprædantes, omnia, exceptâ propriâ terrâ beati Martini, deleverunt. Similiter domini eorum Sulpicius & Lisoius per portum Rupium sæpe transmeantes, cuncta usque ad sanctum Anianum demoliti sunt. Omnibus ita deletis, mortuóque Barbato, Comes cum Sulpicio concordatus, omnia sua sibi reddidit. Arcem tamen in custodia ROBERTI de Avessiaco posuerunt, qui vir illustris haud modici pectoris, de familiaribus Comitis & amicus Sulpicij erat. Suscepit igitur turris custodiam tali pacto, quòd si Consul pactum frangeret, omnibus viribus ei nocumento esset. Quòd si SULPICIUS idem non teneret, ROBERTUS eum ab Ambasiaco expelleret, arcémque in fidelitatem Consulis custodiret. Omnes milites oppidi pactum illud tenendum sacramento firmaverunt. Insuper Sulpicius filium suum HUGONEM obsidem pacis tenendæ in manu Comitis posuit, & Comes cellarium, quod sub thalamo turris erat, Sulpicio ad annonam & cetera necessaria ponenda concessit.

9. Non longè post hæc SULPICIUS à curia FULCONIS

Moritur Sulpicius.

Digitized by Google

Andegavorum Comitis rediens, gravi morbo præoccupatus, Rupibus Corbinis in thalamo sororis suæ SIBILLÆ viam universæ carnis arripuit. LISOIUS verò frater ejus terram & homines, ut ille jusserat, ad regendum suscepit. Interim LISOIUS dum Fulco Richin à Consule Pictavensi & à GOFRIDO Pruliaci, & aliis pluribus impugnaretur, nepotem suum HUGONEM, quem adhuc captum tenebat, petiit, & homagium quod Comes exhibebat facere renuit. Videns Consul LISOIUM sibi fore necessarium, nepotem suum reddidit, & homagium quod Comes exigebat ab eo suscepit.

10. Quod sibi utile videtur quisque adagit: namque
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

FULCO Comes CORBAM Fulcoij filiam, consentiente Lisoio, cuidam viro de curia sua HAIMERICO de Currone in matrimonio copulavit; quod multi ad detrimentum HUGONIS, qui tunc miles noviter erat, factum esse existimaverunt. Cùm Comes custodiam domicilij sui Haimerico de Currone præbuisset; dum ceteri murmurarent, tres famuli Hugonis, Gofridus Manumunitus, Robertus Telonearius, & Railnesinus carpentarius rem difficilem aggressi sunt. Qui quanto cordis mentisque desiderio, quantisque sollicitudinibus, quantis curis ac laboribus pro fidelitate domini sui sæpe anxij extiterint, rerum est testis effectus. Iste siquidem adjunctis sibi aliis duobus, in cellario sub thalamo turris nocte absconsi solario perforato, summo diluculo cavillis * impositis ad summa ascenderunt; Dominæ clamorem cum duabus ancillis ibi jacentis minando gladiis oppresserunt, vigil somno oppressus capitur, ex his tribus ad portam scalæ, quæ vulgò strapa vocatur, remanentibus; duo ad summa arcis ascenderunt, qui super fastigium in summitate turris quoddam vexillum exaltantes, arcem domini sui esse exclamant. Multi ex hominibus HUGONIS citò accurrentes, ab illis suscepti intraverunt, & uxorem ROBERTI de Avessiaco, quæ intus parturierat, nec tempus purificationis ejus instabat, in lecto suo usque ad domum viri sui, quæ non longè à porta arcis erat, detulerunt.

Arx Ambas. dolo capitur.

Gal. * chevilles.

Digitized by Google

11. ROBERTUS de Avesſiaco & HAIMERICUS de Currone ſe deluſos dolentes cum caſtrenſibus convocant undique finitimos homines Conſulis, & intus incluſos obſervant ſollicitè, nè quis eorum poſſet exire. ROBERTUS & HAIMERICUS, ipſis abſentibus, LISOIO etiam nolente, arcem ab hominibus Hugonis captam Conſuli nuntiant. HUGO ſic u erat vir cordatiſſimus, adunatis hominibus & amicis ſuis, Ambaſio veniens arcem & partem ſuam munit oppidi. Interea dum Comes aliis ſuis negotiis impeditus moraretur, homines ſui qui aderant in caſtello, ab infeſtatione Hugonis nullatenus abſiſtebant, ſed tota ſedulitate eum incurſabant. Illi de turre viriliter tota die ſe defendebant, homines Conſulis graviter vulnerati ſæpe recedebant. Quos cùm ſui Duces vocarent non conveniebant, cùm litui clangerent in domibus latitabant, immò inermes & exanimi bellum deteſtabantur, & velut exanimes, imbelles & inglorij recedebant. Denique ubi Conſul eò pervenit, licèt invidiæ animo ardebat, cognito homines Hugonis acres eſſe ad pugnam ex copia rerum, ſtatuit ſibi vi nihil agendum, ſed cum eo in colloquio verba facit. Juvenem te, amiſſo patre, ſine opibus video: idcircò amicitia mea opportunior tibi certamine eſt. Ego humanarum rerum memor ſcio: in omni certamine qui opulentior eſt, etiamſi accipit injuriam, tamen quia plus poteſt, injuriam facere videtur. Itaque Comes homagio accepto ab HUGONE, eóque cum HAIMERICO de Currone & ROBERTO de Aveſſiaco concordato, omnibus Ambaziacenſibus pacificatis receſſit.

12. FULCO plures duxit uxores filiam LANCELINI de Baugenciaco, ex qua orta eſt Comitiſſa Britanniæ; illáque poſt obitum viri ſui, Jeruſalem in Eccleſia ſanctæ Annæ vitam Monialem exercuit. Poſt cujus mortem filiæ Lancelini duxit Ermengardin ARCHENBALDI Fortis de Borbono, ex qua genuit GOFRIDUM Martellum admirabilem virum, juſtitiæ inſignem, totius boni cultorem, qui terror omnium inimicorum ſuorum fuit. Libidinoſus FULCO ſororem Amalrici de Monte forti

Uxores & proles Fulconis Richini.

Digitized by Google

adamavit, cujus præter formam nihil umquam bonus laudavit, pro qua matrem Martelli dimisit, affirmans eam de genere suo fuisse; quam dimissam WILLELMUS Jalviniacensis vir ex nobilioribus Arvernorum uxorem duxit. Ex sorore Amalrici Fulco filium genuit, qui similiter ut pater Fulco vocatus fuit, de quo in subsequentibus loquemur.

CAPUT XII.

De GOFRIDO *Martello secundo.*

Præclara Gofridi Gesta describuntur.

1. GOFFRIDUS Martellus secundus jam adultus, juvenis prudens & animosus, videns terram turbatam, & Proceres totius Consulatus contra patrem cornua erigere, eis viriliter resistebat, & quomodo patrem & suos ulciscereтur, irrequietus cogitabat; qui omnibus prævaluit, & ab intentione eos revocavit; qui insignis justitiæ, ab omnibus metuebatur, & ei plusquàm patri totius Consulatus omnes homines etiam nobiles obediebant, patrem propter vitia odio habentes: qui reperta cognatione ERMENGARDIM matrem Martelli eo adhuc puero, dimisit: Quam dimissam HAMO, cognomento Vaccavaria, dominus Borbonensis, frater ejus, filius Archenbaldi Fortis, secum in Arvernia ducens, WILLELMO Jalinacensi domino, filio ULDINI Barbæ in conjugio copulavit. Hic ex ea genuit ULDINUM & ELIZABETH. Postremò Fulco Richin amore sororis Almarici de Monte forti succensus, cujus præter formam nihil umquam bonus laudavit, domum suam sceleratis nuptiis replevit: quæ mulier timens privignum adultum ætate, animus ipsius omnibus infestus, neque quietibus neque vigiliis sedari poterat, sciscitans quomodò nocumento Martello esse posset, sæpe color ejus exanguis, incessus citus, modò tardus, prorsus in facie vultúque vecordia inerat, & illis quos multis modis ad se illexerat mala facinora edocebat. GOFRIDUS Martellus quemadmodum his resistatur discutiens, sciens quia

Amicitias init Martellus cum viris nobilibus.

Digitized by Google

quia sine sociis nemo quidquam tale conatur, cogitans quomodo amiticiã Hugonis sibi contrahat & adjungat (in quo animus similis suo inerat, quod cùm contigit, amor exoriatur necesse est) Elisabeth sororem suam ex matre sua Ermengardi, & Willelmo Jalinniacensi ortam Hugoni * in conjugium copulavit. Martellus Hugoni & uxori suæ domicilium & quidquid Ambasio possidebat post obitum patris sui concessit. Is verò prudenter negotia sua agebat, nec nimis remissè nec insipienter militabat. Barbatus nepotis sui Martelli probitates audiens, complacuit, eóque advocato ait illi: Gaudeo te ab avorum probitate non degenerare, ideò terram meam mihi à patre tuo injustè ablatam tibi do, & ut deinceps possideas volo. Martellus ipsum vinculis solutum per urbes & opida sua tamen sub custodia liberè ire permisit. Ipse verò in carcere turbato cerebro sensu aliquantulum minutus erat.

supp. * De Calvo-monte.

Goffridus Barbatus vinctus fratris filio Martello «terram «suã concedit.

2. In illo tempore anno siquidem ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto Synodus Averni habita est, & via eundi Jerusalem inchoata est; quippe anno subsequente Fulco & Martellus filius ejus Rupes-Corbinis obsederunt, & fumo ceperunt. Quod municipium nemo putabat capi posse, & Robertus Rupium dominus super ipsas Rupes in monte nolentibus Consulibus castellum componebat. Iste Martellus Elizabeth sororem suam ex matre sua & Willelmo Jalinniaci ortam Hugoni de Calvo-monte uxorem dedit; cum ea Ambasiacum totum ei concessit. Huic Martello Helias * Comes Cenomanensis unicam filiam suam non adhuc matrimonio aptam desponsavit, & Cœnomanum cum appendiciis ejus tribuit.

1096. Synodus Arvernensis habita.

supp. * de Fista

3. Sæpe Martellus cum Rege Rufo conflixit, multáque municipia in Normannia vastavit & succendit, dum Rex in Anglia moraretur, & Robertus Comes * frater Regis in Jerosolymitano exercitu cum peregrinis multis maneret: nam Normanniam Rex Rufus in vadimonio habebat.

Martellus multa municipia in Norman. vastat.

supp. * Normannorum.

Digitized by Google

1105. Cometa insignis apparet.

4. Anno Verbi incarnati millesimo centesimo quinto, quadraginta diebus & eo ampliùs cometa vespertinis semper horis apparens, stupore simul & terrore totum tunc replevit mundum. Nam splendoris Alburni radium versus brumalem Solis occasum producens, primis quidem diebus flammatior, postremis verò subobscurior videbatur, donec paulatim attenuatus post dies, ut dictum est, quadraginta videri omninò desisteret.

1106. Martellus interficitur.

5. Sequente anno MARTELLUS insidiis suorum & novercæ, patre, ut fertur, consentiente, Landæ castro occisus est; sepultúsque in Ecclesia beati Nicolai Andegavis. Incredibile mihi videtur patrem in nece tanti filij consensisse, cùm nimiùm senex esset, & filius si longinquitas vitæ sibi concederetur, quidquid amiserat recuperasset. Nam & Landonense castrum PHILIPPO Regi calumniabatur, & WILLELMO Pictavensi Sanctonicum Consulatum, qui timore ejus duas turres novas Pictavis constituit, unam in urbis ingressu, & aliam prope aulam. Rex libidinosus PHILIPPUS Turonis venit, & cum uxore Fulconis locutus, eam fieri Reginam constituit: pessima illa, Consule dimisso, nocte sequenti Regem sequitur, qui Mindraio prope pontem Beuronis milites dimiserat, qui eam Aurelianis duxerunt. Sícque Rex luxuriosus domum suam sceleratis nuptiis sub anathemate factis replevit, & duos ex ea filios PHILIPPUM & FLORUM generavit.

CAPUT XIII.

De FULCONE *Rege Jerusalem.*

Fulco Cenomanicũ Consulatũ adeptus est.

1. VERÙM est: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij.* Hinc est quòd mortuo FULCONE Richin filius ejus Fulco vias patris & matris suæ deserens, honestam vitam ducens, prudenter terram rexit. Qui ab Helia Cenomanensi Comite unicam filiam suam, quam Martellus frater suus licet

Digitized by Google

sibi promissam non nupserat, dari sibi cum Cenomanico Consulatu impetravit. Sícque Cenomanicus & Andegavensis Consulatus conjunctus esse dinoscitur. Vir honestus FULCO armis strenuus, fide catholicus, erga Dei cultores benevolus, adepto utroque Consulatu, amicos exaltans, malignos & sibi adversarios opprimens, gloria & optima fama impar nulli in brevi effectus est. Qui HUGONI de Calvo-monte Ambasium totum à fratre ejus Martello ei datum, accepto hominio concessit,& ipsi Montrichardum antecessoribus suis olim injustè ablatum reddidit. Is idem Pruliacum obsedit, sed non cepit, & tamen Eschinardum ejusdem castri dominum subjugavit, & pacificum sibi fecit. Ipse Montem-Basonis à JOHANNE ipsius oppidi domino emit. Cùm JOHANNES accepta jam parte pecuniæ pœniteret, fortissimus FULCO oppidum illud obsedit, & ad reddendum sibi coëgit, redditáque promissâ pecuniâ, castellum obtinuit. Musteriolum obsedit & cepit, sed misericordia motus propriis custodibus arci impositis, cetera omnia domino ipsius castri reddidit. Rex Anglorum HENRICUS Fulconem sibi exosum multoties impugnavit. Sæpe etiam datâ multâ pecuniâ Andegavensis & Cenomanici pagi Baronibus, in propria ipsius terra multas importunitates per eos & maxima damna faciebat Fulconi.

Multa prudenter & generosè gessit.

2. Dum esset idem Consul in pago Turonensi in obsidione Montis-basonis, venit Rex HENRICUS, qui semper ei infestus erat, subitò ex improviso & insperatè ejectis custodibus Consulis ex arce Alentionis castri suos posuit; & quia sinistrum quid sperabat ex burgensibus castri, obsides filios eorum & filias etiam lactantes in arcem cum custodibus posuit. Turrenses autem de arce descendentes, & per castrum nocte & die delitescentes, Burgensium uxores & filias dehonestabant: victum verò & vestitum sine prece vel pretio vi auferentes, in turrem deferebant. Qua de re commoti burgenses miserunt nuntios Consuli, ut quantociùs adjuvaret in tantis periculis constitutos. Consul verò cùm esset in obsidione

Obsidet Fulco Montem-basonis; & Rex Anglorum Alentionem capit.

Digitized by Google

supradicti castri, pacificatus est cum Baronibus suis, qui contra eum castrum munierant; ejectisque hostibus qui in arce erant, & domesticis suis positis, vexillóque ejus in eminentiori loco sublimato, & tribus vicibus acclamatum, Consulis est castrum, movit exercitum tam inimicorum antea modò pacificatorum, quàm amicorum militum vel peditum versus Alentionis castrum. Misit etiam veredarios per totam Turoniam, Cenomaniam, Valeïam & Andegavis, ut omnes eum prosequerentur loco prædicto & die denominato.

Copiosa multitudo Principum adversus Comitem Andegavensem bellum gerit.

3. Audiens autem hoc supradictus Rex Anglorum, qui tunc morabatur in civitate Sagiensi, brevi tempore congregavit innumeræ multitudinis exercitum tam militum quàm peditum, qui cooperuerunt faciem terræ sicut locustæ. Erant autē post ipsum Principes & Magistri totius exercitus STEPHANUS Comes Moritonij, & frater ejus THEOBALDUS Blesensis, WILLELMUS Comes Flandrensis, RADULFUS de Peronia, ROTRODUS Comes Pertici, ROBERTUS de Belismo, & WILLELMUS Jesmales, & multi alij Francigenæ, Angli, Normanni, Flandrenses, Britones, cum adjutoriis suis. Rex autem in ultimo agmine sequebatur eos cum innumera multitudine tam peditum quàm equitum. Sano autem consilio suo crediderat, quòd posset Fulconem Andegavorum Comitem in Parchio in modum coronæ cingere, vel in modum castri obsidere, & capere cum omnibus suis, quod & feciſſet, nisi Deus, qui *superbis resistit, & humilibus dat gratiam*: qui *de sua virtute gloriantes humiliat*, &, *Cui semper humilium & mansuetorum placuit deprecatio*, adjuvasset Consulem FULCONEM in ipso fiduciam habentem. Perfeciſſet autem voluntatem suam quantum ad intuitum hominum, nisi prædicti juvenes, STEPHANUS Moritonij, THEOBALDUS Blesensis, & WILLELMUS Flandrensis Consules, & Regis supradicti nepotes, cupidi gloriæ, & probitates suas volentes ostendere, exercitum Regis præcessissent, qui viriliter Parchium, in quo Consul cum suis morabatur, aggredientes, balistis, sagittis, telis, lanceis & ensibus stric-

Digitized by Google

tis, impugnabant & assiliebant. FULCO autem Consul fiduciam habens in Domino, & amore Baronum suorum, in Parchio delitescebat, exspectans adjutorium Dei & adventum hominum suorum. Erant autem cum eo HUGO de Mathafelone, & THEOBALDUS filius ejus, FULCO de Cande, MAURICIUS de Credunte, PETRUS Camelacensis, JAQUELINUS Malleacensis cum quatuor fratribus suis, HUGO de Aloïa, ADEELMUS de Samblanciaco, HUGO Ambasiensis, GOSCELINUS de sancta Maura cum duobus fratribus suis, & multi alij cum militibus & peditibus. Cenomanenses autem videlicet dominus Sabolij, & Suliacensis, Meduanensis & Lavallensis, & multi alij diem constitutum exspectantes nondum advenerant.

4. Ut autem viderunt illi qui cum Comite erant exercitum venientem, dixerunt ei: Quomodo pauci pugnare « possumus ad multitudinem tantam & tam fortem? Et « nos fatigati sumus hodie. Et ait Consul: Facilè est con- « cludi multos in manu paucorum, & non est differentia « in conspectu Dei cæli liberari in multis aut in paucis. « Quia non in multitudine victoria belli, sed de cælo for- « titudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci « & superbia, ut disperdant nos & spolient. Nos autem « pugnemus pro justitia nostra, pro terra nostra, & pro « animabus nostris, & ipse Dominus conteret eos ante fa- « ciem nostram. Vos autem non timueritis eos, sed illum « timete, qui non derelinquit sperantes in eum, & de sua « virtute gloriantes humiliat. Dicunt non esse qui pote- « rit vel possit resistere virtuti eorum; experiantur ictus « & actus Andegavensium & Turonensium, quos despi- « ciunt, & adquiescite consiliis meis. Ne expectemus ro- « bur exercitus; non enim expedit nobis: sed hos catulos « inconsultè, & indiscretè latrantes viriliter reprimamus. « Vocavit autem ex omnibus primum HUGONEM de Mathafelone cum filio suo Theobaldo, dixítque ei: Egrede- « re ad eos cum centum armatorum militum, & ducento- « rum servientium sive archeriornm manu, & tolle preces, « quod petis arma dabunt. Ille autem de Parchio exiens «

Digitized by Google

ut tantus miles viriliter cum equitibus & peditibus suis eos aggressus est. Regales autem in fortitudine & numero confidentes, viriliter resistebant, in tantum ut eos in Parchium fugere compellerent. FULCO autem Consul vocavit RAINALDUM de Castro, Jaquelinum de Malleiaco cum quatuor fratribus suis, & ADELINUM de Semblanciaco, traditis eis centum militibus, & ducentis archeriis duplicatis, videlicet militibus & servientibus, monuit exire obviam hostibus. Illi autem multiplicati virtute & numero, in tantum restiterunt, ut eos vellent nollent in Parchium fugere compellerent.

5. His visis Consul strenuus magis in feritatem elevatus, quàm in desperationem dejectus, vocavit Hugonem Ambasiacensem, GOSCELINUM de sancta Maura, Gaufredum de Montheſauro, JOHANNEM de Aloia, traditis autem trecentis militibus & ducentis peditibus, remisit eos cum supradictis contra hostes suos. Dum autem esset in ultima militum ordinatione, veniebant Cenomanenses, videlicet LISIARDUS Sabolienſis, ROBERTUS Suliacensis, GALTERIUS Meduanensis, GUIDO Lavallensis, & multi alij Barones & milites cum adjutoriis suis. Cùm autem essent quatuor milliariis ab utroque exercitu, audierunt clamorem ululantium & hortantium ad bellum; audierunt etiam per internuntios, quòd Consul cum Rege pugnaret cominus, & multis infortuniis exercitus Consulis debilitaretur; cùm alij » capti, alij vulnerati, alij mortui nuntiarentur. His audi- » tis ira & dolore percussi aiebant: Væ nobis miseris, iner- » tibus & pigris, qui non interfumus cum domino nostro, » & cum sodalibus, amicis, & fratribus nostris in tanto » conflictu. Hæc dixerunt, & dicto factis acceleraverunt prout potuerunt, ut interessent certamini. Descenderúntque in quadam valle amœna & nemorosa, dissellatis equis & recreatis, induti etiam thoracibus, loricis & galeis, ordinaverunt acies suas. In prima acie erat LISIARDUS Sabolij dominus cum militibus, archeriis & peditibus suis: in secunda ROBERTUS Sulleij cum suis; in tertia GALTERIUS Meduanensis & JOSHELLUS filius

Digitized by Google

ejus miles strenuus cum suis: in quarta GUIDO de Lavalle, cum suis. Cùm autem appropinquassent, exclamavit unusquisque inter signum suum, & totis nisibus irruerunt in hostilem exercitum. Debilitabantur autem à Sagittariis equi, milites & pedites Regis. Contigit autem ut quidam jaceret in incerto sagittam, vulneratúrque levi ictu in fronte Consulem THEOBALDUM: sanguis autem defluebat super oculum, nec videre poterat ex illa parte sanguine oculum cooperiente.

6. FULCO autem Consul morabatur in Parchio, & Comes Vindocinensis cum eo, & Vicecomes de sancta Susanna, & PETRUS de Pruleio, WILLELMUS Mirebellensis, BERLAIUS de Mosterol, GAUFREDUS de Doe, PELOQUINUS de insula Buchardi, RAINALDUS de Veheio, & archerij multi & omnes pedites Andegavenses & robur exercitus. Mandavit autem militibus suis ut strenuè & viriliter agerent, quia ipse egrediebatur ad succursum & adjutorium eorum. Necdum nuntius verba finierat, & ecce Consul in una parte exercitus cum suis adveniens, ut erat clamosus in voce, exclamavit voce magna: Eïa milites valentes, milites ecce Consul, extendite manus & brachia; exhilarate animos, resumite vires. Ecce ego frater vester, dominus & magister, & quod videritis dominum facientem, & vos facite similiter. Milites autem, archerij & pedites, videntes dominum suum lancea quosdam de sellis proturbare, ense in sellis nonnullos dimidiare, animati, exhilarati, & confortati, valentiores extiterunt, & majores ictus dederunt lanceis, balistis, sagittis & gladiis.

Quam generosè ac fortiter dimicat Fulco.

7. Hostes autem conterriti pellem pro pelle dantes, ut facies tuerentur, dorsa præbuerunt percutientibus. Nec erat in tanto exercitu qui resisteret, & multi erant qui persequebantur. Contigit autem & proverbium quod vulgo dicitur: Sint qui fugiant, multi erunt qui persequentur. Videns autem Rex suos fugientes, nec retinere eos prævalens, nec verbis, ictibus, vel actibus, compulsus est fugere, & inter fugientes licet ultimus Sagiensi civitate ingressus est. Consul autem nemi-

Hostes animo desponden & dorsa præbent percutientibus Andegavensibus.

Rex Angliæ cum suis fugit.

Digitized by Google

nem ex suis perdidit, nisi tantùm quatuòr archerios, & viginti quinque pedites, qui in acie præliantes, vulnerati, gloriosè mortui sunt. Rex autem multos tam milites quàm archerios & pedites mortuos; vulneratos & captos amisit. Consul autem reversus à cæde hostium, nocte jam cæca multis spoliis ditatus quievit nocte illa intra Parchium in papilionibus suis.

8. Mane autem horâ tertiâ surgens mandavit Monachis, qui infra castrum erant, honorificè præpararentur, ut Missam in honore beatæ MARIÆ celebrarent, quia sabbatum erat, quo devotius à Christianis memoria ejusdem Dei Genitricis celebratur. Cùm autem ad Ecclesiam venissent, intrare non poterant præ multitudine captivorum qui sub custodia tenebantur. Cognovit autem eosdem esse qui pridie in expeditione capti fuerant. Conversus autem ad suos, graviter increpavit dicens: O quid egistis, nec Deum timentes, nec hominem reverentes? Num ignoratis hac de re Dominum Judæos graviter increpasse & dixisse? *Domus mea, Domus orationis vocabitur; Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Legitur etiam in libris Gentilium qui dæmonia pro Diis colebant:

Luc. 19. 46.

Et sæpe accurrit templi violator ad aram.

Canonibus etiam Ecclesiæ, cujus filij vocamur & sumus, præceptum habemus: Ut quicumque facinorosus ad Ecclesiam confugerit, liber à supplicio recedat. Nos autem qui judicamus terram, diligamus justitiam, ut peccatis liberi justitiæ vivamus. Vocavit autem Dapiferum suum præcepítque ut quantociùs præpararet ciborum abundantiam & vini copiam, ut pane confirmationis confortati, & vino lætitiæ exhilarati, ad propria sine aliqua redemptione liberi redirent. Erant autem ferè quingenti. Arcem autem ingenio suorum tertio die cum omni apparatu recepit.

Pacem init Rex Angl. cum Fulcone, cujus filiam accepit uxorem filius Regis.

9. Rex verò hoc infortunio humiliatus, cupiebat cum FULCONE amicitias jungere, & habere fœderatum, quod & obtinuit. Accepit enim filiam ejus puellam pulcherrimam & sapientem MATHILDEM nomine,

Digitized by Google

mine, VVILLELMO filio suo, qui post eum regnaturus erat. Non post multum verò temporis copulavit filiam suam Imperatricem, uxorem quondam Henrici Imperatoris Alemannici, filio ejus Gaufredo pulcherrimo juveni, & strenuissimo militi.

10. Rex VVILLELMUS, qui Angliam adquisivit, terram suam tribus filiis ita divisit: VVILLELMO Rufo Angliam, ROBERTO Normanniam, HENRICO maternas possessiones donavit. Rege Rufo mortuo, HENRICUS Regnum arripuit, Roberto fratre suo Jerusalem morante. ROBERTUS rediens à Jerusalem, ex uxore sua filium nomine Vvillelmum genuit. Robertus die sancti Michaëlis à fratre suo Henrico capitur, cujus filius VVILLELMUS filiam Fulconis Comitis Andegavis duxit, sed ab illa propter cognationem separatus, sororem Reginæ Franciæ uxoris LODOVICI Regis duxit, datâ sibi Flandriâ post obitum CAROLI Consulis. Sed Vvillelmus lanceâ manu percussus, non diu pòst vixit. HENRICUS Rex Angliæ filium nomine VVILLELMUM habuit, qui filiam Fulconis Comitis duxit, accepto cum ea Comitatu Cenomanico, & Normanniam à LODOVICO Rege Francorum, facto sibi hominio, suscepit. Qui decimo septimo ætatis suæ anno in Angliam rediens, in mare submersus periit, multíque nobiles cum eo, quorum corpora inventa non sunt, anno incarnati Verbi millesimo centesimo decimo. Fulco ex filia Comitis Heliæ uxore sua genuit GOFRIDUM, qui adultus miles armis præpotens effectus, Mathildem filiam Henrici Regis Angliæ, quæ uxor fuit Imperatoris Alemanniæ, uxorem duxit. Ex eadem uxore Fulco alium filium HELIAM nomine genuit.

Dominationes suas tribus filiis Guillelmus Rex Angl. divisit.

Guillelmus Henrici Regis filius uxorem ducit.

1110.

Gofridus Comitis filius matrimonio cum Mathilde filia Regis Ang. copulatur.

11. Cùm FULCO Andegavensem, Turonicum, Cenomanicúmque Consulatum in prosperitate regeret, Rex Jerusalem BALDOINUS secundus nuntios in Franciam misit, qui prudentium consilio virum idoneum, qui filiam suam cum Jerosolymitano Regno duceret uxorem, secum adducerent. Elegerunt itaque consilio Lodovici Junioris Regis, & Episcoporum multorum peri-

Fulco Regnum Jerosolymitanum adeptus est.

Digitized by Google

torum, FULCONEM Andegavensem, qui uxore carebat. Idem autem Fulco Comes iturus Jerosolymam in festo Pentecostes venit Turonim, ut ei Archiepiscopus sacræ Crucis signum pro more tantæ peregrinationis imponeret: quo facto eum post Missarum sollemnia commilitones & participes mensæ suæ præstolaretur, ad fenestras aulæ quæ majus Monasterium respiciebant, cum duobus Presbyteris se se comitaturis stabat, nescio quid secretum confabulans: cùm ecce respiciens videt pinnam Majoris-monasterij flammis nimiis ita succensam, ac si funditus combureretur. Quo visu exterritus est. En, inquit, Majus-monasterium incendio concrematur. Videtis, ait, qualiter flamma jam in superioribus dominatur. Videntes autem Presbyteri condolent pariter & mirantur. Nec mora vocatos de militibus suis nonnullos concito cursu jubet ire illò, & sibi renuntiare quid ibi fieret. Ascensis equis illi properant, Majus-monasterium veniunt. Inquirunt de igne, nec etiam mentionem reperiunt. Comes illos præstolatur: quibus regressis nihilque tale se vel vidisse vel audisse renuntiantibus, sollicitus Comes cum Presbyteris suis de visione tractabat. Cui unus eorum: Domine, ait, digna satis visio pro negotio quod cœpistis, pro solemnitate præsenti, pro loci reverentia, in quo apparuit, vobis Divinitus ostensa est. Nam & vos Spiritu sancto inspirante Dominicum signum vobis hodie imposuistis, & ipse Spiritus sanctus hodierna die super Apostolos in igne descendit, & locus Majoris-monasterij dignus, in quo idem se demonstret descendere, quem tamen Conventus eodem spiritu inflammatus cohabitat. Placuit viro illustri digna dignæ visionis interpretatio, nec moratus in crastino eò venit, visionem Conventui refert, Fratrem se & participem beneficij rogat effici; locum illum & ejus incolas cum digna reverentia deinceps habuit.

Visu tantùm Fulco intuetur Majus-monasterium concremari.

Quid præsagiret visio patefacit Presbyter.

12. Ipse verò cum maximis copiis mare transiens, filiæ Regis matrimonio copulatus, Rex Jerusalem effectus est. Olim quippe Magnates Francorum monitu UR-

Digitized by Google

BANI Papæ Syriam, Mesopotamiam, Palæstinámque subjugaverunt, & Ducem GODEFREDUM in Regem elegerunt. Qui anno uno in Regno Jerosolymorum expleto XV. K. Augusti obiit. Decretum est ab omni Jerosolymorum populo, BALDUINUM fratrem ejus Comitem Rages cum omni terra sua cuidam propinquo suo Comiti Balduino de Monte-Henno regendam & custodiendam committere. Ipse verò Rex efficitur. Igitur annis in Regno Jerosolymorum decem & octo exactis, eo die, quo Pascha Floridum celebrans populus Jerosolymorum, solemnem processionem ageret; eum in villa, quæ Laris Jerusalem dicitur, defunctum, & lecticâ die prædicto Jerusalem allatum, Regia ambitione in Golgotha juxta germanum suum, Regem videlicet GODEFREDUM sepelierunt.

Obit Fulco Rex Jerosol.

13. Deinde Jerosolymitæ inito salubri consilio, alium BALDUINUM Consulem Rages Divinâ providentiâ Jerosolymis gratiâ colloquendi cum Rege cognato suo tunc profectum, illicò sibi Regem creaverunt. Ita cui colloqui morte prævento non potuit, communi electione eo sepulto in Regnum successit. Ipso quidem electus die ab omnibus, sequenti verò Dominici Paschæ die Regali unctione consecratus; videlicet præcaventes nè dilatione vel aliquid ab hostibus contra præsumeretur audaciùs, vel ab ipsis Christianis ambitione instigante maligniùs novaretur. Iste BALDUINUS carens filiis, ex uxore sua filias genuit, quarum primogenitam Andegavensis Fulco, aliam BUAMUNDUS juvenis Princeps Antiochianus habuit uxorem, ex qua genuit filiam quam optimus RAIMUNDUS frater Comitis Pictavorum cum Antiocheno Principatu duxit uxorem: BUAMUNDUS filius ROBERTI Wischardi ex Constantia Philippi Regis Francorum filia, istum genuit Buamundum, qui Damascenis occisus est. Mortuo BALDUINO Rege FULCO Jerusalem Regnum viriliter rexit. Damascenos, Ascalonitásque sibi tributarios effecit. Denique antequàm RAIMUNDUS filiam Buamundi duceret, Antiochenum Principatum maximo labore contra Turcos absque ullo

Balduinus ejus cognatus Rex eligitur.

Digitized by Google

damno manu tenuit. Qui ex uxore sua duos filios BALDUINUM & ALMARICUM genuit. Ipse verò cùm ad senilem perveniſſet ætatem, vir bellicoſus obiit, ſepultúſque eſt cum aliis Regibus in Golgotha, cujus filium BALDUINUM Jeroſolymitæ Regem ſibi conſtituunt.

CAPUT XIV.

De GOFFRIDO *Comite.*

1. ET factum eſt dum GOFRIDUS, filius FULCONIS Regis Jeruſalem terram ſuam in pace regeret, monitu impiorum HELIAS frater ejus Cenomanicum exigens Conſulatum, ipſum fratrem ſæpe impugnabat. Quem captum Gofridus multis diebus Turonis incarceratum tenuit: ſed poſtea inde liberatus, gravi morbo à carcere contracto juvenis obiit. Semper potentes fratres malè concordes, nimiáque cupidine cæci, res ſuas in medio tenere nolentes, inter ſe diſſident, & cùm ſuas vires miſcere juvat, pereunt. Fuit autem GOFRIDUS probitate admirabilis, juſtitiæ inſignis, militiæ actibus deditus, optimè litteratus, inter Clericos & Laicos facundiſſimus, ferè omnibus bonis moribus repletus: & quamvis multas tribulationes à ſuis ſit perpeſſus, tamen ab omnibus eſt dilectus, quod in acquiſitu Ducatus Normanniæ comprobatum eſt.

Goffridi Comitis encomium.

Normanniæ Ducatum acquiſivit.

1137. Henricus Angliæ Rex moritur.

2. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, regni verò ſui trigeſimo quinto, HENRICUS Rex Angliæ obiit juxta Rotomagum, in loco qui Leons vocatur, ante Natale Domini, cujus corpus delatum & ſepultum eſt in Anglia. Quo mortuo STEPHANUS Comes, frater Comitis THEOBALDI, nepos defuncti Regis, die Natalis Domini coronatus eſt in Anglia, Normanniam in ſuo dominio retinens. Secundo anno ſiccitas permaxima fuit à Martio uſque Septembris, quo tempore GOFRIDUS Comes coadunatis maximis copiis militum & peditum, adjuvantibus ſibi Baronibus ſuis cunctis, Normanniam intravit, eám-

Digitized by Google

que totam adquisitam tenuit, excepto oppido quod dicitur Gisors, quod Regi Francorum Lodovico ne sibi noceret concessit. Sic verò Dux Normannorum effectus est. Quo autem labore quantáque curâ Muteriolum Bernardi obsessum hieme & æstate, víxque etiam anno peracto captum deleverit, quantámque miseridiam in Guiraudo Berlai & filio suo exercuerit, omnibus notum est. Ut ait Boëthius: Quid dignum stolidis mentibus imprecer, nisi ut opes & honores ambiant. Ita tamen ut cùm falsa bona pepererint, illis omissis ad cognitionem veri boni festinanter perveniant. Godefridus autem quodam tempore dum à colloquio Regis Francorum in confinio Normanniæ & Franciæ facto rediret, nimio calore ipso urgente, balneo cujusdam fluvij usus, febri peracuta occupatus apud castrum Leidij venit, ibíque non sine dolore & luctu suorum interiit, corpúsque ipsius Cenomaniam delatum est. Cujus mausoleum tanti viri dignum & epitaphio compositum honorificè extat. Quid mirum si mors quidem adversante & repugnante natura, Godefrido adhuc adolescenti contigit, cùm teste Tullio adolescentes sæpe sic mori videantur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, & quasi poma ex arboribus cruda si sint, vi avellantur, si matura & cocta, decidant. Sic vitam adolescentibus vis auferet, senibus maturitas. Iste ex Meltide uxore sua tres filios genuerat, Henricum, Gofridum, Willelmum, pueros speciosos, & à patris & avorum probitate non degenerantes, quod nunc * eorum operibus comprobatur.

Gofridus occupata Normannia obiit.

Mathilde.

* Nota ætatem Auctoris.

3. Hactenus mihi videtur sufficienter dictum esse de gestis & actibus Andegavorum Consulum. Si qua præterea sunt, credo autem multa esse, ab his, si vobis videtur, qui ista meliùs sciunt quæritote. Hæc ego dum in voluminibus abditis inveniissem scripta, non sum perpessus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur dominorum nostrorum Andegavorum Consulum sicut gesta eorum agnovi, conscripsi, & ad ædificationem & imitationem, moderni ut inde valeant fructum invenire.

Digitized by Google

Hoc juramentum in fine codicis extabat.

Juramentum Decani & Canonicorum Ecclesiæ sancti Laudi.

EGo N. Juro & fideliter promitto honorem, utilitatem, jura & libertates & consuetudines Ecclesiæ, sancti Laudi, & honorem & utilitatem & jura, consilium Domini Comitis Andegavensis, Comitissæ ac liberorum eorumdem pro posse meo fideliter observare. Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti. Juro insuper statuta antiqua à Capitulo facta & etiam facienda consensu omnium Canonicorum in Capitulo generali.

Digitized by Google

LIBER

DE COMPOSITIONE CASTRI Ambasiæ, & ipsius dominorum gestis.

PROLOGVS.

SÆPENUMERO postulavisti ut Ambasiensium dominorum progenies litteris tibi significaretur; quo tempore, à quibus Consulibus in hac terra virtute meritorum susceptí sunt. Pareo libens, sed antequàm istud aggrediar, de compositione castri Ambasiaci oppidi, ea quæ quibusdam scriptis reperi, & quæ gesta testantur, breviter aperiam.

CAPUT I.

1. IULIUM CÆSAREM ad Gallias subjugandas festinantem, Alpibus transgressis Allobroges pacificè susceperunt. Quæ verò nunc Moriana & regio omnis ab Alpibus usque ad Ararim fluvium, antiquitus Allobrogia * vocabatur, quæ etiam jam Romanis tributaria erat. Veniens itaque CÆSAR ad urbem Lugdunensem *, sitam ubi Arar à Rodano rapitur, Scena Viennensi Principe fideli amicitia sibi fœderato, cujus consilio & prudentia Rodanusia gens ei subjecta fuit, inde usque ad ripas Ligeris velociter descendit. Eo siquidem tempore nulla aut pernimium pauca oppida inveniebantur; solæ enim urbes turribus & muris munitæ erant. Qui se de genere Romanorum esse jactant teste Lucano qui ait:

Arvernique ausi latio se fingere fratres.

Arverni urbem suam, séque ipsos Cæsari tradiderunt.

* *Fabula mera.*

* *Lugdunū nondū conditum erat.*

Digitized by Google

Nivernensi urbe capta Cæsar secus ripas Ligeris equitans in quodam monte oppidum firmavit, ibíque simulacra omnium Idolorum suorum quæ secum gerebat posuit, quod oppidum Romani *Sacrum-Cæsaris* * vocaverunt. Posthæc relicta urbe Biturica, quam maximo labore acquisierat, Turonicas partes aggreditur: audiens autem Turonicam urbem turribus, muris & aliis machinis clausam, frequentiáque Occidentalium gentium valde munitam, XII. milliario à civitate in fine cujusdam montis castra posuit. Cùm verò hiems proxima adesset, considerans locum ad muniendum aptissimum, ubi & exercitus securè hiemare posset, fossatum à fluvio Ligeris usque ad fluviolum qui ab indigenis illorum locorum Amatissa nuncupatur, fecit. Liger à Septentrionali parte montis præterluit, Amatissa verò à meridie montem perpetuò lambens duplici parte oppidum interluit, ab occiduo Ligerim intrans nomen suum amittit, cujus ripæ nemoribus vestiebantur, & in concavis arundinibus concentus avium dulcè resonans, & in scirpis enodibus nidorum strues tunc fructificaverat. Sanè licèt à principio sui paliuri solo & pinguedine bibuli linii algosíque littoris coalescat, tamen quia algidis fontibus eum utraque parte ambientibus stipatur, ab incolis sæpe inter fructices philomelam diluculo sibilantem audientibus, & cicadas meridie concrepantes, quod volupe est auribus insonare, ranásque crepusculo incumbente blaterantes, diligenter habitatur. Hic quidem ab amœnitate locorum nomen accepit.

* *Sancerre.*

Descriptio loci in quo sita est Ambasia.

Hæc leguntur in Gestis Episcoporum Turon. post hist. Greg. Turon. p. 3. sive 81.

2. In eminentiori parte montis, in loco qui Mons-rotundus usque hodie vocatur, CÆSAR domum ligneam magno artificio construxit, juxta quam aulam lapideam conditor admovit, extra quam conclave solidum in cono cacuminatum crypticis arcubus calcabili silice constructum * usui hominum fabrefactum, sæpe ignis subtus in arcto camino animatus & succensus nudos intus sudare compellit: molem verò ibi in modum turris ex lapidibus politissimis ædificavit, desuper verò Martis simulacrum miræ magnitudinis posuit, super illud idolum thronum

Fabula.

* conflatũ.

levigati

Digitized by Google

levigati cœmenti admovit. In facie parietum depingitur quomodo Phriges à Græcis, Numidæ à Romanis, Spartiatæ ab Alexandro devicti sunt. Quæ historia sicut artem ornat, sic artificem venustat.

3. Varenna à meridie ultra prædictum fluviolum quadrat, in qua aqua à fontibus Amatissæ sumpta per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat. Ibi ardua sylva pertruncatur, & in ora fornacis lapsu velut spontaneo impingitur : pontem etiam ligneum magnæ latitudinis & firmitatis ad transeundum ligeris alveum fabricavit, ibíque amœna planities erat, quæ culta innumeros quoque cumulos agrestibus fructuum sæpe in horrea dabat, ubi & pinguis pastor densum pecus gravibus uberibus in mulctra per olida claustra caularum includebat ; quam fluvius à Septentrione abluit, ipsámque planitiem infusam facit cum amœnitate pratorum, & pascuis uberrimis, jucundus armentalem copiam tauroſque reboantes nutrit. Is sanè circa principia sui in ripis voraginosus & limosus, in medio verò arenosus limíque bibuli pinguedo potantium labra dissecat, & quamvis vada habeat commoda, tamen aridítate sui vadantium decoquit crura, & cùm tardè fluat invectus alteri fluvio non longè ab urbe Turonica Ligeris alveum intrat, qui licet pictus in pratis, pecorosus in pascuis, in pastoribus peculiosus, sic tamen est humanæ naturæ prorsus contrarius, ut cùm ejus unda glareosa plus sitim attrahat quàm depellat, incolæ locorum ab effectu Siceram nuncupaverint. Super hunc Cæsar cùm non esset navigabilis pontem pervium extendit ut ad copiam nemorum, quæ ultra ipsum erat, populus liberè pergeret: hujus arrundinosus frutex frequenter lemborum superlabentium ponderibus inflexus perfunditur, cùm piscatores rapacissimi plumerata * retia rarò herbosis littoribus extendunt, ipsíque hamati nocturnis excursibus piscibus insidias conficiunt: in hoc piscis pisce decipitur, cujus paludosa amaritudo alnorum salicúmque glaucarum viriditate fota, sæpe piscibus pauperatur ; nempe in

Varenna ultra Ligerim.

Unde nomẽ Siceræ fluvij.

Pons super Siceram à Cæsare factus.

Sic Gesta Episcop. Turon. ut suprà. al. * plumbata.

Domus equorũ Regiorum.

Digitized by Google

latere montis, qui fluvio adjacet, lapidea fænilia ad equos Regios nutriendos Cæsar construxit.

4. Quoniam verò ibi nemorum permaxima copia erat, naves Ligeris alveo habiles ibidem fabricare præcepit, quibus militum sarcinas & necessaria suo exercitui in Andegaviam & Armoricam regionem deferret, quæ nunc Britannia, olim Armorica Gallia vocabatur, villam etiam ad manendum fabricatores navium aptatores & equorum composuit, quas Romani navicellas, quasi cellam & habitaculum navium nominaverunt. Lucum etiam maximum, qui ab Aquilone villam claudit, Aquilonarium dixerunt, & tam villa quàm lucus usque hodie nomen suum retinent.

Naves ad deferenda exercitui necessaria fabricatur.

Navicella. *Gallicè naceile.*

5. Cùm autem Liger crescens prata planitiémque tetigit, concentum septiforis fistulæ armentalémque camenam, quam sæpe Tityri illorum montium nocturnis carminum certaminibus insomnes exercent, inter greges tintinnabulatos per depasta buxeta reboantes audire in Aquilonario nemore placebit. Igitur navibus alveo Ligeris impositis exercitus Cæsaris æstate inchoante ab Ambaquis recedens Andegaviam Armoricámque ingressus est regionem, urbe Turonica & Cenomanica partim fœdere, partim metu acquisita, singulis annis Julius Cæsar æstate equitabat, hieme verò Ambaquis hiemabat, unde scripta pluribus locis hiemalia Cæsaris Ambaquis esse testantur: dum Cæsar in inferioribus Aquitaniæ partibus circa Oceanum mare moraretur, Dunicius unus ex Ducibus Germaniæ, qui Sequanæ genti præerat, vir magnus, Romanis infestus cum copioso exercitu in finibus Germaniæ manens, Cenomanicam, Turonicam, Neustriam, quæ nunc Normannia dicitur, sæpe impugnabat, qui oppidum à suo nomine castrum Duni nominatum construxit, omnis terra à fluvio Ligeris usque Coloniam olim Germania vocabatur, quæ nunc in Franciam, Flandriam, Burgundiam, Lotharingiam dividitur.

Cæsar Ambaquis hyemat.

Dunicius Dux ex Germania Cæsari infestus & Romanis.

Castrũ Duni à quo constructũ

Quæ terra olim dicebatur Germania.

6. In diebus illis Cotta vir Tribuniciæ potestatis relictus à Cæsare ut gentes subactas tueretur, qui Bitu-

Digitized by Google

riæ, Niverniæ, Alverniæque genti sub Cæsare princi- Cotta relictus à Cæsare ut subacta tueretur.
pabatur, inter Cicciam & nemora prope planitiem, quæ vulgo Belsia dicitur, castra fixit. Germani ut erant edocti, insidiis clandestinis competenter in nemore locatis, qualiter Cottanis nocere potuissent machinati sunt; primo diluculo ordinatis agminibus suis in hostes audacter procedunt, & animosè exclamantes certamen ineunt, validissimos incursus faciunt, gyrantésque eos circumvallare nituntur, gladiis ipsos conantur sternere, tandem multis pereuntibus alios in fugam vertunt, si qui potuerunt in silvis latitare sive effugere viventes evasêre, alii letali sorte occubuere. Plurimi cum suo COTTA evaserunt, & Ambaquis redierunt, & hi qui Martem iratum sustinuerunt, à bile & Marte Nemus Blimartium nominaverunt, occurrunt sui Cæsari cum victoria revertenti, de ipsius sospitate & prosperitate congratulantur, & de Cottæ successibus referunt. Cæsar ut erat dissimulator maximus, se iratum dissimulat, irámque in tempus reservat, plurimáque minatur; nam quamvis fortuna Cæsari nimis faveret, tamen in partes ejus sæpe aliquid ausa est: subjugata enim Germania Frisones ipsum super Rhenum fluvium fugaverunt teste Lucano qui ait:

Cotta cum suis à Germanis devictus.

Cotta devictus revertitur Ambaquiam.

Frisones Cæsarē fugaverunt.

Dant animos Rheni gelidis quos frangit ab undis.

Narrant etiam gesta, quòd Cæsar præparatâ pulcherrimâ classe, in Britanniam, quæ nunc Anglia vocatur, applicuit.

7. Volens ergo urbem Trinobantum, quæ nunc Londinia dicitur, obsidere, naves onerarias in portu maris relinquens, triremes & rostratas per Tamisim fluvium ducens, super palos plumbatos à Britonibus fixos navigium ejus submergitur. Ipse verò cum reliquis navigando Neustriam fugit, unde Lucanus:

Cæsar à Britannia fugit.

Oceanúmque vocans incerti stagna profundi,
Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Plurimæ Gallorum urbes, & maximè Edua & Nivernis in Cæsarem insurgunt, prædictúmque Cottam occidunt; Unde idem Auctor.

Cotta occiditur.

Digitized by Google

Nimiúmque rebellis
Nervius & cæsi pollutus sanguine Cottæ.

Quandiu Romani occuparunt terram Ambaquiæ. 289.

8. Oppidum Ambaquis à Julio Cæsare qui quinque annis post obitum Pompeii regnavit, Romani usque ad Diocletianum tenuerunt. Legimus Vespasianum in Gallias usque Ambaquis descendisse, habitóque consilio Principes Gallorum inter se discordantes concordasse, & secundo anno Romam rediisse. Tempore illo quo Diocletianus in Christianos sæviit, Baugaredi* cum Ducibus suis Heliano & Amando Romanum Imperium à Gallia cupientes expellere, Ambaquis cum magno exercitu veniunt, qui civibus Turonicis sibi adjuvando convenientibus*, Romanis qui ibi erant partim occisis, partim fugatis, illud castellum totum excepto idolo Martis & ponte Ligeris funditùs deleverunt: Rusticos tamen in valle circa Ligerim & Amatissam habitare permiserunt. Hi verò cùm desuper manere non auderent, perforato monte, cavatis rupibus habitantes vicum magnum constituerunt. Baugaredi lingua sua nomine prævaricato non ampliùs Ambaquis sed Ambasiam sive Ambasium vocari deinceps jusserunt, sic Ambagium vicus usque ad tempus Valentis fuit.

* Bagaudæ Helianus & Amandus expulerunt Romanos ab Ambaquis. *al.* *concurrentibus.

Multatio nominis Ambasiæ. An. 364.

Constantinus effectus Rex Hispaniæ.

9. Eo tempore vir quidam CONSTANTINUS nomine filius Constantij Senatoris, ortus ex concubina, adjunctus est Baugaudis, & Rex citerioris Hispaniæ effectus: Sedem Regni sui Massiliam & Barcinonam constituit. Iste tenuit terram à monte Jani usque ad montes qui dividunt Hispaniam ab Aquitania, Vasconiam totam usque Garonam, reliquum à Garona usque Lugdunum Bagaudæ tenuerunt. DIOCLETIANUS contra istos Maximianum Herculium misit, qui Thebeam legionem in itinere peremit, qui quidem usu militiæ bellis aptus, tamen specialis idolorum cultor, ferus animo, avaritiâ crudelis, libidini deditus, imperium polluerat. Is positis insidiis genero suo Constantino apud Massiliam captus, & strangulatus impiam vitam digna morte finivit. Hujus dolum filia sua Fausta Constantino marito suo detexit. Cujus etiam mortem beata Lucia jam

Maximianus contra Bagaudas.

Maximianus occisus Massiliæ.

Digitized by Google

à Vespasiano gladio percussa, in Sicilia prædixit his verbis : Annuntio vobis pacem Ecclesiæ datam, Diocletiano de Regno suo ejecto, & Maximiano mortuo. Idem verò post Valerium, qui duobus annis regnavit, Imperator effectus, cùm Gallias circuiret, Turonensibus jussit ut omnes lapides Ambasij ædificij ad muros suos reficiendos per Ligerim deferrent. Volebat namque Bagaudis placere, quos secum Romam duxit, qui Maxentium filium Maximiani Herculii bello victum occiderunt.

Maximiani mors à S Lucia prædicta.

Lapides oppidi Ambasiæ Turonensibus datæ.

10. Bagaudis pacificatis, iterum Gallia diu Romanis subjecta fuit, regnantibus simul Valente & Valentiniano & Gratiano, imperio Romano valde turbato, Maximus à Germanis Rex effectus sedem Regni sui Treviris constituens, Gratianum Ambianis coronatum fugans, Alpes transire coëgit. Hic verò AVITIANUM virum animo ferum, Turonis & aliis vicinis urbibus Comitem constituens, Ambasium vicum ei tribuit, qui in fine montis super rupem ponti eminentem aulam suam constituit. Restringens ergo oppidum, duas motas unam à meridie, alteram ab aquilone erexit, & maximum fossatum ab una usque ad aliam fecit : sciebat enim magnum oppidum Cæsaris sua plebe impleri non posse.

Galli iterum Romanis subjecti.

Maximus Gratianum fugat.

Avitianus iterum Ambasium ædificat.

11. In diebus illis beatus MARTINUS Ambasiacum adhuc gentilitatis errori subjectum, ad fidem Christi convertit, MARCELLO Presbytero ibidem constituto ut Martem destrueret præcepit. Iterum cùm diu pòst Diœcesim visitaret, idolúmque integrum reperiret, in Ecclesia ante palatium Avitiani orans, concusso monte orta tempestate idolum cum ædificio in pulverem redegit, quod in libro miraculorum ejus legitur ita : In Ambasiensi vico in veteri castello &c. Vetus castellum dicitur à loco, qui Porta lupæ dicitur, usque ad motas Avitiani quod Novum castellum nuncupatur. Refert etiam fama juxta hoc oppidum templum antiquum fuisse, & pinum Dianæ dedicatam, quam Antistes loci & multitudo rusticorum in loco, qui nunc dicitur Verrina, degentium, cùm eam vir sanctus excidere vellet, succidi

S. Martinus ad fidem Christi convertit Ambasiam.

Idolum in lacrum redegit.

Aliud miraculum.

Digitized by Google

non patiebantur: quod miraculum cùm in eodem libro legatur, scriptórque nomen loci non referat, tamen antiquitas hoc ibidem factum esse affirmat. Maximè tempore illo Romanum Imperium turbatum gesta referunt: nec mirum: namque hoc exigebant delicta illorum, qui occidendo martyres sævierunt, Imperatores etiam eorum Ariani & ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptisati erant, maximéque Auxentio, Principi illius sectæ favebant, cùm Damasus Papa Catholicus, Martinus, atque Ambrosius eos sœpe corrigerent. Ideo

Arthanarus Valentem devicit.

Arthanarus Rex Gothorum Valentem in Thracia devicit & fugavit, Thraciam, Illyricum, Dalmatiam, Venetiámque Romanis ablatam obtinuit: Scriptum est,

Psal. 118. 3.

& verum est: *Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* Permisit Deus multimodis flagellari Imperium Romanum cum iniquitatibus patrum suorum ipsi impij diu manserunt.

12. Quidam juvenis de Britannia, Mauricius nomine, Treviris ad Maximum venit; cujus monitu & consilio

Maximus factus Rex Britanniæ. *Fabula*

Maximus in Britanniam navigavit, unicámque filiam CAREDOCTI Regis Britanniæ cum regno uxorem duxit. CAREDOCTUS nimis senuerat, Regnumque ejus CONANUS nepos ipsius, filius ducis Cornubiæ gubernabat, quem Maximus timens nè Regnúm sibi turbaret, cum multis Brittonibus secum adduxit Armoricámque Galliam ipsi donavit. Hic post se infinitas copias Britannorum nobilium, ignobilium, cum parvulis & mulieribus venire fecit. Itaque Armoricam totam usque Redonis & Nannetis, expulsis indigenis locorum, suis Brittonibus replevit: sic illam provinciam Romani amiserunt.

Conanus factus Rex Britanniæ parvæ.

Romani Armoricâ amiserunt.

CAPUT II.

De ARTURO.

1. ANNO LXVII. pòst ARTURIUS magnus Rex Britanniæ cum magno exercitu Neustriæ appu-

Digitized by Google

lit, adjunctisque sibi Armoricis Britonibus Parisius obsedit, FULLONEM Romanum ducem singulari duello devictum occidit: quo peracto, indigenæ locorum jugum Romanorum odientes, sponte ARTURIO Regi liberalissimo & piissimo subjecti effecti sunt. Superiores partes Germaniæ usque Cameracum & Turnacum CLODIUS Rex Francorum tempore illo tenebat, qui & Arturi amicissimus sponte factus est. Reges insularum sibi subjectarum Hiberniæ, Irlandiæ, Gotlandiæ, Daciæ, & totius Britanniæ Duces, & Proceres Flandriæ, Burgundiæ, Aquitaniæ Principes congregati, Parisius ad curiam ejus venerunt, eúmque ibi coronaverunt, qui larga munera dedit, Ecclesiæque munificus fuit. Comitia etiam hoc modo divisit, OLDINO Signifero suo Flandriam dedit, Severo Bedicero Pincernæ Neustriam, CHEUDONI Dapifero Andegaviam & Turoniam, SOLFARIO Ensifero Pictaviam & Bituricam provinciam concessit. CHEUDON Comes Andegavis, oppidum quod ex suo nomine Cheudonem dixit, in Turonia construxit, quod nomen diu pòst lingua Francorum prævaricatum Chainon nunc dicitur. Iste cuidam consobrino suo nomine VILLEIO Ambasiacum tribuit, qui Faustam Avitiani neptem, ex filia sua Placida nomine ortam, uxorem duxit. Hic vicum qui Bliriacus dicitur fecit, uxoríque suæ dotem esse constituit. Chainon unde.

2. Solfarius & CHEUDON, qui se nimis diligebant, nemoribus causa venandi in confinio Biturium & Turonorum vico Cheudionacho convenerunt, qui lucus à nomine Cheudonis usque hodie Cheudon vocatur, VILLEIO Ambasiæ domino, terrámquo usque ad rivum, qui Andresius dicitur, tribuerunt. THEODOSIUS nepos Honorij, qui Orientalibus præerat, ferè omnes ultramarinos Reges congregans, ad Honorium cum magno exercitu terra & mari tertio anno rediit, qui infirmus Byzantio remansit. HONORIUS verò LUCIUM Consulem, virum magni nominis, maximo exercitu illo sibi tradito contra Arturium misit, qui Alpibus transgressis cum Arturio prope Augustodunum circa nemo- *Anno.* 408.

Digitized by Google

rosa loca dimicans, multis Regibus à Britonibus peremptis, ipse victus interiit ARTURIUS cum impetu & stultitia Galgani nepotis sui multos ex suis amisit. Nam CALGANUS ipse, OLDINUS, Bedicerus, CHEUDO multique alij interiere. Villeius corpus Cheudonis adduxit, & in loco Religiosorum, qui Regula dicitur, juxta Kainonem sepelivit.

CAPUT III.

CHRONICA DE BLESI.

Fabula.

1. IVOMADUS quidam juvenis de Britannia, secum habens mille viros, à prælio cum Bossone* Carnotensi Consule rediens, locum in Comitatu suo ubi remaneret petiit, qui blandis blæsisque sermonibus eum decipiendo, locum super ripas Ligeris ad libitum impetravit, ubi non villam sed oppidum firmissimum ne à Bossone vel alio eriperetur erexit. Quod cùm diu pòst Bosso aspiceret, iratus ait: Hoc tibi non concessissem si verbum sapientis patris filio dictum memoriter retinuissem:

* Eudone.

Sermones blandos blæsosque vitare memento:
Simplicitas viri fama est, fraus ficta loquendi

Juomadus iram ejus mitigans, supplicando obtestandóque castrum obtulit; sed Bosso ut erat benignus homagium cum jurejurando ab eo suscipiens, castellum illud concessit, & à deceptione Blesim vocavit. Qui de Arturo ampliùs scire voluerit historiam Britonum legat, inveniétque cùm Romam vellet ire, Arturum audisse Mordredum nepotem suum Regem Britanniæ factum uxorem suam nupsisse *: Arturus verò relicto magno apparatu causa eundi Romam facto, in Britanniam navigavit, Mordrandum in Cornubia pugnando superatum occidit: ipse verò graviter vulneratus in insula Avalonis quondam nemore obiit. Et quia sepulcro corpus tanti Regis caruit, à Britonibus adhuc vivere putatur.

* id est, duxisse.

414. 2. Sub eodem ferè tempore ALARICUS Rex Gothorum Romam obtinuit, HONORIUM ab Italia expellens, Constanti-

Digitized by Google

Constantinopolim fugere coëgit. Et hinc Cæsares ferè omnes Constantinopolim transiere. Regnante Marciano THEODORICUS Romæ à Gothis post Alaricum Imperator factus, BOETIUM Papiæ incarceravit: Alpes transiens Burgundiam, Aquitaniam, Hispaniam possedit, qui duobus filiis, TURSOMODO LOCHIO, & ALARICO Regnum divisit. Alaricus Hispaniam habuit, Tursomodus Lochius cetera omnia, Romámque solus obtinuit. Tursomodus Lochius oppidum Lochas à suo cognomine dictum super Endriam fluvium statuit. 450. 524. Origo oppidi Lochensis.

Per idem tempus duæ LUPÆ filii Ambasiæ domini Tursomodo servire nolebant, confisi in auxilio MEROUECHI Regis Francorum, qui Tursomodum in Burgundia à Dispargo oppido sæpe impugnabat, supradictus Billejus ex uxore sua FAUSTA Lupam genuit, quæ mulier prudentissima fuit, quam EUDOXIUS Viceconsul Turonensis uxorem duxit, quæ ipsi duos filios peperit. LUPA viro suo mortuo, filiis Ambasium relinquit, ipsa sibi in veteri castello domum fecit super rupem, quæ à nomine suo adhuc Porta Lupæ dicitur. Ista mulier sapiens, solitariam vitam cupiens, in proprio loco juxta Andresii rivum villam, quæ Villa-Lupa dicitur, fecit, viróque religiosos ibidem posuit, qui Ecclesiam in honore Salvatoris ædificaverunt, quæ ad portam in introitu Ecclesiæ duos filios suos ante se mortuos sepelivit. Villejus. Villa-Lupa unde.

3. Eo autem tempore Huni atrociſſimi Rhenum transnavigantes usque Treviris omnia vastant, Metis urbem succendunt: timore tamen Frãcorum velociter transeuntes, Burgundiam totam vastantes, Aurelianis descendunt, quibus EGIDIUS Patricius Romanorum Dux Parisiorum & TURSOMODUS Rex Gothorum obviaverunt. Ibi orante sancto Aniano orta tempestate lapidum Huni cum ATTILA Rege suo omnino demoliti sunt. MEROUECHUS Tursomodum in Burgundia devictum usque Viennam fugere coëgit, ibíque obiit. ALARICUS * frater ejus ab Hispania rediens, Regnum ipsius arripuit. Veniens itaque ad Lochas castrum à fratre suo olim compositum, prope Monasterium situm in secessu montis super An- Attila Dux. *Fabula.* * Theodòrici Regis Gothorum Nepos.

Digitized by Google

Cœnobiũ. Angeris. gerem fluvium, ubi multi Religiosi sub URSO Abbate degebant. Illud oppidum cuidam proximo & amico suo nomine Silario tribuit. SILARIUS Lupæ & Ambasiensibus multa mala ingerens per se & per Alaricum; oppidum tamen Ambasium nullo modo habere potuit. Iste vir crudelissimus Cœnobium Angeris, cui præerat Ursus Abbas, pene delevit; qui legitur Abbati vi molinum suum abstulisse, sed Divino nutu molinum Silarii scimus maxima voragine submersum fuisse. Fluvius iste ab antiquis Anger, à modernis Endria vocatur.

CAPUT IV.

De CLODOVÆO.

1. MEROUECHUS genuit CHILDERICUM virum pulcrum & probum, sed luxuriosum nimiáque libidine præoccupatum, qui filias Francorum vi opprimens & deludens, expulsus Regno ad BISSINUM * Ducem fugit, Bissinus iste terram suam super Sauconam fluvium, qui alio nomine Arar dicitur, à Tullo usque Lugdunum possidebat. Basina verò uxor Bassini Childericum ardenter, sed tamen latenter amavit. Franci ÆGIDIUM Ducem Romanum Regem eligunt, quem Franci quia more Romanorum cupidus & avarus erat, non diu sustinuerunt, sed consilio GUIDOMARI ipsum à Regno privaverunt. Guidomarus Childerici consiliarius, misso sibi nuntio redire fecit. Recepto ergo Regno cum Ægidio inter Laudunum Clavatum & Remos pugnans, multis copiis Romanorum cæsis, Ægidius fugiens Suessionis evasit. Childericus verò tunc Laudunum Remósque cepit.

* Bassinum Regem Turingorum.

2. Post hoc BASINA uxor Bassini Ducis viro suo relicto, ad Childericum venit, qui eam consilio Francorum duxit uxorem; nempe Franci illam sapientissimam comperientes, monente Guidomaro, quamvis Christiana esset, tamen Regi suo consensêre. Bissino non diu pòst mortuo Childericus terram suam, quæ uxori suæ hereditario jure competebat, reliquit, & ex ea magnum

Digitized by Google

Regem Francorum genuit. Mortuo Ægidio SYAGRIUS filius ejus à Romanis & Gothis Sueſſionis in Regem elevatur. CHILDERICUS eum valde Sueſſionis pugnando devicit, urbéque ſibi reddita, Syagrius ad Alaricum fugit; Rex verò Pariſiacum totámque terram uſque Aurelianis recepit; dum Aurelianis moraretur, à fugitivis ſibi relatum eſt, quòd ADOVAGRIUS filius Ducis Saxoniæ cum multis navibus relicto mari Ligerim intrans, & aſcendendo terram fluvio adjacentem vaſtans, uſque Andegavis venit, eámque obſedit. Igitur Rex congregato magno exercitu ad ſuccurſum urbis illius monitu fugitivorum deſcendit, cui LUPA Ambaſiæ domina obviam venit, qui etiam illi, quia Gothis inimicis ſuis infeſta erat, multa bona promiſit. Urbem Turonicam conſilio Baſinæ uxoris ſuæ, & propter miracula quæ ad ſepulcrum beati Martini fieri frequenter audiebat, licet eſſet Ethnicus, pacificè & ſine damno civium ſuſcepit. Baſina prudentem Lupam ſecum retinens, flens oránſque aſſiduè in Eccleſia beati Martini remanſit.

3. Saxones adventum Regis comperientes, velociter cum Duce ſuo fugiunt, ipſe verò Andegavis venit, urbem cœpit, Paulum Romanum Conſulem ibi inventum ſuſpendit, domum Romanorum quæ ibi erat deſtruit, civitatem, Prætore ad libitum impoſito, munit. Dum rediret Childericus, obviam venit ei Rex Gothorum Alaricus, in inſula Ambaſiæ colloquio adjuncti, fœderati pacificatíque ſunt. In planitie verò inter Bliriacum & Andreſium uterque populus Gothorum & Francorum juſſu Regum duos globos terræ elevaverunt, quos utriuſque Regni fines conſtituerunt. Omnis plana terra à Francis Campania dicitur, & in hac duo globi in teſtimonium fœderis eminent. Poſt hunc ſurrexit CLODOVÆUS Rex magnus, cui CLOTILDIS filia Regis Burgundiæ, mulier Chriſtianiſſima, de genere Anaſtaſii Imperatoris *, matrimonio conjuncta eſt. Hinc dum fleret quia viro gentili conjuncta erat, beatus Remigius ait: lacrimas comprime, credo ſecundùm Apoſtolum quòd vir infidelis per mulierem fidelem ſanctificatus erit.

Clodoveus Clotildem duxit uxorem.

* *Falſa.*

Digitized by Google

Clotildis Regem monet ut fidem Christianam amplectatur.

4. Quodam tempore Frisones, Alemanni, Saxonésque subitò coadunati Regnum ejus invadunt. Videns ergo CLOTILDIS eum anxium & pavidum, Christianitatem quam ei assiduè prædicabat proponit: ille si victor Deo adjuvante redierit, se fieri Christianum promisit. Regina AURELIANUM Regis Consiliarium vocat, monet ut crucem Christi secum deferat, & si viderit adversarios prævalere, signo crucis elevato Regem esse victorem statim affirmet. Ille libens paruit: & cùm hostes prævalerent, jussu Reginæ cruce elevata cum acie sibi tradita occurrit: Alemanni statim perterriti fugiunt. Quo facto, Rex victor, cæsis hostibus, gratias Christo referens rediit. Regina accito sancto Remigio à Rege promissa exigit. REMIGIUS & SOLEMNIS Carnotensis Episcopus Regem duásque sorores ejus, & cum eis plusquàm tria millia virorum baptisaverunt. Rex effectus Catholicus ad Alaricum Regem Gothorum nuntios misit, ut sibi sua gratia fugitivum Ægidij filium redderet, quem sibi redditum timore statim suspendit.

Baptismo initiatur à S. Remigio.

Multas deinde victorias est adeptus.

5. Gothi Ariani illis diebus Fidem Catholicam maculaverant, Ecclesiam Dei exspoliabant, quos Rex pejores Saracenis autumans, monitu Religiosorum Regnum eorum tertio anno post hæc invadit, ALARICUM prope pictavum pugnando occidit: filius ejus AMALRICUS in Hispaniam fugit. Rex Aquitaniam totam, expulsis hæreticis, Catholicis Clericis in Ecclesiis positis, possedit. LUPA migrans sine herede nimis senuerat, quæ Regem in suo reditu convenit, heredem suæ rei facit, Ambasiúmque tradit: quod oppidum deinde usque ad Carolum Calvum Regum Francorum fuit. Lupa verò in prædicta villa sua ad portam Ecclesiæ Salvatoris juxta filios suos in obitu suo sepulta fuit.

Fabula & falsa multa in consequentibus.

6. Qui de genere horum Regum ampliùs scire voluerit, consulat Historiam Francorum, quæ affirmat Priamum quemdam ducem Trojanum urbe capta cum duodecim millibus evasisse, qui in solitudinibus Græciæ profugi incertis sedibus vagabantur: annis viginti pòst expulsi à Græcis, vasta loca inter Pannoniam & Mæo-

Digitized by Google

tides paludes Duce Simonide intraverunt, urbémque nomine Sicambriam ædificaverunt, à qua dicti Sicambri longo tempore fuerunt: qui etiam ibi in gentem magnam creverunt. Alani gens atrociſſima diu poſtea devictis Romanis Græciam Illiricúmque vaſtaverunt: edictum eſt à Romanis, ſi quis Ducum aut Regum eos ab Imperio Romano expelleret, gens illa abſque tributo merito ſuo ſemper maneret. Sicambri hæc audientes cæſos Alanos omnino deleverunt. Romani atticâ linguâ tunc eos Francos, id eſt feroces appellaverunt; diúque à tributo liberi vixerunt.

7. VALENTINIANUS tempore ſuo cùm ceteræ gentes omnes tributa ſolverent, miſit primarium & exactores tributorum, ut à Francis conſueta tributa peterent. Franci qui multis annis liberi à tributo vixerant, nuntios ejus peremerunt. Valentinianus ira nimia ſuccenſus Francos delere cupiens infinitas copias adunavit. Quod cùm audiſſent Franci, conſilio MARCOMIRIS Ducis jam ſenis FARAMUNDUM ipſius filium Regem elevaverunt. Itaque Sicambriam relinquentes, loca vaſta & nemoroſa Teutonicæ regionis ingredientes, lucóſque poſt ſe ſuccidentes, cum parvulis & mulieribus Romanorum gladios evaſerunt. Romani Sicambriam vacuam reperientes, eam funditus deleverunt. Franci per prædicta nemora pedetentim deſcendentes, ſecundo anno Agrippinam urbem ſitam in fine Rheni fluminis ceperunt, ipsámque captam, Romanis inde expulſis amplificantes, Coloniam vocaverunt, quam etiam ſedem Regni ſui conſtituerunt.

8. Legimus Francos antequàm Regem ſibi conſtituiſſent, hos Duces habuiſſe, Priamum qui uſque in loco ubi Sicambria conſtructa fuit ipſos adduxit, Æneam Crinitum, Antenor tertius fuit, poſt hunc Simonides, dehinc Simon, pòſt verò Romano more rem ſuam per Senatores tractantes, abſque Duce diu fuerunt, ad ultimum Marcomiris Dux eorum fuit, cujus conſilio cùm ſenex jam eſſet, Faramundum Regem primum conſtituunt: ſecundus fuit Clodio qui Camera-

Digitized by Google

cum, Turnacum, Burgundiam totam usque Viennam subjugavit. Tertius Merouëchus, quartus Childericus, quintus Clodoveus, Rex magnus Catholicúsque, qui anno decimo Regni sui Brittones ab oppido suo Blesis qui ripas Ligeris inter Turonem & Aurelianum impugnabant, nemoribúsque se occultantes, viatores interimebant, cùm sibi à Saxonia revertenti ostensum esset, festinus descendit, Britonibus fugatis & peremptis Blesim delevit; paulò tamen altiùs in cõpetentiori loco castrum illud restauravit, suósque ibidem posuit, eodémque nomine vocavit; illud nempe diligens, utpote quod multum pulcrum fuerat, nimis exaltavit, qui viginti annis pòst regnavit. Sextus Clotharius, septimus Chilpericus, octavus Clotharius Chilperici filius, qui Ducem Saxoniæ nimis rebellem omnésque illius regionis juvenes sua spathâ longiores occidit: nonus Dagobertus, qui habuit duos filios Sigibertum, Clodoveum; Sigibertus Rex Alemanniæ *, Clodoveus Franciæ fuit. Sigiberto mortuo Grimoaldus Dux, in cujus custodia filium suum quem ex uxore legitima genuerat & Regnum posuerat, filium domini sui Dagobertum nomine totondit, & in Ecclesia sancti Galli Fundensis Cœnobij Monachum fecit. Quo facto statim Grimoaldus filium suum Childebertum Regem Alemanniæ constituit. Sed Clodoveus Sigiberti frater casum nepotis sui molestè ferens, coadunatis Francis Grimaudum præliando captum Parisius in carcere posuit, qui & ibi obiit: Childebertus verò filius ejus Constantinopolim fugit. Cùm autem Dagobertus Monachum exuere nollet, ordinémque suum diligeret, Clodoveus amore sui nepotis Cœnobium illud valde ditavit. Monachi verò Dagobertum Abbatem constituunt. Dagobertus Abbas patrueli suo Clodoveo eunti in expeditione contra Justinianum Imperatorem Constantinopolitanum quinquaginta millia militum adduxit. Si quidem Imperator ille putabat Childebertum in Regno Alemannorum restituere, sed victus & confusus rediit. Eduardus verò à Francis captus occiditur.

Id est Austria heic.

Digitized by Google

9. Sic itaque Clodoveus Rex undecimus utrumque obtinuit. Post hunc non ampliùs Faramundi progenies regnavit, duos tamen filios habuit Theodoricum & Chilpericum: Chilpericus nimis sævus à Bodilone Franco, quem ad stipitem ligatum nimis deturpaverat, ob sævitiam suam occiditur. Ebroïnus dux Major Regiæ domus Theodoricum Regem statuit, cujus sævitiam Franci non ferentes à Regno ejiciunt, qui fugiens Rotomago obiit. Ebroïnus consilio Leodegarij Augustodunensis Episcopi & Gerini fratris sui à Francis capitur, Luxovio monasterio monachus efficitur. Franci Pippino filio Angisili* Ducatum totius Franciæ præbent. Pipinus in Alemanniam pergens, fratrem suum consobrinum Martinum Francis reliquit. Ebroïnus Monasterium egressus Monachum exuit, monitu sancti Audoeni Ducatum arripuit. Martium Laududunо Clavato inclusit, & super vacuas capsas jurans nè sibi malum faceret proditione occidit. Sanctum Leodegarium & Gerinum fratrem suum dira pœna damnavit. Ebroïnus multa mala Francis ingerens, ab Emefredo occiditur, qui Pipino festinus nuntiavit: sic Pipinus Ducatum totius Franciæ in pace rexit; sed putans aliquem de genere Regali adhuc vivere, Rex esse noluit. Quod totum Deus fieri permisit peccato Clodovei filij Dagoberti, qui beati Dionysij brachium abscidit, Regnúmque Francorum divisit. Sed quoniam plures optimi Reges ex genere hujus boni Pippini orti sunt, restat ut series progeniei hujus cognoscatur.

* Ansigisili

CAPUT V.

De CAROLO MAGNO.

1. ANSBERTUS Senator ex Plitilde filia Regis Clotharij, patris Dagoberti, genuit Arnaldum, Arnaldus Arnulfum, Arnulfus genuit tres Flodulfum, qui genuit Martinum, quem Ebroïnus occidit, Galchisum, qui genuit Vandregesilum Abbatem, & Ansegisilum qui genuit Pippinum. Pippinus iste vi-

Digitized by Google

ginti septem annis Ducatum tenens Regnum optimè rexit. Pòst Carolus Martellus Regnum obtinuit, qui per omnia bonus fuit, excepto quòd decimas Ecclesiis primus abstulit. Iste duobus filiis Regnum divisit, Carolomanno Alemanniam dedit, Pipino Franciam; sed Carolomannus anno Ducatus sui quinto, Pipino cuncta relinquens Romam venit, in Soroacte monte in honore sancti Silvestri Ecclesiam statuit. Ipse apud Montem-Cassinum Monachus efficitur.

2. Pipinus verò jussu Zachariæ Papæ in Regem à Bonifacio Archiepiscopo inungitur, qui Haistulfum Regem Longobardorum tenere justitias sancti Petri coëgit. Iste Hunaldum & Vaiferum Duces Aquitanorum cum omni sua progenie ab Aquitania expulit; in qua multos Proceres Francorum hereditavit. Biturix suos misit; Argentomacum castrum fecit, Wandalos à vastatione Africæ revertentes in Almensi pago cum Rege suo annihilavit; cui Gregorius secundus ut defensori Ecclesiæ claves de sacrario sancti Petri tradidit.

Pipinus rex obiit anno 769.

3. Hic genuit illum admirabilem Regem ex Bertrada *Regina Carolum Magnum Imperatorem Romanum, qui Reges Longobardos ab Italia delevit, & omnia jura sua Romanæ Ecclesiæ restituit; Saxones, Danos, Wascones, Vascos, Navarros, Hispanos subjugavit; Græcos, Afros, Persas, Ægyptios tributarios metu sui effecit: cui Isaac Monachus elephantem ab Africa missum Aquisgranis adduxit. Rex verò ex Fastrada Regina duos filios Pipinum & Carolum genuit. Desiderio Rege Longobardorum cum sobole destructo mortuóque, Pipinus Rex Italiæ efficitur; Carolus verò Saxoniæ, Pannoniæ, Sclavoniæ: quorum pater cum ipsis Romæ à Papa & à Senatu cum vexillis honorificè susceptus, acclamatum est, CAROLO MAGNO REGI SALUS & VICTORIA: ibíque celebravit Pascha. Irena Imperatrix Constantinopolitana inter Francos & Græcos per internuntios missos largis donis pacem fecit, Carolo mediante. Et Rex Galatiæ papilionem miræ pulcritudinis ei misit. Fastradâ in Baïoria apud sanctum Albinum sepultâ, Rex

* Bertrada

Carolus Magnus die Natalis Domini ann. 801. Imperator occidentis Romæ acclamatus & coronatus à Papa Leone.

Digitized by Google

Rex Ildegardam * duxit, & ex ea Ludovicum genuit, qui Rex Francorum fuit.

4. Ludovicus Pius filius Caroli Magni ex Herming-garde tres filios genuit, Lotharium à quo Lotharingia nominata est, Pipinum & Ludovicum; ex Judith autem Carolum Calvum Stephanus Papa tertius veniens in Franciam à Ludovico honorificè susceptus est. Paschalis Papa anno septimo Lotharium filium Ludovici Romæ duxit. Tempore Ludovici Pij Saraceni à partibus Hispaniæ emersi Provinciam, Aquitaniam & maximam partem Burgundiæ usque Videliacum * vastaverunt. Geraldus Comes de genere Ludovici Ecclesiam sancti Petri in monte transtulit, & corpus beatæ Mariæ Magdalenæ in Provincia ab Aquis urbe raptum in Ecclesia Videliaco monte sita recepit: ob hoc Rex frequentes munitiones in Avernia fieri præcepit. Namque Romanis, ut gesta testantur, ab hoc Regno partim Gothorum partim Francorum virtute expulsis, ab his, & postremò à Danis & Suevis, qui Normaniam & maximam partem terræ inter Sequanam & Ligerim Francis repulsis tenuerunt, omnes Nobiles hujus Regni exordium habuerunt; Regibus verò Gothorum à Francis pessundatis ac destructis, Franci multos Proceres Gothorum, concordia & pace cum ipsis constituta, sub jugo & dominio suo in Aquitania dominari permiserunt, & per connubia mixti sunt, quod benigni Ludovici tempore maximè factum constat.

al. * Vizeliacum

5. Mortuo Ludovico, quatuor fratres Lotharius, Pipinus, Ludovicus & Carolus Calvus Fontaneos campos multo sanguine Christianorum fœdaverunt; sed Carolus Calvus duobus mortuis cum Ludovico reconciliatus, à Johanne Papa Imperator factus est. Anno decimo septimo Imperij Caroli Calvi, Edulfus Rex effectus West Saxonum, toti Angliæ imperavit. Hic Romam orationis gratia profectus in præsentia Leonis quarti, qui tunc in Episcopatu residebat, totam Angliam sancto Petro & domino Papæ in perpetuum tributariam constituit; ut unaquæque domus Angliæ in tertio anno

In finibus Antissiodorensium quos Icauna amnis rigat 25. Iuil. anno 841.

Digitized by Google

unum denarium argenteum pro tributo daret, quod usque hodie manet; qui in reditu suo Judith filiam Caroli Calvi uxorem accepit, de qua nullum heredem habuit. Post hæc Persæ aliique Saraceni multi Constantinopolim obsederunt, Græciam vastaverunt, ad cujus succursum Carolus Calvus cum magno exercitu pergens Persas devicit, Saracenos fugavit, urbem Regiam cum Regno Græciæ deliberavit. Eo tempore Dani & Suevi, quos Theotisci linguâ suâ Normant, id est Aquilonares homines vocant, emerserunt; nunc in ripas Ligeris, nunc Sequanæ urbes vastantes invehebantur. Carolus à Constantinopoli cum multis Reliquiis rediens, quas diversis Ecclesiis sui Regni posuit, Normannos apud Andegavum obsedit, Salomone Britonum Rege cum exercitu suo adjuvante; sed pecuniâ sibi à Normannis datâ egressum præbuit, & tali siquidem pacto, ut non ampliùs Gallias infestarent: quod nequaquam tenuerunt. Rex prudens Carolus timens infestationes Normannorum frequentes, munitiones in Cenomanensi pago fecit, vicos quosdam in oppida munitissima convertit, & diversos etiam Consules in ea regione constituit; similiter Aquitanorum seditiones providens, & heredum debilitatem animo suo vaticinando revolvens, cuidam nobili viro de Aurelianensi pago nomine Adelando Lochas castrum & duas partes Ambasiaci Annoni cuidam de curia sua donavit. Ea tempestate Elfredus & Johannes Scotus maximam partem Danorum ad fidem Christi convertunt; qui in Angliam & Daciam redierunt.

Dani & Suevi in Galliam irruunt.

Carolus Calvus eos discedere cogit.

Anno 877. 3. Kal. Octob. obiit Carolus Calvus.

6. Mortuo autem Carolo Calvo Dani, qui in infidelitate remanserant, cum Huasten Duce suo Gallias tribus annis infestantes, beati Martini corpus Autisidori Canonicos transferre compulerunt. Pòst quantas Gallorum strages fecerint, quantas urbes regionésque concremaverint, enarrare nolo; sed tamen hæc Divino nutu peccatis Gallorum accidisse puto; verùm diras mortalium calamitates, quas Galliarum incolæ pertulerunt, tragicis & lugubribus carminibus satis alij scripsêre. Isti verò terram Parisius & Aurelianis depopulati sunt adeò,

Iterum Dani in Gallias intrant, eam vastant.

Digitized by Google

ut ubi quondam agri opulentissimi urbesque speciosissimæ fuerant, nunc bestiarum aviúmque vasta habitacula sint, & ubi seges voluptuosa pollebat è contrario

Repetuntur quæ supra.

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

7. Sic super ripas Ligeris omnia vastantes Ambasiaco pervenerunt. Quod oppidum paucis defensoribus repertum citò capientes, totum succenderunt, pontèmque Ligeris diruerunt, Ecclesias, unam quæ erat ultra Ligerim in introitu pontis, & aliam in loco qui Luat dicitur sitam, omninò destruxerunt: qui in planitie prope Ambasium hospitati; locum qui Nigron dicitur multo sanguine innocentium captivorum fœdaverunt, quod ætate Ludovici, Balbi cognomento, qui nihil fecit, actum est; quod stultitia Ambasiensium contigit, qui cum vicinis populis obviam Normannis processerant, putantes eis nocere decepti sunt, qui à Normannis alia incedentibus decepti, castrum proprium amiserunt. Vastatis itaque agris inter Carum & Ligerim destructo etiam lapideo ponte Blisei, cùm ultra non reperirent quod diripere possent, collectis armorum copiis ad urbem Turonicam iter dirigunt. Omnia verò quæ in suburbio civitatis invenire poterant, facta priùs miserabili cæde hominum, demoliti sunt. Porro Turonici trepidare, concurrere, portas obserare, turribus se inserere, propugnacula armorum apparatu munire non cessant. Hostes portas urbis multo turbine quassantes toto nisu ingressum urbis sibi pollicebantur. Tunc Clerici qui ibi aderant juncto sibi debilitatis agmine rapido cursu ad Ecclesiam convolantes clamabant: *Sancte Dei Martine cur tam graviter obdormisti; ostende, quæsumus, pietatem, succurre, fer opem miseris, alioquin & nos peribimus, & civitas nostra redigetur in solitudinem.* Qui ex sepulcro beati Viri rapta cistella, in qua sacratissimi Martini reliquiæ servabantur, illáque cum honore & reverentia efferentes, portæ urbis jam multo hostium turbine quassatæ intulerunt. Tunc verò oppidani, qui paulo ante metu propinquæ mortis exterriti fuerant, mox præsentia tantæ opitulationis animati,

Turronicam urbem obsident, sed meritis S. Martini fugantur.

Digitized by Google

corporis & animi vires resumpserunt, Danis è contrario stupor vehemens incussus est, post stuporem formido & mentis alienatio obrepsit, deinde fugere conati, videres cùm alter impediretur ab altero ac si per glaciem currerent præcipitantes labi: Igitur Oppidani Christum sibi per Martini preces propitium sentientes, eruptione facta persecuti sunt inimicos, ex quibus ferè millia interfecerunt. Sic glorificantes Dei manum, qui eis inopinatam victoriæ palmam dederat, Reliquias beati Martini in locum suum restituerunt.

8. Regnante Carolo Stulto filio Ludovici, qui nihil fecit, Franci Odonem filium Roberti Ducis Regem elevaverunt, qui regnavit decem annis: post cujus obitum Robertus Abbas Sancti Martini ejus frater elevatur in Regem, qui regnavit anno uno, & occisus est à Carolo Stulto in prælio.

9. Mortuo Odone Rege qui decem annis regnavit: in septimo anno post ejus obitum à Berich & Bathet Normannis civitas Turonis succensa est, Ecclesiáque beati Martini cum toto castro, atque cum viginti octo Ecclesiis. Quo tempore Rollo Normanorum Dux Carnotum obsedit, qui cùm Gentilis adhuc esset, visâ camisiâ beatæ MARIÆ, quam Carolus Calvus à Bysantio attulerat, à Carnoto fugatus est. Rollone effecto Christiano, Carolus Stultus dedit ei Normanniam cum filia sua Gisla, qui pedem Caroli stulti noluit deosculari nisi ad os suum levaret. Carolo stulto vivente Rodulfus filius Richardi Ducis Burgundiæ à Francis Rex constitutus est consilio Hugonis Magni filii Roberti Regis, qui quindecim annis regnavit. Carolus stultus genuit Ludovicum ultramarinum. Iste Ludovicus Regnum Lotharingense *Ottoni* & *Henrico filiis Hugonis Magni* dedit. Otho Alpes transiens, Rex Italiæ efficitur, post verò Alemanniæ. Ludovicus ultramarinus genuit Lotharium, Lotharius Ludovicum.

Falsa heic & in sequentibus plura.

10. Quo tempore proles Pipini & Caroli Magni finem habuit: nam Franci elegerunt Hugonem Capet, qui de eorumdem cognatione fuit. Robertus Rex frater

Franci elegerunt Hugonem Capet.

Digitized by Google

Odonis Regis genuit Hugonem Magnum, Hugo Magnus tres filios genuit, Othonem, Henricum, Hugonem Capet. Otho Rex Alemanniæ & Italiæ fuit, Henricus Dux Lotharingiæ, Hugo Capet Rex Franciæ, cujus pater Hugo Magnus posteas Abbas Sancti Martini effectus est. Hugo Capet genuit Robertum virum magnæ Sanctitatis, qui annis xxx. regnavit: in Aureliana urbe Ecclesiam beati Aniani construxit. Robertus genuit Henricum qui xxix. annis regnavit. Henricus genuit Philippum, qui Henrico Rege Francorum patre suo mortuo, parvulus remansit, cujus Balduinus Comes Flandriæ tutor fuit; nam ejus amitam, sororem Henrici Regis, uxorem duxerat. Philippus Rex annis xlvii. regnavit, qui obiit anno incarnati Verbi millesimo centesimo septimo: cujus regnum Ludovicus pinguis, aliàs Grossus, filius ejus suscepit, qui uxorem duxit filiam Comitis de Moriana, ex qua genuit Philippum, Robertum & Ludovicum. Quo tempore Johannes de Temporibus fuit armiger Caroli Magni qui vixerat trecentis & sexaginta uno annis.

11. Ludovicus vir fortissimus Regnum in pace tenuit. Ipso vivente Innocentius Papa Philippum filium ejus Remis Regem inunxit, qui puer Parisius de equo cadens obiit, quo mortuo alterum filium Regem Francorum fecit, scilicet Ludovicum Juvenem. Mortuo apud sanctum Jacobum Guillermo Pictavensi Comite, ejus filiam Ludovicus Juvenis uxorem duxit, & Dux Aquitaniæ fuit. Cúmque in celebrandis nuptiis in Aquitania moraretur, pater ejus mortuus est, & apud sanctum Dionysium sepultus anno regni sui xxx. & Incarnationis Verbi millesimo centesimo trigesimo septimo.

12. Lodovicus Juvenis Jerosolymam cum maxima multitudine pergens, in Romania innumeros ex suis amisit, qui fame & gladio perierunt: similiter exercitus Conradi Imperatoris Alemanniæ qui eum præcedebat, periit. Qui cum multis ærumnis Jerosolymam cum multis pervenerunt. Quod infortunium contigit anno incarnati Verbi millesimo centesimo quadragesimo septi-

Digitized by Google

mo. Via tamen hujus peregrinationis Eugenio Papa movente, & Bernardo viro religiosissimo Clarevallensium Abbate prædicante, incepta fuit; si quidem illis diebus Raimundus frater Guillelmi Comitis Pictavorum Principatum Antiochiæ possidebat, qui neptem suam Alienordam cum viro suo Rege Ludovico honorificè suscepit & servivit. De quibus plura loqui pertimesco, quoniam iter eorum gentibus fuit lætitia, Christianis irrisio & pœna, & tamen deinceps desidibus & pigris incitamentum fuerit; denique illorum superbientium ignaviam imperitámque jactantiam obmitto, posteris exemplum, seriésque retrò longa & prolixa fastidium generaret. Quod infortunium ob consuetam arrogantiam Francorum reor eveniſſe: quære alibi, quia ad alia festino, & de Regibus Francorum multi ante me sufficienter scripserunt, nè à gemino ovo deridendo dicar incepisse, de his prædicta tibi sufficiant.

CAPUT VI.

CHRONICA *de gestis Consulum Andegavorum.*

PROLOGUS.

QUoniam in antè expositis de Regibus Francorum, quæ huic Operi præcedenti maximéque sequenti necessaria esse puto, explanavi, nunc de Consulibus Andegavorum quæ scripta nimis confusè rudíque sermone reperi, quàm verissimè potero paucis verbis breviter & commodè enucleabo. Nam cùm vita nostra brevis sit, memoriam eorum quàm maximè longam efficere debemus, quorum virtus clara & æterna habetur. Cùm verò militaris gloria ad summum apicem virtute animi & corporis procedat, antiquorum prudentia urbiúmque regimina bonorum ad quodcumque optimum transferre consuevit.

Digitized by Google

Igitur tempore Caroli Calvi* complures novi atque ignobiles bono & honesto nobilibus potiores, clari & magni effecti sunt: quos enim appetentes gloriæ militaris adspiciebat, periculis se objectare, & fortunam tentare per eos non dubitabat. Erant enim illis diebus homines veteris prosapiæ multarúmque propaginum *, qui acta majorum suorum non sua ostendebant; qui cùm ad aliquod grave officium mittebantur, aliquem è populo monitorem sui officii sumebant; quibus cùm Rex aliis imperare jussisset, ipsi sibi alium Imperatorem poscebant. Ideo ex illo globo nobilitatis paucos secum Rex Carolus habebat: novis militaria dona & hereditates pluribus laboribus acquisitas benignè præbebat. Ex quo genere fuit Tortulus à quo Andegavorum Consulum progenies sumpsit exordium vir doctus hostem ferire, humi requiescere, inopiam & laborem tolerare, hiemem & æstatem juxta pati, nihil præter turpem famam metuere. Hæc ergo & similia faciendo nobilitatem sibi & suo generi peperisse refertur. De cujus patre quod sufficiat loquamur. Obsecro autem eos qui lecturi sunt ut fidem dictis adhibeant, neque me scripsisse falsà arbitrentur.

* *Eadem prorsus verba videbis supra p. 408 in fine velut & sequentia (ubi de Consulibus Andegav. agitur) quæ omisimus.*

* *al.* imaginum.

CAPUT VII.

De TORQUATO *sive* TORTULFO.

FUit vir quidam de armorica Gallia nomine Torquatus, &c. *ut suprà, pag. 408. cap. 1.*

Digitized by Google

GESTA
AMBASIENSIUM DOMINORUM.
PROLOGVS.

Ætas Auctoris hîc innuitur.

1. OLim tibi, dilecte mi, quod quæris scribere concupiscebam, sed nunc quidem maximè compellor cùm casus SULPICII & filiorum suorum me angit, nec dissimulare possum quin angat. Namque hic quoque cumulus nostris malis accedit, quòd protervia Comitis THEOBALDI Blesis ipsos ad colloquium vocantis pessima & insidiosa proditione cepit, & incarceratos inhonestè tractavit. Scribendi etiam ista permaxima causa est, quia SULPICIUS fidelium consilia despiciens, extraneísque servis pernimiùm credens, fortunæ ludibrium per omnia fuit. Nam suggestionibus pessimorum credens, facillimè dilapsus est: qui si ita Divinis eloquiis prudentium acquiescceret, ad summa ut cæperat facilè totus erigeretur: nec mirum quia bonæ arboris est bonos & suaves fructus afferre; in malæ verò arboris fructibus, nulla bonitas nulla prorsus suavitas reperitur. Discordiæ enim & superbiæ vitio congregata disgregantur, & disgregata destituuntur: sic è converso concordiæ & humilitatis virtute disgregata congregantur, & congregata honestissimè constituuntur; injusta enim & inhonesta petentibus nullus tribuendus est assensus, sed justa & idonea petentibus nulla petitio deneganda est; unde quidam sapiens ait:

Est velut insolitum quæ sunt mala recta referre.
Sic ea quæ bona sunt non mala ferre solent.
Vixerit aut numquam referat quod recta malignus;
Difficiliſque bonus quæ mala ferre solent.

2. Quapropter omnes nobiles probíque malignorum consortia vitare debent, nempe eorum maligno consilio

Igitur

Digitized by Google

Sulpicius proh dolor! cecidit. Sed hæc hactenus. Nunc quidem de genere ipsius quæ quibusdam scriptis reperi, & antiquorum relatione didici tibi enucleare tentabo, qui Ambasiensium dominorum progeniem scire desideras.

CAPUT I.

De Hugone.

1. IGitur regnante Lothario filio Ludovici Ultramarini, in curia Hugonis Capet Ducis* Francorum fuit vir illustris, dignus agnosci nomine Hugo, filiolus prædicti Ducis ex baptismo, cui Deus arbiter & ratio naturæ ita personam suam cumulaverat, ut ad capessenda militiæ munia suo tempore ferè cunctos excelleret: quibus prædictis additur, quòd Dei munere sibi congruit, cui corporis & animi vigor integer, & quòd armis strenuus, veste & sumptu honesto instructus erat. Electo autem à Francis communi consilio post obitum Lotharii Hugone Capet in Regem, regiæ potestatis dignitas quantum dilectionis & solicitudinis circa filiolum suum Hugonem haberet patenter ostendit. Nam cùm Regnũ suum circuiret, Turonísque descendens Cenomanensibus Consulem imponeret, dedit prædicto Hugoni Lavardinum cum appenditiis ipsius oppidi, multósque feodos in pago illo insuper ei addidit. Qui duxit uxorem nomine Helpes, cui oppidum illud hereditario jure contingebat, ex qua filiam nomine Avelinam genuit.

*Hugonis Magni potiùs.

Hugo Capet Dux Francorũ.

Post obitũ Lotharii Hugo Capet electus à Francis communi consilio in Regem.

2. Multa præclara acta & laudanda in eo viro fuere; nec verò in oculis solummodò extraneorum magnus, sed intus inter suos domíque ceteris præstantior, sermo illius jucundus, præcepta admirabilia, in causis agendis maximus, notitia antiquitatis nimia, & quasi litteratus non solùm domestica sed etiam extranea bella & facta omnia in memoria tenebat; nec verò in armis bellicis utilior quàm in pace auctoritate sermonis erat.

Digitized by Google

3. Iste post obitum HELPES uxoris suæ duxit ODELINAM filiam RADULFI Vicecomitis de Sancta Susanna, qui ei in conjugium Bassogerium oppidum & terram sanctæ Christinæ donavit. Ex hac verò ODELINA genuit LISOIUM, ALIGERIÚMQUE & ALBERICUM, qui multos annos complevit, nec umquam à bono studio & opere eleganti cessavit; nec ut quidam insipientes, qui sua vitia & suam culpam in senectutem transferunt, ætatem illam accusant: sæpe etenim filios suos commonens ut probitati insisterent, illud Poëticum replicabat:

Lucan. *Viribus utendum est quas fecimus: arma tenenti.*
Omnia dat qui justa negat.

4. Cùm verò seneſceret ANCELINAM filiam suam cuidam nobili viro SEHEBRANDO de Meduana cum Lavardino in matrimonium copulavit. Lisoio autem Bassogerium & terram sanctæ Christinæ, quæ matris suæ fuerat, jure hæreditario possidendam tribuit. Ex prædicta Anselina SALOMON ortus est, ex Salomone GUEUMARDUS, qui cùm jam senex esset, duxit uxorem MARIAM sororem ENGOLBAUDI Archiepiscopi, & BARTHOLOMÆI de Vindocino, qui filiam peperit, quam Nevolus de Fracta-Valle duxit uxorem, ex qua heredes Lavardini qui modò sunt exstant. De his ista sufficiant: nunc verò ad Lisoium revertor.

CAPUT II.

De LISOIO *Basogerij.*

1. POST obitum Hugonis Lisoius decus militiæ Cenomanorum cum fratribus suis Basogerio manebat; erat enim vir illustrissimus, genere clarissimus, moribus conspicuus, armis strenuus, cujus corporis vigor animique ferocitas & virtutis præsentia etiam in remotis regionibus fama prædicante insignis habebatur. Illis temporibus FULCO Nerra probus Comes, cujus consuetudo erat *animas Dei* jurare, Andegaviam possidebat. Quidam verò Comes pernimium ju-

Digitized by Google

venis HEBERTUS, cognomento Evigilans-canem, Cenomanicum Consulatum regebat: viri isti probi & militiæ periti erant, avos quorum Rex Francorum ad repellendam versutiam Normannorum in istis regionibus hereditaverat; eo siquidem tempore vir nobilissimus & animosus ODO Campanensis Turonicam urbem, castrum Cainonis, Langiacum, Montemque Basonis, totam etiam terram usque Salmurium quietè ut suam propriam tenebat. Erat enim ODO Consul pernimium possessionibus dives, possidens cum prædictis Blesensem & Carnotensem Comitatum, Briam totam, urbémque Trecarum, totámque Campaniam simul usque Lotharingiam regebat. Nempe ODO de genere Odonis Ducis Burgundiæ, qui in tutelam CAROLI parvi pupilli, filij Ludovici qui nil fecit, electus est. Fuit enim nepos ejus ex illa filia quam HUGO Campanensis duxit uxorem, de quorum moribus pauca aperiam.

2. ODO per omnia similis Catoni integritate vitæ, pauca nisi bonis largiendo gloriam adeptus est; ipse pernicies malorum; constantiáque ipsius valde laudabatur; in eo studium modestiæ, & decoris, & maximæ severitatis erat, non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse bonus quàm videri malebat. Odonis Campaniæ Comitis encomium.

3. At FULCO alter Cæsar, beneficiis, munificentia, mansuetudine, misericordia dando, sublevando egenos, oppressis ignoscendo magnus habebatur; in eo miseris refugium, negotiis amicorum intentus sæpè sua negligebat; qui etiam induxerat laborare, vigilare, nihil denegare quod dono dignum esset: magnum imperium, bellum nullum nisi virtus eniteſcere posset exoptabat. Fulco Andegav. Comes laudatur. *Repetuntur quæ supra in Fulcone.*

4. Quibus temporibus GELDUINUS vir nobilis ex genere Danorum, castro Salmurensi in fidelitatem Blesensis Comitis & omnibus dependentiis ejusdem castri dominabatur. Fulco prædictus Comes Heberto Cenomanensi fideli amicitiæ copula adjuncto, litigiosum

Digitized by Google

certamen pugnandi cum Odone & Gelduino corripuit, cupiens eis Turoniam auferre. Ad hoc ergo pragendum Fulco Comes ut erat hujus rei sagacissimus & bellare fortissimus, quoscumque probos potuit suæ fidelitati adjungere non distulit. Itaque prædictum Lisoium adscivit, invenientsque eum in his quæ deliberaverat consilioſissimum, suis familiarissimis consiliis impertivit. Quod mirum non est, veteri enim proverbio dicitur similis similem sibi quærit, de talibusque Tullius ait, amicitia proborum nisi detestabili scelere dirimi non potest. Consimilis enim sensus existit amoris si aliquem nacti sumus, cujus moribus & naturæ congruimus, ita quòd in eo quasi lumen probitatis aliquod & virtutis prospicere videamur. Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum. Quippe cùm propter virtutem & probitatem, & eos quos numquam vidimus quodammodo diligamus. Denique prædictus Fulco castrum Lochas & Ambasiacum oppidum Lisoio ad custodiendum tradens, ut omnes tam nobiles quàm ignobiles jussibus suis obtemperarent & per omnia ei parerent præcepit. Lisoius ubi naturam domini sui & mores subditorum hostiumque cognovit, ut erat impiger & acri ingenio, multo labore multaque cura, præterea modestissimè Consuli parendo, & sæpè eundo obviam periculis, in tantam claritudinem brevi pervenit, ut suis carus vehementissimè, hostibúsque maximo terrori esset. Quod autem difficillimum est, & prælio strenuus & bonus consilio erat: quorum alterum ex providentia timorem auferre solet, alterum ex audacia aliquid magnum sine consilio aggredi. Suscepto ergo regimine duorum castrorum, Lisoius impiger & irrequietus Blesenses, Calvomontenses, nec non terram sancti Aniani habitantes quotidiana deprædatione & incursione vastabat: & Comes Fulco ei sæpè auxiliabatur.

5. Namque Fulco dominum illius oppidi, quod vulgariter Castellis dicitur, sibi fideli amicitia sociaverat, & per ejus terram Ambasio veniebat. Odo verò Comes in Lotharingia cum Alemannis qui sibi infesti erant, &

Digitized by Google

cum FREDERICO Tullensi Consule, qui eos in terram prædicti Consulis adduxerat, sæpe pugnans, diu his impeditus à Turonia & Blesis aberat. HUGO autem pater ODONIS prope locum antiquitus Vaccaria-Comitissæ dictum, ubi erat Ecclesia ab antiquis in honore beati Martini constructa, in colle Calvimontem composuit. In hoc castello ODO Comes NEVOLUM quemdam militem suum, Blesis verò Burellum ad resistendum LISOIO posuit: aliud etiam oppidum idem pater Odonis super Carum fluvium, ubi erat sancti Aniani Ecclesia ab Eremitis olim habitata, composuit. Quod oppidum cuidam viro probissimo sibique familiarissimo GOFFRIDO juveni Odo donavit.

6. GOFFRIDUS sancti Aniani dominus constitutus, omnes Odoni resistentes viriliter impugnabat. Enimverò Crachaicum, Vilentrastum, Busenchaicum, ceteráque loca munita juxta Endriam sita, Fulconi favebant. Sed istum Goffridum sancti Aniani dominum quidam proditor Arrandus Brustulij, homo tamen suus, Fulconi Consuli tradidit, qui Lochas incarceratus obiit: cujus corpus homines sui sancto Aniano deferentes in latere Ecclesiæ sancti Johannis ab orientali parte sepelierunt. Goffridus S. Aniani carceri traditus obiit.

7. Quo ita peracto, Comes FULCO per prædictum LISOIUM omnes ferè feroces & asperas res agebat; nam eum in amicis habebat, quippe cujus consilium neque inceptum frustra erat: nempe in eo animi magnificentia & ingenij solertia erat, quibus rebus multos ex Andegavensibus familiari amicitia sibi conjunxerat. Fulco proverbialiter celebre esse sciens, nullam moram paratis esse inferendam, propè urbem Turonicam, quam multum esse suam cupiebat, oppidum illud qui Mons Budelli dicitur constituit, & custodibus ad urbem distringendam munivit. ODO verò Comes coadunato maximo exercitu, adjuncto sibi cum omnibus suis copiis GELDUINO Salmuriensi, Montem-budelli obsedit ponens super Ligerim tentoria sua & super fluviolum, qui Chosilium nuncupatur. Illi de munitione viriliter se Montem Budelli obsidet Odo Comes.

Digitized by Google

deffendebant, & auxilium à domino suo Fulcone per nuntios sæpè petebant. FULCO Comes & HEBERTUS congregato exercitu Andegavorum & Cenomanorum ad auxilium suorum festinabant. FULCO autem comperto quòd castrum Salmurienſe omni defensore vacuum reperire poterat, mutato consilio cum omni exercitu suo ex improviso ad Salmurium venit, castrum intravit, turrim & omnes munitiones nullo defendente cepit, & eas ut suas munivit; quo munito exercitum suum ante Cainonem ducens, Vigennæ fluvio ponte de navibus facto transmeato, montémque Basonis obsedit. Quo facto ODO Comes obsidionem Montis Budelli relinquens, Monti-basoni succurrens appropinquavit: sed ingeniosus FULCO ei cedens, usque Lochas secessit simulans fugam, per Ambasium partem sui exercitus Andegaviam redire jussit, maximam partem per Noastrum Losdunum misit. ODO audito nuntio Alemannos in Lotharingia esse, terrámque suam invasisse, per urbem Teuronicam & Rupes-Corbonis Blesis rediit.

Salmurium capit Fulc. Comes Andegav.

Gelduinus Salmurio expulsus.

8. GELDUINUS itaque, sicut prædictum est, Salmurio expulsus, cum Odone Blesensium Comite, pro cujus fidelitate terram suam perdiderat, Blesim venit, & Pontilevi qui ejus fiscus proprius erat mansionem accepit. Denique dum Blesi moraretur, cùm multa in Bria & in Campania pro terra sua perdita Gelduino offerret, ut animosus armísque strenuus omnia illa quæ sibi offerebantur pro nihilo reputans; nolebat enim ab inimicorum suorum qui sibi terram suam abstulerant vicinitate longè fieri, petivit Calvummontem inter Blesim & Ambasiæ castrum situm sibi dari: quod quia quodammodo nihili & indignum tanto viro videbatur, diu repugnans ODO tamen acquievit. GELDUINUS accepto Calvimonte castrum ædificavit, & munivit. Insuper consuetudinem quamdam Blesis, quæ brennagium dicitur, quarteriúmque, Blesis feodum Britonum; ac villam Barolli Odo illi donando accrevit.

Odo Calvimontem & alia illi donavit.

Gelduini genealogia.

9. Genuit autem GELDUINUS filium Gofridum nomine, miræ strenuitatis virum, sapientissimum, quíque

Digitized by Google

quòd pulchritudine etiam puellas pulcherrimas excellebat, Gofridus Puella vocatus refertur. Qui etiam ex eadem uxore GOFRIDO unam ſororem Chanam nomine addidit, quæ nuptui data FRANGALO Fulgeriarum domino, plures filios & filias peperit. Denique GELDUINUS poſt multos labores in extremis annis poſitus, omnia quæ ſibi dederat ODO Comes Bleſenſium, Gofrido filio ſuo relinquens, Pontilevi, qui alodius ejus erat, Abbatiam in honore ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ conſtruxit, & omnia quæ Pontilevi habebat Monachis dedit, exceptis paucis feodis de Curia ſancti Petri, quos filio ſuo retinuit: ibíque GELDUINUS defunctus ipſe & uxor ejus AANORDIS ſepulti ſunt.

Fulco Comes cepit Montem-Baſonis.

10. Poſtquàm nobilis Odo à Carnotenſi & Bleſenſi territorio receſſit, Fulco iterum Montem-baſonis obſedit atque cepit, & GELDUINO Mirebelli ad ſervandum commendavit. Sequenti anno Fulco & HERBERTUS Cenomanorum Comes Turonim obſidere volentes, à Bleſis cupiens ODO ſuccurrere, permaximas copias congregans, uſque ad fluvium Beuvronis venit, illumque tranſivit: prædicti Conſules urbem obſeſſam relinquentes, ac juxta Carum fluvium equitantes, prope villam que Benregium vocatur tentoria ſua poſuere. Feſtinantes autem cum Odone prope Pontilevium pugnantes, ipſum turpiter victum uſque ad prædictum fluvium fugavere. Poſtea ODO in Campaniam quam inimici ſui pernimium impugnabant, citò redit. Erat ſuper Carum fluvium villa quæ Nantolium dicitur, & inter montem & Carum vicus Rabelli nobilis mons proprius Gelduini erat, villa verò de proprio feodo ejuſdem, quæ omnia Fulco Gelduino & ſuis abſtulit. Tunc FULCO in monte qui priùs Gelduini erat oppidum conſtituit, quod Montrichardum nuncupavit, & ROGERIO Diabolerio ad cuſtodiendum tradidit, ne inimici ſui Ambaſio vel Lochas liberè deſcenderent. ROGERIUS iſte oppidum, quod Mons theſauri dicitur, quia de theſauro beati Mauricij erat, ut ſuum proprium poſſidebat. Itaque Bleſenſes & illos de ſancto Aniano à terra Fulconis

Digitized by Google

sæpe repellebat. Succedente paucorum annorum curriculo ODO cum Alemannis in Lotharingia pugnans, graviter vulneratus obiit, cujus honorem & terram totam THEBAUDUS filius ipsius obtinuit: quod Fulco Comes irrequietus comperiens, adunato exercitu suo Langiacum obsidione vallavit & cepit. Quo peracto locutus cum Cainonensibus & ab illis Cainone sibi tradito quievit.

Obiit Odo, cui successit ejus filius Theobaldus.

II. Ipse morbo atque ætate confectus cùm sibi finem vitæ adesse intelligeret, coram amicis & cognatis filium suum GOFRIDUM Martellum jam adultum vocavit; qui Martellus non degenerans à paternis moribus, virtute animi & corporis pollebat, cum quo pater suus hujusmodi verba dicitur habuisse: Quoniam naturam & laborem finem vitæ mihi intelligo facere, moneo ne malis alienos tibi adjungere quàm beneficio meo conjunctos retinere. Non exercitus neque thesauri solummodò præsidia tibi erunt, verùm amici, quos non armis cogere, neque auro sic parare queas, quantum beneficio & amicitia, quibus rebus maximè parantur. Volo ergo consilio Procerum meorum & tuo considerare quid pro multo servitio à LISOIO suscepto sibi possim dare: nam eum uti fidelem & mihi & tibi necessarium retinere cupio.

Goffridus Comes filio optima dat monita.

12. Erat tunc apud Lochas prætor quidam custos arcis nomine ARARDIUS Lisoii amicus, qui consulendo Consuli monuit ut filiam ARCHAMBAUDI de Busenciaco Lisoio daret, & Vernolium Maureacúmque, & ea quæ jure hereditario Ambasiaco possidebat. SULPICIUS beati Martini Thesaurarius, de nobilioribus tam Turonorum quàm Biturensium ortus, ex prædicto Archambaudo fratre suo defuncto unum nepotem & duas neptes habebat, & totam terram quæ fratris sui fuerat manutenebat. Quo intervallo SULPICIUS Ambasiaco in loco, ubi domus fratris prædicti lignea erat, arcem lapideam ad opus neptis sui construxit. Verùm cùm prædictus FULCO quid LISOIO pro tanto servitio recompensare, quid sibi gratum fore debuisset diu præmeditaret

meditaret acquiescens Arardio convenit Sulpicium Thesaurarium, virum sibi amicum, & genere & nobilitate nobilissimum, qui prædictas duas neptes habebat facie satis decoras, genere spectabiles, moribus ingenuis, quarum major natu HERSENDIS vocabatur. Impetravit autem Comes à Sulpicio Thesaurario HERSENDIM LISOIO dari & matrimonio copulari cum turri Ambasiæ lapidea, quam præfatus Sulpicius suis propriis sumptibus extruxerat, & cum omnibus quæ jure turri appendebantur: similiter Vernolium cum omnibus feodis ipsi pertinentibus, domum etiam quam Thesaurarius Lochas jure hereditario possidebat, Maureacúmque Lisoio in hoc conjugio donando addidere. Comes verò jugiferam campaniæ & segrecheriam, quæ ultra Carum fluvium est, ex sua parte Lisoio pro servitio suo tribuit.

Lisoio Hersendim neptem Sulpicii Thesaurarii Fulco Comes dat uxorem.

CAPUT III.

De GOFRIDO MARTELLO.

1. POst hæc FULCO Consul naturæ concessit; cujus honorem GOFRIDUS MARTELLUS filius ejus suscepit, qui vir probus à virtute patris non degenerans (irriquietus enim erat) adunato exercitu suo, adjunctis etiam Britonibus Turonicam urbem obsidione vallavit. Quod comperiens THEOBALDUS Odonis filius, qui sicut pater Andagavenses semper exosos habebat, permaximas copias Francorum Burgundionúmque adducens, urbi obsessæ succurrere disposuit: qui cùm Ligeris litus propter timorem LISOII & Ambasienśium relinquens, juxta fluvium Cari festinaret, GOFRIDUS Martellus Comes furibundus cum suis ei occurrit pugnando juxta villam, quæ sanctus Martinus in Bello vocatur, ipsum devicit, devictum fugavit. LISOIUS autem cum Ambasienśibus Comitem fugientem prosequens, ipsum propè aulam Hatuini cepit, & domino suo Comiti reddidit, qui eum Lochas deduxit. Quo peracto, Turonenses expavefacti Gofrido Martello penè urbem reddiderunt.

Fulco obiit Gofridus Martellus ejus honorē suscipit.

Digitized by Google

2. Iste THEOBALDUS cùm esset in vinculis, & pro eo nullam redemptionem auri & argenti GOFRIDUS Martellus vellet accipere, captivus mori metuens, & semet-ipsum plusquàm sua diligens, anno Incarnati Verbi mil-
1042. lesimo quadragesimo secundo pro sua deliberatione Turoniam GOFRIDO Martello in perpetuum habendam concessit. MARTELLUS itaque Comes Turoniâ quietè susceptâ, Rege Francorum Henrico mediante, factóque homagio pro susceptâ terra THEOBALDO, ipsóque deliberato, res ad concordiam redacta est, & FULCO donaria multa militibus distribui constituit, & quadruvium Ambasiæ quod sub arce erat totum Lisoio concessit, quod proprium usque ad molinum Amatissæ tunc Comitis erat: illa quæ erant à molino usque ad Ecclesiam sancti Dionysii, ipsam Ecclesiam cum totius Parochiæ decima; ut ea quæ uxori suæ hereditario jure erant, LISOIUS propria possidebat.

Fundatio Canonicorum Ambasiensium.

3. In eodem oppido Basilica erat in honore Virginis MARIÆ antiquitus fabricata, in qua supradictus FULCO Comes & SULPICIUS Thesaurarius sex præbendas, impositis totidem Canonicis, olim constituerant, septimum Capiceriumeis præponentes. Illo nempe tempore duo Clerici, ut fama refert & antiquorum auctoritas, in pago Pictavensi in villa, quæ Sacrum-martis nuncupatur, quæ in confinio Turonorum est, ossa beati Florentini Presbyteri & Confessoris rapientes, Divino nutu usque Ambasiacum pervenerunt, quod quatuor Capellani qui in Ecclesia Beatæ MARIÆ erant comperientes, consilio virorum castelli corpus sancti in Ecclesia beatæ MARIÆ in capsa lapidea posuerunt. Erat tunc in eodem oppido vir quidam nomine Marthoardus de Salmurio, qui dedit Canonicis Ecclesiam Salviniaci, quam possidebat, & cimeterium, Comes verò terram & homines & omnia illa quæ circa villam habebat: Thesaurarius autem decimam parochiæ, quam ut propriam tenebat. Comes etiam terram quamdam propè Ambasiam illis donando accrevit: hæc terra circa ulmum Casserii erat, quam quidam Capicerius Ecclesiæ abstulit, & post obi-

Ossa beati Florentini reposita Ambasiæ.

Salviniacus vicus datus Canonicis.

Decima Parochiæ.

Digitized by Google

tum Fulconis cuidam Joculatori tribuit. MARTELLUS Consul Fulconis filius censum, quem in veteri castello & aliis locis pluribus habebat, Canonicis donavit: LISOIUS verò ex omnibus illis terris sive vineis decimam, quæ sua erat, eis in perpetuum donavit, sícque duos Canonicos addiderunt, & novem fuerunt post hæc.

4. SULPICIUS Thesaurarius neptem suam minorem FULCONI cuidam nobili viro Bituricorum & probissimo, cum oppido Villentrastij, in matrimonio conjunxit. Busenchaicus verò & illud de Castalione nepoti suo Roberto proprium remansit. Nam longè post hæc Thesaurarius obiit. Villentrasti oppidum. Sulpicij Thesaurarij sancti Martini Turonens. obitus.

5. LISOIUS de Ambasiaco vir animosus ALGERIO fratri suo, & HUGONI filio ipsius nepoti suo scilicet Basogerium concessit: terram verò sanctæ Christinæ quamdiu possederat ALBERICO fratri suo quietè donavit. LISOIUS genuit ex Herscndi duos filios SULPICIUM & LISOIUM, & tres filias, EUPHEMIAM, SIBILLAM, & ELIZABETH. EUPHEMIAM BUCHARDUS de Monte-saurio, filius ROGERII Diabolerij uxorem duxit, & ex ea genuit ALBERICUM. SIBILLAM autem habuit THEOBAUDUS filius Corbonis, de qua genuit ROBERTUM de Rupibus, & ELIZABETH FULCOIUS juvenis, filius FULCOII de Thonneio uxorem duxit, ex qua filiam nomine CORLIAM genuit, quam GOFFRIDUS Burellus uxorem duxit; sed eam absque herede manentem cùm Jerusalem duceret, raptam à Paganis amisit: Elizabeth verò mater ejus post hæc ORRICUM pejorem lupo duxit, ex quo nullum heredem habuit, immo deinceps sterilis permansit. Geneſis Lisoij describitur.

6. Ut autem genus HERSENDIS breviter aperiatur; HAIMO dominus Busenchaiaci genuit SULPICIUM cognomento Mille Clipeorum; Sulpicius genuit ROBERTUM, Robertus ARCHAMBAUDUM & SULPICIUM Thesaurarium; Archambaudus ROBERTUM, HERSENDIM & Hermersendim uxorem FULCONIS Villenstratij. LISOIUS de Ambasio jam in extremis annis positus ter- Herſendis genus.

Digitized by Google

Lisoius de Ambasio ditiones suas duobus filiis divisit.

ram suam duobus filiis dividens, SULPICIO primogenito suo illud de Ambasiaco & omnia quæ habebat inter Charum & Endriam, & etiam Maureacum ultra Endresium situm, quem de feodo Archiepiscopi habebat, donavit: LISOIO autem illud quod Lochas tenebat, & medietatem Vernolij cum pluribus casamentis & aliis rebus quæ sibi propria retinuerat, ut in scriptis Consuetudinum domini Ambasiæ continetur. Vixit autem Lisoius multis diebus: & quamvis in decrepita ætate vires ejus consenuerint atque defecerint, tamen illa defectio virium non ex adolescentiæ vitiis fuit; nam teste Tullio, libidinosa & intemperans adolescentia effetum corpus senectuti tradit. Nempe Lisoij adolescentia valde modesta & honesta extitit, qui cùm naturæ concessit, Villa-Lupæ prope Ecclesiam sancti Salvatoris sepultus est.

Lisoi mor

CAPUT IV.

De SULPICIO.

Goffridus Calvomont. neptem suam Sulpicio uxorem tradit.

1. SULPICIO Lisoij filio GOFRIDUS de Calvomonte, filius GELDUINI, quamdam neptem suam sororis suæ CHANÆ filiam, nomine DIONYSIAM, quam parvulam nutrierat, quoniam summæ prudentiæ vir & armis strenuus habebatur, in matrimonio copulavit, eique medietatem Calvi-montis & omnium quæ possidebat in vita sua donavit, atque post obitum suum omnia ex integro habenda concessit: quod factum est assensu & voluntate Comitis THEOBALDI & STEPHANI filij sui, qui ambo homagium à Sulpicio pro honore Calvi-montis quietè & pacificè susceperunt. Sic Dominatus Calvi-montis & Ambasiæ conjunctus agnoscitur.

Unio Calvi-montis & Ambasiæ.

2. FULCO Comes, sicut jam supradictum est, terram suam Martello filio suo reliquit, qui cum heredem non haberet, duobus nepotibus suis Goffrido Barbato & Fulconi Richin Turoniam & Andegaviam donavit & dimisit.

3. Temporibus eisdem GUILLERMUS filius ROBERTI

Digitized by Google

ex concubina, Dux Normannorum omnem militiæ valetudinem, quam invenire potuit, in arma commovens Regnum Anglorum, quod jure hereditario reclamabat, HARALDO tunc Angliæ imperante invadere parabat, ad quem cùm ex diversis regionibus optimi milites & bellicosi gregatim convenirent: inter eos etiam GOFFRIDUS de Calvo-monte filius Gelduini, qui nemptem suam Dionysiam Sulpicio Lisoij filio matrimonio copulaverat, venit. Is siquidem vir mirandæ pulchritudinis, staturæ congruentis, summæ prudentiæ, miræ facundiæ, ingentis eloquentiæ, armis strenuus, providus in consilio, in omnibus morigeratus, statim ut à Guillermo Duce fuit agnitus, super omnes ei familiarior est habitus. O virum felicem, cui Dominus tot & tantarum virtutum gratiam conferre dignatus est! Qui Ducem adire deliberans quidquid sibi retinuerat in pago Blesensi & apud Calvum-montem, illud similiter quod Turonis habebat in jugifera Castri novi, censúmque & Ecclesiam sancti Cyrici, & burgum cum decima totius parochiæ totum Sulpitio & nepti suæ Dionysiæ quietè & in dominio possidendum reliquit.

Goffridus de Calvo-monte inter insigniores milites, qui ad Angliam conquirendam Guillelmum Ducem secuti sunt.

Ditiones suas Sulpicio Goffridus reliquit.

4. Paratis igitur navibus suis GUILLERMUS Dux vela præbet ventis, & cursu prospero Angliæ appulerunt, qui egressi de navibus terram vastare cœperunt. HÆROLDO ex adverso resistere parante, pugna constituitur, pugnatur, HÆROLDUS vincitur & vulneratur graviter, non multum post mortuus est. Sícque GUILLERMUS de hoste triumphans, ab Anglis suscipitur, in Regem inungitur, coronatur, totámque regionem quietam tenuit, & in pace rexit. De militibus autem suis multos optimè remuneratos remisit, nonnullos secum retinens, eis multa & ampliſſima donaria contulit; GOFRIDO verò de Calvomonte auri & argenti copias multas, terræque possessiones ampliſſimas; quoniam illum in majori reverentia habebat, dedit.

Guillelmus Dux in Angliam proficiscitur.

Hæroldo victo Anglia potitur.

Munera ampliſſima Goffrido Calvo-montens. contulit Guillelmus Rex.

5. Dum ergo sic in Anglia ageretur, & GOFRIDUS de Calvo-monte in iis quæ dederat GUILLERMUS Rex Anglorum moraretur, duo fratres FULCO Richim &

Digitized by Google

GOFFRIDUS Barbatus inter se graviter discordaverunt. Erant autem tunc Ambasiæ tres Optimates, &c.*.

**Quæ sequi debuerant reperies supra p. 489. in Fulcone Richin.*

6. Insuper SULPICIUS filium suum HUGONEM obsidem pacis tenendæ in manu Comitis posuit, & Comes cellarium quod sub talamo turris erat Sulpicio ad annonam & cetera necessaria ponenda concessit; BUCARDUS tamen de Montheſauro & FULCONIS ultra pacem fuerunt, quos Sulpicius ab Ambasiaco & Calvo-monte viriliter impugnabat.

Insidiis hostes suos Sulpicius & Goffridus devicerunt ac fugaverunt.

7. Quadam die Calvomontenses venatorem FULCOII cum equis, canibus & venatione ab ipso capta ceperunt; pannos, quorum induti homines SULPICII, equósque eorum equitantes cum canibus & venatione summo diluculo Ambasio ad domum FULCOII pervenerunt, qui cornibus clangentes ut eis aperirent clamaverunt, mentientes Fulcoium adesse; SULPICIUS cum multis in valle absconsus erat, & GOFFRIDUS prætor Ambasiæ in fossato non longè à domo cum viginti famulis insidiabatur, existimantes homines Fulcoii dominum suum adesse, cùm canes & equos cognoscerent decepti portas aperuerunt, intrant acclamantes Calvimontenses, Gofridus Prætor bene munitus eos subsecutus portario occiso, ad superiora domus adscendit, eámque captam sonitu buccinæ domino nuntiavit: SULPICIUS festinans accurrit, & impleto terrâ & lapidibus fossato & puteo domum illam omninò delevit. Quo peracto FULCOIUS senex & filius ejus terram Sulpicii auxilio Buchardi multis malis afflixerunt; nam BERENGARIUS de Orcario domum cum rupe, quam apud Orcarium munierat, FULCOIO juveni tradidit; SULPICIUS & sui domum illam variis insultibus aggressi sunt, & sæpe obstantibus defensoribus repulsi sunt, ad ultimum eam ceperunt & succenderunt, Berengario ibi occiso: Filius ejus LESCELINUS de Orcario evadens, cum Fulcoio sene Montrichardo aufugit. Cùm verò milites FULCOIUM juvenem captum adducerent, rustici pedites inter manus militum eum frustatim detruncaverunt.

Fulcoius juvenis à rusticis interemptus.

Buchardus

8. Placuit autem Deo tantis malis finem imponere:

Digitized by Google

nam BUCHARDUS de Montheſauro morbo coactus Monachus efficitur, qui convaleſcens Monachum exuit, & Romæ ante Papam quòd ignorans effectus eſſet Monachus, nec ſe Ordini acquieviſſe jurando affirmavit. Qui cùm rediret in Lombardia, quamdam Marchiſiam duxit uxorem, & filio ſuo ALBERICO terram Turoniæ diviſit. BUCHARDUS verò plures anos inibi vixit, & à quodam Lombardo proditione peremptus fuit. ALBERICUS cum avunculis ſuis Sulpicio & Liſoio concordatus, homagium debitum Sulpicio pro Montrichardo & aliis feodis fecit, ſenex FULCOIUS cum ALBERICO Montricardo uſque ad obitum ſuum manſit.

de Montheſauro Monaſticam vitam, quã amplexus fuerat, abjurans uxorem duxit.

A Lombardo tandem occiſus fuit.

9. Sic SULPICIUS Calvum montem & arcem Ambaſiæ & omnia ſua diu in pace poſſedit. SULPICIUS de Calvomonte ex uxore ſua Dionyſia genuit HUGONEM, & duas filias AANORDIM & EMERSENDIM, Seneſcente Sulpicio omnes homines ſui, qui Calvimonti quaſi ad conſilium congregati filio ſuo HUGONI honorem & terram ſuam dare curaverunt, fidelitatémque juraverunt. Similiter LISOIUS frater ejus quòd nec honorem Hugonis nepotis ſui minueret, neque terram auferret, neque damnum corporis, membrorúmque aut vitæ quæreret, jurando affirmavit. SULPICII animus totus & citò, ſed infructuoſiùs, Liſoii paucis & ſerò ſed commodiùs aperiebatur, neuter aditu difficili, neuter ſumptuoſus, ſed ſi utrumque coluiſſes, faciliùs à Sulpicio familiaritatem, à Liſoio beneficium conſequebare.

Sulpicius Calvũ mõtem & Ambaſiam quietè poſſedit.

Genuit filium & duas filias.

10. Non longè pòſt hæc SULPICIUS à Curia Comitis Andegavorũ rediens, gravi morbo præoccupatus Rupibus. Corbonis in thalamo ſororis ſuæ SIBILLÆ viam univerſæ carnis arripuit, qui extremum diem Kalendis Junii clauſiſſe dignoſcitur, maximóque mœrore Militum vir probus & honeſtus Pontilevi ſepultus Domino annuente quievit. LISOIUS frater ejus terram & homines, ut SULPICIUS juſſerat, ad regendum ſuſcepit.

Sulpicii mors.

Liſoius ditiones fratris ſui regit.

11. Erat tamen Calvimonti vir ſuperbus MAURICIUS Eſcarpellus inter Magnates ejuſdem oppidi primus dolo & aſtutia maximè verſutus, donis ſuis ſemper infeſtus,

Mauritius excitat diſſentiones.

Digitized by Google

omni maligno consilio plures Calvimontensium Lisoio repugnabant. Istius versuta dolositas nisi à prudentibus impediretur, Hugoni puero valde noceret. Duo pariter mala Calvimontenses sustinebant, mortem Sulpicii & absentiam Gofridi. GOSBERTUS Prætor Calvimontis vir prudens ad Goffridum de Calvomonte in Angliam misit, & rem omnem ei enucleavit. Quod comperiens MAURICIUS Escarpellus exarsit in iram, & quasi alter Catilina itur in furias, inque convitia absentis & nescientis GOFRIDI, qui GOSBERTUM Prætorem quasi novum hominem provocans, quod genus, unde domo si quis requisisset, municipaliter natum, claritatis initia non ab avo & patre, sed à se ipso habuisse fatebatur; & quòd GOSBERTUS per fas & nefas crescere affectaret. Sed quia familiaris Sulpicio GOSBERTUS pernimium fuerat, HUGONEM filium suum utpote dominum suum valde diligebat, quasi popularis persona levis turbæ facilitatem qua voluit contraxit, & tribuniciis flatibus in MAURICIUM crebrò seditionem populi impellebat, eique resistebat.

12. GOFFRIDUS de Calvomonte cum Rege Guillelmo loquens, ut filiam suam STHEPHANO Blesensi Comiti daret uxorem, impetravit. Itaque GOFFRIDUS veniens, à Calvomontensibus gaudenter recipitur: namque maligni considerantes eum à Stephano Consule amicabiliter susceptum & nimis familiarem esse, siluerunt. GOFFRIDUS munitionem Castelli GOSBERTO Prætori tradidit, neptémque suam DIONYSIAM cum filiabus suis in aula dimissam ipse servare & custodire præcepit, vocatoque ad se LISOIO hominibus suis ut ei obedirent, & ut suum dominum servarent imperavit. Ipse verò in Angliam rediit. Interim LISOIUS dum FULCO Richim à Consule Pictavensi & à GOFRIDO Pruliaci & aliis pluribus impugnaretur, nepotem suum HUGONEM, quem adhuc captum tenebat, petiit, & homagium quod Comes exigebat facere renuit. Videns Consul LISOIUM sibi fore necessarium, nepotem suum reddidit, & homagium Comes ab eo susscepit. GOFFRIDUS de Pruliaco

Goffridus Calvimontens. ex Anglia redit in Galliam.

Hugonis captiliberationem Lisoius à Fulcone Richin impetrat.

Goffridus

liaco cum Comite pacificatus terram Lisoii inquietabat, Guicherium castri Reginaudi dominum auxiliatorem habens, Gofridus Pruliaci Consul Vindocinensis effectus, consuetudines quæ vulgariter commendatitiæ vocantur, ab Ambasiensibus & Calvimontensibus olim cœptas, auferre eis cupiebat, & pro decima Sancti Cyrici homagium exigebat: Sed Lisoius adjuncto sibi nepote suo Roberto Rupium, & amico suo Hugone de Aluia eis viriliter resistens, nec homagium fecit, neque commendatitias amisit. Nam Hugo de Aluia Guicherium in suo oppido castri Reginaudi cepit, & vinctum Castellis diu donec res pacificata fuit tenuit.

Pruliaci fit Consul Vindocinisisis.

Consuetudines commendatitiæ.

13. Interea Gofridus Calvimontis cum Rege Normanniæ veniens, filiam Regis, Alam nomine, cum Stephano Carnotensi Consule in matrimonium copulavit; & Calvimonti veniens Hugonem nepotem suum gaudenter suscepit & nutrivit. Mortuo autem Rege & Regina, Goffridus quod in Anglia possidebat, concedente Rege Ruffo Guillermi filio, Savarico nepoti suo præbuit, & Calvimonti cum maximo thesauro rediens, Stephano & Alæ Comitissæ familiaris, in ipsorum curiam principaliter morabatur. Dionysia pia filia, morigera conjux, domina clemens, utilis mater, quarto Kalendas Maii obiit, quæ Pontilevi juxta parentes sepulta, in pace quiescit.

Stephanus Blesens. Alam filiam Regis Angliæ uxorem ducit.

CAPUT V.

De Hugone *de* Calvo-monte.

1. Quod * sibi utile videtur quisquis agit:
Nam velle suum cuique est nec voto vivitur uno:

Fulco Comes Corbam Fulcoii filiam, consentiente Lisoio cuidam viro de curia sua Hamerico de Currone in matrimonio copulavit, quod multi ad detrimentum Hugonis, qui tunc miles erat noviter, factum esse existimaverunt, cùm Comes custodiam domicilii sui Hamerico de Currone præbuisset; dum ceteri mur-

* *Eadem supra pag.* 494.

Digitized by Google

murarent, tres famuli HUGONIS Gofridus manumunitus, Robertus Telonearius & Radvelinus Carpentarius rem difficilem aggressi sunt, qui quanto cordis mentísque desiderio, quantísque solicitudinibus, quantis curis ac laboribus pro fidelitate domini sui sæpe anxij exstiterint, rerum est testis effectus. Isti siquidem adjunctis sibi aliis duobus in cellario sub thalamo turris nocte abstrusi, sesuerio perforato summo diluculo cabulis impositis ad summa ascenderunt, dominam clamantem cum duabus ancillis suis ibi tacentibus minando gladiis oppressérunt, vigil à somno oppressus capitur, ex his tribus ad portam fralæ, quæ vulgò strapa vocatur, remanentibus, duo ad summa arcis ascenderunt, qui super fastigium in summitate turris quoddam vexillum exaltantes, arcem domini sui esse exclamabant, multi ex hominibus HUGONIS citò accurrentes, ab illi susceptí & turrim intraverunt, & uxorem ROBERTI de Avissiaco, quæ intus parturierat, nec tempus purificationis ejus instabat, in lecto suo usque ad domum viri sui, quæ non longè à porta arcis erat, detulerunt. ROBERTUS de Avessiacco & HAMERICUS de Currone se delusos dolentes, cum castrensibus conveniunt, undique finitimos homines Consulis & intus inclusos observant sollicitè ne quis eorum posset exire. Robertus & Hamericus, ipsis absentibus, Lisoio etiam nolente, arcem ab hominibus HUGONIS captam Consuli annuntiant. HUGO sicut erat vir audacissimus adunatis hominibus & amicis suis, Ambasio veniens arcem & partem suam oppidi munit.

Interea dum Comes aliis negotiis impeditus moraretur, homines sui qui aderant in castello ab infestatione hominum Hugonis nullatenus absistebant, sed tota sedulitate eos injuriabant; illi de turre viriliter tota die se defendebant, homines Consulis graviter vulnerati sæpe recedebant, quos cùm sui Duces vocarent, non conveniebant; cùm litui clangerent, in domibus latitabant, immo inermes & exanimi bellum detestabantur, & velut exanimes, imbelles & inglorii recedebant

Digitized by Google

domum. Ubi Consul eò pervenit, licèt invidiæ animo ardebat, cognitis hominum Hugonis acribus ad pugnam animis ex copia rerum, statuit sibi nihil agendum, sed cum eon colloquio ve rba facere : Juvenem te amisso « patre sine opibus video, idcircò amicitia mea opportu- « nior tibi certamine est. Ego humanarum rerum memor « scio in omni certamine qui opulentior est etiam si acci- « pit injuriam, tamen quia plus potest injuriam facere vi- « detur. Itaque Comes homagio accepto ab HUGONE, « eóque cum HAMERICO de Currone & ROBERTO de Avessiaco concordato, omnibus Ambasiensibus pacificatis recessit.

2. LISOIUS verò Vernolium, & ea quæ ultra Andresium erant habens, cetera omnia nepoti suo HUGONI quietè in pace dimisit : qui ad senilem ætatem perveniens, Pontilevi Monachus effectus est, qui usque ad decrepitam ætatem ibi vixit, ac juxta fratrem sepultus fuit.

Lisoius frater Sulpitij monachus effectus Pontilevij moritur.

3. Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto URBANUS Papa Romanus in Gallias venit, Avernis cum multis Galliarum Episcopis & Abbatibus generalem Synodum celebravit ; & ut erat disertus seminiverbius, verbum Domini sæpe seminabat, ostendens multis potentibus & honoratis viris quantis calamitatibus, quantis incommoditatibus, quàm diris constrictionibus in Jerusalem & Antiochia, & in ceteris Orientalis plagæ civitatibus Christiani fratres nostri, membra Christi flagellabantur, opprimebantur, injuriabantur ; quibus verbis multum incitati ora lacrymis rigabant, & genuflexo licentiam & benedictionem eundi poscebant. Summus ille Pontifex prædicabat Dominum dixisse sequentibus suis : *Si quis non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Idcircò, inquit, debetis crucem vestris coaptare vestibus, quatenus & tutiores incedatis, & his qui viderint exemplum & incitamentum suggeratis. Is rumor Palatinos Consules, Regios Tyrannos, viros Consulares excivit : inter quos HUGONEM de Calvo-monte, &

1096. Urbanus Papa in Gallia Arvernens. Synodum cogit, & ad auxiliū Christianis Jerosolymit. & Antiochenis exhortatur.

Plures suis vestibus crucem conſuunt,

Digitized by Google

& se ad Ieroſolymit. iter parant.

HAMERICUM de Currone commovit, qui in Eccleſia beati Martini Majoris-monaſterij, in præſentia Papæ, multis ſibi adjunctis, veſtibus ſuper amictis ſanctæ Crucis vexillum conſuerunt. GOFRIDUS de Calvo-monte, HUGONEM de Calvo-monte nepotem ſuum multo auro obryzo & argento ditavit; qui Hugo ROBERTO de Rupibus conſobrino ſuo honorem Ambaſij vadavit, arcémque ſuam in ejus cuſtodia poſuit. Hamericus de Currone in Nicææ obſidione gravi morbo præoccupatus fuit, in qua per ſeptem hebdomadas tréſque dies Chriſtiani demorati, illam captam Alexio Imperatori reddiderunt: qui cùm pedem aliàs direxerint, HAMERICUM ſocij ſui in feretro uſque ad quemdam pontem, ubi Chriſtianus exercitus duobus diebus tentoria collocavit, vivum detulerunt, illum verò ibidem mortuum in introitu pontis honorificè ſepelierunt.

Roberto de Rupibus Cõſobrino ſuo honorem Ambaſij vadat, arcémque ſuam in ejus cuſtodia ponit.

4. STEPHANUS Comes Bleſenſis cum multis terrore non modico perterritus, ſociis dimiſſis, ab obſidione Antiochiæ clandeſtinus diſceſſit, & feſtinanter fugam inivit. Sic Ambaſienſes per eum & per ſocios ejus de morte HAMERICI de Currone certificati ſunt: quo audito Comes FULCO Richim ejus uxorem CORBAM cuidam ſæviſſimo viro ACARDO de Sanctis, qui ejus domicilium cuſtodiebat, accepta ab eo Acardo pecunia in matrimonio copulavit; quod abſque conſilio ELISABETH matris ſuæ, ignorante etiam conſobrino ſuo Roberto Rupium, factum eſſe dignoſcitur.

Hamerici de Currone uxorem ducit *Acardus Sanctonicus.*

5. HUGO in exercitu Dei multis ærumnis cum aliis afflictus, duobus annis poſt hoc permanſit: fuit enim in omnibus, & in Antiochenſi obſidione multa infortunia, ſicut alij, perpeſſus, numquam de fuga ut multi deſperati cogitavit, immo Magnates in magna anxietate poſiti illam, quæ Porta Boamundi vocatur, ipſi & Rodulfo de Baugenciaco cuſtodire mandaverunt. Marræ, Jeruſalem ceteríſque urbibus in capiendo non defuit, ſed cum aliis fames laboreſque ſuſtinuit, & poſt captam Jeroſolymam in prælio prope Aſcalonem cum Rege & populo Dei victor extitit. Omnibus prædictis peractis, ſe-

Quàm ſtrenuè ſe gerit Hugo in exercitu Chriſtianorum.

Digitized by Google

pulcro Domini, ceteríſque locis ſanctis deoſculatis, ipſe aliquantulum tamen ægritudinè gravatus, in Natale Domini ad curiam Comitis FULCONIS Andegavis Lochas pervenit. Reditus Hugonis ab Jerusalem.

6. ACARDUS Santonicus adventum HUGONIS metuens, uxorem ſuam CORBAM Turonis in domo fratris ſui GUILLERMI de Sanctis Cellerarij beati Martini deduxit, quæ dum ibi moraretur, & ſingulis diebus ad Eccleſiam beati Martini ſub cuſtodia pergeret, cum quodam cliente Ambazienſi nomine Ilgerio Calcaruſa conquerendo locuta, quomodo eam rapere poſſet edocuit. Quodam die feſto dum matutinis horis inſiſteret prædictus Ilgerius Eccleſiam dimiſſis viginti clientibus ad portam intravit; itaque Corbam uſque ad ſocios ductam & equo impoſitam in vico, qui Scalaria dicitur, in domo cujuſdam fabri Calvi-montis, ubi Ilgerius hoſpitabatur abſcondit: præterea miſſo nuntio Rupibus-Corbonis, ROBERTUS Rupium dominus cum multis militibus & ſervientibus eam extra murum Turonicæ urbis Rupibus, & inde Calvo-monti conduxit. Vir ejus ACARDUS morbo & dolore amiſſæ conjugis vexatus, non longè pòſt obiit. Poſtremò GOFRIDUS Burellus Corbam duxit uxorem.

Corbam Ilgerius parentibus reſtituit: paulò pòſt obit Acardus.

Cum Gofrido Burello Corba matrimonio copulatur: deinde cum Guillelmo Pictavenſi iter ſanctæ peregrinationis arripit.

7. Anno tertio poſt captam Jeruſalem GUILLERMUS Comes Pictavienſis iter ſanctæ peregrinationis arripuit, GOFFRIDUS Burellus cum uxore ſua CORBA ei adjunctus, uſque in Romaniam pervenerunt, quibus Solimanus memor Nicææ ſibi à Francis ablatæ cum maximis copiis Turcorum obviavit: qui Chriſtianos ſuperbè & cum multis lenociniis ſævientes diſſipans, ferè centum millibus peremptis aut captis, Comes cum paucis, in quibus fuit GOFFRIDUS Burellus, evaſit. Turci quidquid in tentoriis Chriſtianorum invenerunt rapientes, Corbam multáſque alias uxores Francorum ſecum captivas duxerunt.

8. Sic honorem Fulcoij HUGO quietè poſſedit. HUGO autem AANORDIM ſororem ſuam JOHANNI Lineriarum domino in matrimonio copulavit, qui ex ea

Hugonis Calvimõt. ſorores nubunt.

Digitized by Google

genuit GUILLERMUM, ODONEM & GIRAUDUM beati Martini Thesaurarium, SEGUINUM & JOHANNEM. EMERSENDIM verò alteram sororem suam ARCHAMBAUDUS Blesis uxorem duxit, & ab ipsa genuit ILGERIUM, & CAMPANIAM quam RIDELLUS Riliaci sibi in matrimonio copulavit. Ilgerius Blesis absque herede obiit.

Plures uxores habuit Fulco Richin.

9. FULCO Richin pernimiùm libidinosus plures uxores habuit; duxit enim filiam LANCELINI de Baugenciaco, ex qua genuit Comitissam Britanniæ, illáque viro suo mortuo Jerusalem, in Ecclesia B. Annæ religiosam ducens vitam sepulta fuit. Alteram duxit ERMENGARDIM filiam Archambaudi Fortis de Borbono, ex hac genuit GOFFRIDUM Martellum, illum cujus probitas cunctos sui temporis excellebat, &c. *.

* *videsupra eadem in Fulcone Richin.*

10. MARTELLUS HUGONI & uxori suæ domicilium & quidquid Ambasio possidebat post obitum patris sui concessit. Id quod post contigit. Hugo prævidens scilicet, si Martellus morte præoccuparetur, domicilium frustra esse sibi datum, quomodò delere posset excogitabat, quod factum est anno tertio hujus conjugij, cùm jam ELIZABETH SULPICIUM primogenitum suum peperisset.

Elisabeth peperit Sulpicium

11. Ea tempestate quidam miles, nomine HUGO de Vado, domicilium custodiebat, qui sæpe à sylva longè prædas agere consueverat: hic quadam die cum omnibus suis, exceptis tribus, ad custodiendam domum relictis, Romorantino causa prædandi perrexit: quod Hugo comperiens domicilium sibi promissum invasit, cepit & delevit.

Goffridus Martellus insidiis suorum interfectus.

12. Eodem anno vir probus GOFFRIDUS Martellus insidiis suorum & novercæ, patre ut creditur consentiente, Candæ castro occisus est. Cúmque animus Consulis pro fractione deleti domicilij conquereretur, sciens Ambasienses Hugoni assensum præbuisse, séque senem ultiones suas in tempus distulit. Rex Francorum PHILIPPUS Turonis venit, & cum pessima uxore Fulconis Comitis locutus, eam furto nocte raptam deduxit & tenuit. Itaque Rex luxuriosus adulterium publicum exercuit.

Philippus Rex uxorem Comitis Andegav. rapit

Digitized by Google

13. Hugo vir disertissimus, equis, armis, veste, sumptu famulitio honesto instructus erat. O quotiens sæpe ipse se adversa perpessum gloriabatur, dicens neminem in mundo esse felicem, certus post adversa sibi prospera contingere: cujus familiares maxima rerum, verborúmque præditi copia, inter principales viros Turoniæ, & Andegaviæ computabantur. Si in ejus convivium, quod privato simile erat, venitur, maximum tunc in verbis est pondus; quippe cùm illic aut nulla narrentur aut seria, cibi plus arte quàm pretio placent, fercula nitore non pondere. Videres ibi * abundantiam Gallicanam, servientium celeritatem, publicam pompam, privatam diligentiam, regiam disciplinam. Illo dapibus expleto somnus meridianus sæpe nullus, semper exiguus. Rarò in ejus domo lyristes aut psaltria canit. O ter quaterque beatum! de cujus culmine datur amicis lætitia, lividis pœna, posteris gloria; qui probis est exemplum, desidibus & pigris incitamentum, & tamen si qui sunt qui eum quoque animo deinceps æmulabuntur, sibi forsitan si illum consequantur debeant, ipsi habebunt proculdubio quod sequantur, qui ab avorum virtute non degeneravit.

Hugonis Calvimont. mores exhibentur.

* *Sidonius l. 1. epist. 2.*

14. Igitur Hugo dominus Ambasiaci nutu Divino correptus, iram Dei animæque suæ periculum metuens incurrere, pravam consuetudinem Simoniacæ hæreseos, in qua ipse & prædecessores sui veluti jumenta in stercore suo diu jacuerant, vendentes præbendas Ecclesiæ sanctæ MARIÆ Virginis sanctique Florentini Ambasiaci, quas gratis bene morigeratis ultronei debuissent attribuere; pro Dei amore animæque suæ remedio Canonicis supradictæ Ecclesiæ omni dominatione procul remota reliquit, tali conditione, quòd nec ipse, nec aliquis sui generis per successionis suæ seriem in supra dicta deinceps manus mittat. Nunc verò lues Simoniæ adeò inolevit, quòd in sancta Ecclesia, proh dolor! aliquis licet bonis moribus ornatus, aut vix aut nullatenus quidquam potest adipisci, nisi regina pecunia intervenerit. Numquam enim in sancta Ecclesia, cujus beneficia bene

Hugo pravam consuetudinem vendendi præbendas Eccles. deserit.

Digitized by Google

morigeratis gratis essent tribuenda, venditio deerit, nisi pecunia emptoris abfuerit.

Hugo fundavit XIII. pauperum victum & vestitum.

15. Qui etiam à Capite jejunii usque in Pascha tredecim pauperibus victum, & in die Cœnæ indumenta lanea & linea singulis annis sufficienter dare constituit. Mos iste bonus à dominis Ambasiæ tenetur, & Domino volente in perpetuum perseverabit.

16. Quoniam de moribus Hugonis pauca supra retuli, cujus mores domi militiæque boni colebantur, tempus admonet pulcherrima facta ipsius differere.

Acta Hugonis describuntur.

17. Incitavit Comes FULCO contra Hugonem (quem pro domicilio deleto habebat odio) GOSSELINUM & HUGONEM filios HUGONIS de Sancta Maura, eisque auxiliator fuit. Hugo de Sancta Maura AANORDIM filiam BERGAI de Munsteriolo, ortam ex sorore GELDUINI de Salmurio, duxit uxorem, quæ ex eo concipiens, peperit GOSSELINUM & HUGONEM, quorum primogenitus duxit uxorem CASSINOTAM,* cui jure hereditario oppidum Haiæ & Viceconsulatus Turonis contingebat. Isti duo fratres armis strenui, militiæ periti, nimiumque superbi, auxilio Comitis Fulconis freti, decimam sancti Cyrici villamque totam, quia avi eorum Gelduini fuerant, violenter ab Hugone exigebant, & auferre nitebantur. Hæc omnia GOFRIDUS de Calvomonte, filius Gelduini, nepti suæ Dionysiæ in conjugio donaverat, & vir ejus SULPICIUS pater Hugonis in pace habuerat: sed HUGO viriliter illis resistebat, devastans suburbia civitatis usque ad arcem eorum, quæ ab orientali parte in ingressu Turonicæ urbis exstat; ultra Ligerim verò quidquid usque ad pontem erat, exceptis rebus Monachorum, vastabat. Erat etiam eis auxilio ALBERICUS de Montesauro, filius Buchardi, HUGONI hominium debitum facere renuens. ARCHAMBAUDUS Bresis *, cui Comes oppidum suum abstulerat, Hugoni sororio suo favebat, qui omnia quæ erant circa Lochas in confinio Montricardi & Montesauri deleverunt. Duo illi fratres GOSSELINUS & HUGO ob sævitiam & superbiam suam à militibus Haiæ, quos multum deturpabant, occisi sunt.

al. * Quasumotam, & Quasinotam.

al. * Blesis, f. Bleris.

18.

Digitized by Google

18. Eodem anno FULCO Richin Comes protervus obiit. Cujus honorem FULCO filius ejus suscipiens, amicus Hugonis factus, totum Ambasium sibi concedens, homagium ab ipso in pace recepit. Quo peracto HUGO ad Albericum Legatos de injuriis questum misit, cui contumelioſa dicta retulerunt; & tunc HUGO bellum contra eum sumere decrevit; quippe ipse acer, bellicosus, at is quem petebat quietus, imbecillis, placido ingenio, opportunus injuriæ, metuens magis quàm ipse metuendus, quem tamen malitioſi erga Hugonem incitabant. Itaque HUGO non ut antea cum prædatoria manu sed magno exercitu ab amicis comparato bellum gerere cœpit, & apertè Montricardum petere, quà pergebat agros vastare, vineas exstirpare, prædas agere, suis armis hostibus terrorem augere.

Fulconis Richin mors. Filius ejus honorem suscipit.

Fulco Fulconis Richin filius Hugoni Calvimontensi Sulpitii filio amicus factus totum Ambasium illi concedens homagium ab ipso in pace recepit.

19. Interea Comes FULCO ARCHAMBAUDO Blesis oppidum suum reddidit, quod tunc HUGO totum excepta domo Motæ succenderat. Postquam ARCHAMBAUDUS oppidum suum accepit, Hugonem cum suis copiis in terram inimicorum inter Haiam & Sanctam Mauram causa prædandi conduxerat: quod ALBERICUS comperiens coadunatis militibus, adjuncto etiam sibi Prætore de Luchis, cum omnibus copiis peditum HUGONI obvius processit, existimans hostes siti & lassitudine deficere: maxima namque planities ultra Endriam sita, quæ antiquo vocabulo Campania dicitur, eos nimis fatigaverat; magna quidem multitudine hostes confisi, intrepidi unanimiter eos impetebant. Indignabantur quòd pauci eorum possessiones depopularentur, nimisque ægrè ferebant quòd ipsos præsumpsissent expugnare. Videns HUGO innumerabilem eorum multitudinem suis ore & gladio minitantem & insultantem, quidquid deprædatus fuerat rusticis & mulieribus post se plorantibus, pœnitens illius malefacti omnia reddidit, captósque solvit. Denique stetit imperterritus suísque satis consultè dixit peditibus & militibus: Fortissimi milites ecce dimicandi tempus est, metum omnem qui etiam viros effeminat abjicite, & de vobis ipsis defendendis viriliter

Hugo deprædatur terras hostium.

Albericus in eum insurgit.

Hugo quod deprædatus fuerat reddit.

„Suos animat ad „pugnam. „

Digitized by Google

„ procurate, ictus impugnantium indefessi sustinete, con-
„ fisi Dei adjutorio manus bellicosas exerite, viresque dum
„ tempus est ostendite: nunc armis & animis opus est, non
„ est tempus socordiæ neque imperitiæ.

Hugo præliatur cum Alberico.

20. Interim hostes exclamantes veniunt, sagittando, jaculando, comminùs feriendo ipsos acerrimè infestabant, nullâque requies fatigatis dabatur; Martis campus incanduerat: nam utrimque totis viribus certabatur. Itaque multum diei processerat, cùm eventus belli in incertum erat: deinde Hugo dato signo à sinistra ac dextra hostes invadit, quorum qui firmioribus animis fuerant, obvii suis resistendo sauciabantur, neque hostibus contrà feriendi aut conserendi manum copia erat: denique labore & æstu omnibus languidis, amisso loco Albericus & sui fusi fugatique sunt. In illo conflictu pauci interiere, plerisque velocitas & regio Ambasiensibus ignara, tutamento fuerunt. Itaque Hugo captis quindecim militibus, centúmque peditibus victor rediit. Igitur pro metu gaudium repentè exortum est, milites alius alium læti appellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad cælum levant; quippe res humanæ ita sese habent, in victoria vel ignavis gloriari licet, adversæ res etiam bonos detractant.

Albericus ab Hugone victus.

Gofridus de Calvomonte moritur ac Pō tilevio sepelitur.

21. In diebus illis Gofridus de Calvomonte, quem referunt nullo imbre, nullo frigore cùm juvenis esset potuisse adduci ut capite cooperto foret propter summam in eo corporis siccitatem; universæ carnis iter ingressus, Pontilevi sepultus est: qui centum annos complevit, nec sensum, nec scientiam, neque rerum cognitionem amisit, excepto quòd oculos pulcros privatos lumine habuit. Cujus honorem totum nepos ejus Hugo possedit.

Cui succes-sit Hugo nepos ejus.

22. Verùm est illud Poëticum

Invidus alterius rebus marcessit opimis.

Mauricius Escarpellus, de quo suprà dixi, actibus bonis Hugonis invidens, licèt ei esset familiaris, occasionibus parvis ab ejus amicitia, quam dumtaxat ad tempus simulaverat, discessit; quod non est ingenui teste

Digitized by Google

Tullio, qui ait; Apertè enim amare vel odisse magis ingenui est, quàm fronte occultare sententiam. MAURICIUS existimans inter HALAM Comitissam & HUGONEM discordias serere, pessimas criminationes de eo ad ipsam detulit, quæ oblatas criminationes de eo repellens nec MAURICIO credidit, neque HUGONEM suspicioſum habuit. Eo siquidem tempore HALA prudens Comitissa Blesensem Comitatum regebat, Stephano viro suo apud Ramam * Palæstinæ urbem capto, & à Babyloniis Ascalone sagittando occiso, cum quo alii plures viri illustrissimi clari & nobiles perierunt, inter quos præcipui STEPHANUS Burgundionum Consul, & GOFRIDUS Pruliaci Comes Vindocini, qui Ascalone incarcerati, à quodam captivo sunt derecti, qui sic captivam vitam promeritus est, de quibus alibi dictum sufficienter constat. MAURICIUS à Comitissa repudiatus, Montrichardo profectus proximos ALBERICI muneribus & majoribus promissis ad studium sui perduxit; qui similiter ERVEUM sancti Aniani dominum aggressus, cum suis adjutoribus impellit, uti adversus Hugonem bellum incipiat.

Mauricius Escarpellus vult discordias ponere inter Halam & Hugonem.

al. *Ramulam.

Stephanus Blesensis in Palæstina occisus cũ pluribus aliis Nobilibus.

Mauricius arma capit contra Hugonem.

23. Igitur MAURICIUS solertissimus omnium, milites benignè appellare, multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere; sed ea properantiùs quàm æs mutuum reddere; ad hoc laborabat, ut illi quamplurimum deberent: ioca atque seria cum humillimis agebat. In operibus, in agmine atque ad vigilias multus aderat, neque cujusquam boni famam lædebat, quod prava ambitio facere solet: quibus rebus & artibus HERVEO de Clanzeio, militibúsque ceteris carissimus fuit factus omnibus. Itaque viribus congregatis quidquid erat in valle Amatissæ usque Ambasiaco succendit, & juxta ripas Cari fluminis usque Laudiaco omnia deprædatus est. Igitur HUGO profugos qui de terra sua ad Mauricium fugerant, cùm capiebantur aut oculis effossis lumine privabat, aut pede curtatos loripedes efficiebat; similiter MAURICIUS eadem sævitia commotus, in hominibus Hugonis captis à se sæviebat.

Suos profugos pœnis afficit.

Digitized by Google

24. Eadem tempestate REGINAUDUS de Castro auxilio Vindocinensium Hugonem impugnans, villam Moranni firmavit, domum in ipsa munivit, ferè omnia usque ad ripas Ligeris vastavit. Sed HELIAS Cenomanorum Consul consobrinus Hugonis, amore ipsius prædictam villam munitam omnino delevit, cujus exercitus quidquid erat circa castrum Reginaldi deprædatus est. Vir magnanimus HUGO cum RADULPHO de Baugenciaco amico & cognato suo fœderatus quamdam villam quam prope Baugenciacum possidebat, nomine Anaziacum, prædicto RADULFO donavit tali pacto, ut sibi fidelis auxiliator ad Montrichardum acquirendum existeret. Igitur Radulphus cum suis copiis, adjunctis etiam sibi Blesensibus, Montrichardum obsedit, simulque HUGO & ROBERTUS Rupium affuerunt, qui nihil tunc perfecerunt, quia metu FULCONIS Consulis discesserunt. Et tamen omnia usque ad domicilium succenderunt. Videns MAURICIUS Escarpellus oppidum nimis debilitatum, Albericúmque cum suis fatigatum, per manum Radulfi de Baugenciaco cum Hugone concordatus est.

Helias Dux Cenomanorum auxilium dat Hugoni.

Et Radulfus de Baugenciaco.

Obsessio Montrichardi.

Pax inter Hugonẽ & Mauritium.

25. Interea FULCO Comes Andegavorum post obitum HELIÆ Cœnomanensium filiam ipsius duxit uxorem, quæ quia RADULFI & HUGONIS cognata erat, uterque in celebrandis nuptiis affuerunt, quibus FULCO promisit quòd non eis ampliùs noceret, immo amore uxoris suæ & pecuniæ sibi promissæ ab Hugone quomodo Montrichardum habeant auxiliaretur. Iterum RADULFUS & HUGO cum suis auxiliis Montrichardum obsederunt; postremò oppido petoritis * & aliis machinis pene jam capto, FULCO Comes usque Nantolio cum paucis militibus venit; illi de oppido scientes se non posse defendere, Consuli oppidum tradiderunt; qui ARCHAMBAUDO Bresis donec promissa haberet commendavit. FULCO Comes cùm paucis diebus Turonis moraretur, pecuniâ receptâ, ARCHAMBAUDO Bresis advocato, Montrichardum antecessoribus suis olim injustè ablatum Hugoni reddere præ, recepit. Itaque Hugo Montrichardum recepit.

Fulco duxit uxorem filiam Heliæ, ideo factus Comes Cœnom. & amicus Hugonis.

Mõtrichardum iterum obsidetur.

f. *Petrariis

Mõtrichardũ Hugoni redditur.

Digitized by Google

26. Dum hæc agerentur OLDINUS dominus Jaluiniaci, frater ELIZABETH obiit. Jaluniacenses festinant ad HUGONEM, monentes ut terram quæ uxori suæ ELIZABETH jure hereditario contingebat, quam extranei præoccupabant, festinanter reciperet. Quod HUGO renuens ELIZABETH uxorem suam abire permisit: quæ mulier genere atque forma viro atque liberis fortunata fuit, & sæpè multa virilis audaciæ facta commisit, quæ ex Arvernia veniens auxilio HAIMONIS de Borbonio, inimicis tamen pluribus sibi resistentibus, terram suam, quæ antecessorum fuerat viriliter acquisivit: multos verò labores tribulationésque pessimas in acquirendo perpessa est: acquisitam autem terram ELIZABETH quietè & in pace possedit, excepto Bethaico oppido, quod sibi ARCHAMBAUDUS de Borbonio filius Haimonis abstulit, quod castrum prædictus Haimo ERMANGARDI sorori suæ tribuit, cùm eam WILLELMUS Jaliniaci uxorem duxit.

Elizabeth uxor Hugonis generosa mulier hereditates suas propugnat & acquirit.

27. EX ELIZABETH uxore sua HUGO de Calvomonte genuit SULPITIUM, HUGONEM & OLDUINUM, atque filiam nomine DIONYSIAM, quæ uxor fuit ERNULFI de Borbonio, sed illa sterilis obiit. Nec prætereundum æstimo, quòd mortua sorore Hugonis ARCHAMBAUDUS BRESIS GILLAM neptem Radulfi Archiepiscopi duxit uxorem, illud Tullii sæpe replicans; Nihil est turpius quàm cum eo gerere bellum cum quo familiariter vixeris: diu siluit, nolens Archambaudum familiarem suum impugnare, licet metueret ne filii GILLÆ nepoti suo OLGERIO terram sibi juratam auferrent. Post obitum verò RADULFI pars Clericorum GILBERTUM fratrem GILLÆ in Pastorem & Procuratorem Turonensis Ecclesiæ elegit, alia pars GAULTERIUM beati Martini Thesaurarium, virum genere nobilem, bonis moribus adplenè imbutum sanctæ Matri Ecclesiæ Turonensi Episcopum destinavit, GAULTERIO Episcopi totius Diœcesis, Proceres Turonorum omnes excepto Archambaudo Bresis, Gilberto favebant.

Filii seu progenies Hugonis ex Elizabeth.

Archãbaudus ducit Gillã neptẽ Radulfi Archiepiscopi.

Contentio pro Archiepiscopatu Turonico inter Gilbertum & Galtèrium.

* adprime.

Digitized by Google

Hugo inimicus Archambaudi, cujus & Archiepiscopi Turonensis terras delet.

28. Hugo tunc Archambaudo ex amico factus inimicus, Bliriacum munit, milites & famulos ibidem ponit, quidquid circa Bresim invenit vastando delevit; Larchaiacum, Vernonum vicos Archiepiscopales cremavit. Econtra Gilbertus milites & clientes multos Bresis posuit, qui campaniam ferè totam usque ad Charum fluvium, excepto Bleriaco, vastaverunt. Quadam die Archambaudus Bresis & sui Charo flumine evadato nocte terram Hugonis intraverunt; quod Hugo comperiens eadem nocte copiis suis congregatis summo mane illos terram suam deprædantes reperit, quos invadens fusos fugatósque Charum transire coëgit, multísque captis reliquos usque ad Androsium fluvium fugavit. Archambaudus verò usque Lochas fugiens evasit. Non longo pòst tempore Hugo Bresim iterum, excepto domicilio, totum succendit & cremavit.

Hugo fugat Archambaudum cum suis.

Gilbertus fit Archiepiscopus Turon.

29. Gilbertus habens secum Alveridum Archidiaconum virum prudentia inter Clericos illius urbis pene singularem, personam insignem, bonitate morum per omnia pollentem, humilitate præditum, patientia perlustratum, Divina & humana sapientia divinitùs solertem, indulgentiâ Domini Regis Ludovici deliberante, & favente omni populo, suffraganeis Episcopis jussu domini Papæ manum præbentibus, omnipotentis Dei auxilio Cathedram Episcopalem in pace possedit. Gilbertus tunc Hugoni ex inimico amicissimus factus, & cum Archambaudo Bresis firmiter concordatus est. Non valeo paucis verbis dicere quanta quámque fida devotione amicitiam utrorumque dominorum suorum Comitis Andegavorum & Bretensium sibi alliciebat: debitum namque servitium utrisque moderanter reddens, quanto vinculo fidelitatis eis astringebatur rerum protestatus est effectus. Ille consiliarios Consulum familiaritate & fidelitate perenniter servabat. Vir namque erat in adversis constans, in dubiis fidus, in prosperis modestus, in habitu simplex, in sermone communis, in consilio præcellens, amicitias probatas enixè expectabat, constanter retinebat, honestè exercebat; adu-

Concordia inter Gilbertum, Hugonem & Archambaudum.

Laus Hugonis.

Digitized by Google

lantium dicta tardè credebat, celeriter deponebat; severis patribus comparandus, qui juvenum filiorum non tam cogitavit vota quàm commoda, suis magis prodesse cupiens quàm placere. Sulpitio filio suo in matrimonio copulavit AGNETEM, filiam HERVEI de Danzeio, ut pacem perennem inter illos de sancto Aniano & suos poneret: quæ mulier de Palladiorum stirpe descendit ex linea Regij sanguinis, excellentiam nobilitatémque generis in oculis hominum manifestè commendavit; sanè morum probitas mentionem venerandæ matronæ succinctæque personæ ejus contulit.

Sulpicius Hugonis filius ducit Agnetem, quæ honestis moribus erat ornata.

30. Pene transieram quod præteriri non oportuerat, quali forma lapidea turris consurgeret, quarum unam HUGO Calvi-monti, alteram Montricardo cum aula lapidea construxit.

31. In diebus illis Ambasiaco Ecclesiam in honore Dei & sancti Thomæ ædificavit, solidásque vires populi in opere illo concussit, Monachísque ibi degentibus proprium molinum, pratum Monasterioli, culturam Fulcoij, Plascicum Corbæ tribuit, aliáque larga dona complura prædictis addidit, multósque suorum ad benefaciendum Ecclesiæ huic monendo coëgit. Iis ita transactis Hugo quievit, diúque in pace terra ejus siluit, pontémque Ligeris idem composuit.

Hugo ædificat & fundat Ecclesiam in honorem Dei & sancti Thomæ.

Hugo pontem Ligeris composuit.

32. Quod prætereundum non erat præterivi, scilicet cùm HUGO terram suam in pace regeret, filio suo SULPITIO jam adulto, GUENNO de Castalione, nepos ALBERICI de Montheſauro, ALBERICO avunculo suo Montheſaurum abstulit, quem expulsum HUGO cognatus suus suscepit, & pro eo bellum cum GUENNONE arripuit. Quodam itaque tempore GUENNO cum suis copiis campaniam causa deprædandi aggressus est, & usque ad ripas Chari fluvij venit. Quod HUGO comperiens coadunatis suis eum devictum turpiter fugavit, diúque fugatum cepit, ipsúmque tamdiu in carcere tenuit, donec avunculo suo Alberico Montheſaurum reddidit, & SULPICIO filio Hugonis hominagium debitum in pace & quietè fecit. Sic verò terra pacificata diu absque impu-

Guenno Alberico Montheſaurum abstulit.

Hugo bellum suscipit cum Guennone.

Quem fugat & capit.

Digitized by Google

gnatione siluit, quia prædictus Genno quod in Montrichardo reclamabat Sulpicio in pace concessit.

Quàm sapienter ac providè se erga filios gerit Hugo.

33. Quid sollicitudinis & dilectionis ac diligentis prudentiæ circa filios Hugo haberet, ipsa naturalis juris constantia patienter declaravit. Nam cùm Hugo filius ejus terram matris suæ quæ in Arvernia erat repudiasset, pater multa obtulit, quæ omnia repudiavit: maligno namque consilio pessimorum Hugo juvenis acquiescens, fratrem suum post patris excessum multis modis impugnare affectabat; quod pater prævidens terram suam totam Sulpicio tribuit, & homines suos ipsi jurare coëgit, eúmque recedens dominis & amicis suis fida devotione fidelibus commendavit: quanta devotione ipsum in aula Montrichardi commendavit suis, ad ultimum non valeo paucis dicere, dixit enim: Fili » quantum caloris, algoris, vigiliarum pro tuis negotiis » susceperim ut terra mea tibi remaneret quieta, non uti- » que de mea sicut de tua memoria dilabitur: non enim » summi laboris susceptio & perpessio ab ipso tolerante le- » viter oblivioni mandatur. Quidam suo filio cum bonis » ambulare præcepit; hinc est utique quod rogo te, ut » maxima cura magnóque studio factiosorum devites con- » sortia, & meis fidelibus in consiliis maximè acquiescas; » quod si feceris, victor inimicorum revera extiteris.

Hugo Sulpicio terrā suam tribuit.

Exhortatio Hugonis ad Sulpicium.

Fulco ducit filiam Regis Jerusalem ac Regnum adeptus est.

34. Eo autem tempore Legati Regis Jerusalem Balduini secundi in Francia ex improviso venerunt, quærentes virum qui filiam Regis cum Regno Jerosolymitano uxorem duceret; qui consilio Regis Francorum Fulconem Consulem Andegavorum virum bellicosum magni nominis & summæ ingenuitatis elegerunt. Fulco verò licentiam eundi à Rege & à suis omnibus poposcit; ab Episcopis verò genuflexo benedictionem impetravit: qui cùm crucem sibi adaptasset, adjuncti sunt ei milites & pedites innumeri, multíque Consulares viri, inter quos Hugo dominus Ambasij affuit. Porro filium suum Sulpicium Goffrido Comiti filio Fulconis tradidit, qui patre suo jubente homagium à Sulpicio suscepit, & pacificè eum & res suas custodire promisit. Itaque

Hugo

Digitized by Google

Hugo Fulconem subsecutus in Damasceno exercitu cum eo affuit, qui inde rediens gravi morbo præoccupatus Jerusalem nono Kalendas Augusti obiit, & in monte Oliveti prope Ecclesiam sepultus est.

Hugo cum Fulcone Jerusalē adit.

Hugo obit & in Monte Oliveti sepelitur.

CAPUT VI.

De SULPICIO.

1. SULPICIUS dum in prosperitate floreret solâ invidiâ Vindocinenses primi ipsum ad iram incitaverunt; sæpe enim, teste Horatio, Invidus alterius rebus marcescit opimis: Et invidia Siculi non invenêre Tyranni majus tormentum. Hinc est quòd BUCARDUS de sancto Amando Senescallus Comitis Vindocini existimans Sulpicio consuetudines, quas pater habuerat ejus in pago Vindocinensi, auferre, quæ vulgò Commendatitiæ dicuntur, terram ipsius deprædando cœpit impugnare. Sed SULPICIUS, cui erat in votis scire quæ sequenda forent & quæ vitanda vicissim, amicos & consiliarios suos convocat, quorum maximi & principales erant HERBERTUS de Poliaco, ORRICUS Pejor-Lupo, HUGO Ebardi filius, & de sancto Aniano duo, PETRUS de Paludello & GOFFRIDUS Guiturni. Isti verum consilium liberè dare SULPICIO gaudebant: nam, teste Tullio, plurimum in amicitia amicorum benesuadentium valet auctoritas ea, quæ adhibeatur ad ammonendum eos non modò apertè, sed etiam si res postulàbit acriter & acutè, & oportet ut eis adhibitè pareatur. SULPICIUS prædictorum consilio fultus illud Lucani suis ait:

Dij melius belli tulimus quod damna priores.

Et quòd cœperit inde nefas, & quod sanguis nostrorum jam tetigit pollutos enses Vindocinensium. Itaque cum suis absconditè summo diluculo Cangiaco venit, qui BUCARDUM cum Vindocinensibus sua circa Siceram devastantem turpiter fugavit, ipsúmque cum septem militibus captum victor Ambasio adduxit. Post hæc Vindocinenses condolentes terram SULPICII occultè &

Bucardus terram Sulpicij impugnat.

Consuetudines commendatitiæ.

Sulpicius amicos ad consilium convocat.

Sulpicius Bucardum fugat & capit.

Digitized by Google

quasi per latrocinia sæpe deprædabantur.

2. Interim SULPICIUS consilio cum suis habito commodum duxit finitimam hostium terram intrare, commodiùs forè judicans hostes in terris suis aggredi, quàm ad se aggrediendum eis ex dilatione cornua sineret erigi. Electa igitur militiæ manu, paucísque peditibus, gentem illam sibi rebellem & æmulam expetiit: antiquitus nempe Ambasienses præliandi consuetudinem habebant, forsan ut puto, à Deo sibi permissam, ne per otium pejoribus inimicis expugnarentur, moribus scilicet vitiosis, juxta illud Satyrici garriendo veridici:

Sulpicius arma capit in Vindocinenses.

Servabat castas humilis fortuna Latinas:
Et labor in noctes, & proximus Hannibal urbi.

Nam laborum & bellorum assiduitate minùs libet superbire, minùs delectat mœchari illos, qui assiduè timent mori. Bella itaque exteriora interiorum sunt sæpe peremptoria bellorum: hostes visibiles invisibilium sunt vel repressio vel impressio inimicorum. Igitur SULPICIUS eo quem ductabat cuneo per terram hostium effuso, qui tamen statim usque ad pedites refugere compulsi sunt, egressis adversus se hostibus impetuoso impetu restitit. Namque Comes Vindocinensium comperto ejus adventu in insidiis excubabat: proinde SULPICIUS videns sibi fieri necessariam congrediendi copiam, pugnando, ipso Comite cum quinque millibus de suis & peditibus non multis capto, victor cum gaudio ad sua rediit. Dehinc terrorem ceteris ingerens favente sibi fortuna multa insignia Deo patiente peregit, cupiens semper

Vicit cepitque Comitem Vindoc.

Parcere subjectis & debellare superbos.

Quid plura? In his additur fraterna discordia duorum fratrum SULPICII & HUGONIS, de qua quàm verissimè potero breviter referam. Malignorum consilio & pessimorum monitu, HUGO fraternam caritatem, quæ inter natos & parentes & fratres nisi detestabili scelere dirimi non solet, primus rupit. Nempe hic HUGO speciosus forma erat, & in curiis Principum valde facundus & notus, & GOFFRIDO Comiti Andegavensium familia-

Discordia inter Sulpicium & Hugonem fratres.

Goffridus Hugoni favet.

Digitized by Google

ris extitit, qui ei in hac diſcordia auxiliator per omnia fuit: eo ſiquidem tempore controverſia maxima inter Ambaſienſes milites fuit; non enim promptum eſt cujuſvis murmur & ſuſurros tollere de curiis, & adulatoribus aperto vivere voto non licet. Omnis populus & illi ex militibus, quibus erat mens bona, fama, fides, Sulpicio favebant, cui & dicebant: Si cum matre, quæ tibi adverſatur, vivere & eſſe tendis, vitam tuam contentus perages, & avarus eſſe noli. Sed granaria tua quæ ſunt referta emole, evolve, propriáque meſſe vive., ſic verò poteris adverſariis reſiſtere, quid metuis? Occaſioni diſpende; nam ſeges alia in herba eſt.

Optimè Hugonem monent amici.

3. JACQUELINUS de Malliaco & fratres ſui Sulpicio adverſabantur, licet idem Jacquelinus debitum hominium dudum ante hoc Sulpicio feciſſet, tamen conſiliis impiorum prætendens ſe excuſabat, qui ipſum cum fratribus ſuis & cum prædicto Hugone ad debellandum Sulpicium Turonis poſuerat, mater eorum ELIZABETH furore ſuccenſa, diabolico ſtimulo admonita, à primogenito ſuo SULPICIO irata diſceſſit; quæ Comitem GOFFRIDUM adiit, querimoniámque lacrimabilem apud eum deſignans, multa de damno SULPICII filij ſui quoad potuit deliberans, Turonis & Malliaco diu manſit. Iſta verò ſi apud ſe deliberaret quantum inter fratres neceſſaria ſit pax & concordia, Apoſtolo evidenter oſtendente qui ait: *Sine pace impoſſibile eſt placere Deo:* Et iterum: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum*: numquam conquerendo Magnatibus inter fratres graves diſcordias ſeminaret, quoniam mutua ſe deberent caritate diligere, & malefactores ſuos animadverſione debita coërcere; quod omninò dignum fratribus & conveniens eſt.

Adverſarij Sulpicij.

Elizabeth filiũ ſuum Sulpicium deſerit.

Conqueritur de filio apud Gofridum Comitem.

4. Igitur vir magnanimus Comes GOFRIDUS coadunatis ſuis copiis terram Sulpicij citra & ultra Ligerim incendendo & deprædando potenter vaſtavit; deinceps etiam nimio impetu ante portas Ambaſiaci oppidi tranſiens ſeditione maximóque conflictu, in loco qui Pons Molendinorum vocatur, cum Ambaſienſibus quadam

Gofridus terras Sulpicij vaſtat.

Digitized by Google

die à mane usque ad vesperam pugnavit. Quod prælium cùm nox diremisset, Comes quibusdam ex suis captis & equis omnium militum suorum penè interfectis, inglorius discessit. Quippe SULPICIO vicini Proceres aderant auxilio, quorum hæc sunt nomina, SIMON de Baugenciaco, ARNULFUS de Virsone, URSO de Fractavalle, SANCTUS* de Percheia, & GOFFRIDUS Burellus; cum his Biturigum, Aurelianensium, Carnotensiúmque omnis ferè expedita militia, Blesensium & silvæ longè clientela erat. Sed quia non longè ab Adventu Domini hoc actum constitit, consilio utriusque partis, SULPICIO reddente homines Consulis quos ceperat, res ad concordiam redacta est.

Inglorius discedit.

Amici Sulpicii ei auxiliantur.

*An. Sanctius?

Concordia inter Goffridum Comitem Andegavorum & Sulpicium.

5. Succedente paucorum annorum curriculo, HUGO frater Sulpicii iter Jerosolymitanæ peregrinationis affectans, crucem sibi aptavit, mare transiit, cum FULCONE Rege Jerusalem, qui Comes Andegavorum fuerat, aliquantis annis mansit: mater eorum ELIZABETH Arverniam adiit. Itaque terra pacificata diu siluit.

Hugo Jerusalem adit cum Rege Fulcone.

Bellũ Sulpicio à Vindociensibus paratur.

6. Motum est rursum Sulpicio odiosum bellum, supradicto Consule Vindocini apud sanctum Egidium mortuo, filius ejus JOHANNES juvenis animosus terram patris jure hereditario possedit, quem REGINAUDUS de Castro contra SULPICIUM fœderatum habuit, qui etiam hominium indebitum ei timore Sulpicii pro solo suo auxilio fecit. SULPICIUS enim ad id Reginaudum coëgerat, quòd GOFFRIDO fratri suo suæ terræ partem nolens donaverat, quo dolore ipse nimis commotus erat. SULPICIUS gloriam suam dilatare laborans, in iram erga REGINAUDUM exarsit. Seneca namque teste, Res inquieta est felicitas, quâ Sulpicius eo tempore pollebat. Idcirco SULPICIUS robore suorum confisus sæpe prædictorum animos terram ipsorum vastando sollicitat; & quoniam otia semper variam mentem dant, & audendo magnus timor tegitur, agmina sua in terram REGINAUDI emisit, quæ postquàm sunt à JOHANNE Comite audita, qui castro Reginaudi cum suis copiis erat, æstimans quòd gloria belli sibi reservata esset & victoria, lætus

Sulpicius terram inimicorum ingreditur.

Johannes Comes Vindociniarma capit.

Digitized by Google

efficitur. Itaque agmina sua furtim rapit, atque per jussa silentia quoad potest obscurat. Ipse verò ut prima prælia lacessat, & eliciat, retentis majoribus viribus in cava valle in primo agmine processit, REGINAUDUS verò de Castro cum ceteris pedetentim subsequitur. At SULPICIUS agmina suorum militum ex diversis partibus aggregata apertis campis instruxit, quorum agmine emisso campi sono statim tremuere, terráque soluta turbine pulveris tenebras traxit. Vindocinenses è contra dum miscere manus & præcurrere licuit primùm stetere; sed citò agmen eorum frangitur, cùm in primo impetu JOHANNES Consul eorum capitur; ut verò fortuna belli in pedites incubuit, qui fugere non potuerunt, ligati Sulpicio & suis læta spectacula præbuerunt: sicque paucis peremptis multísque captis victores ad propria redierunt, & JOHANNEM captum in arce Calvimontis inclusérunt.

Conflictus utriusque partis.

Johannes Consul capitur, & in arce Calvimont. includitur.

7. Factum autem post hæc, HUGONE fratre SULPICII ab Jerusalem jam reverso, ut Comes GOFFRIDUS ob injurias sibi à SULPICIO illatas Ambasium obsidere pararet. SULPICIUS oppido suo bene munito, & Guillelmo Limeriarum domino germano consobrino suo trádito, ipse & frater suus Calvimonti & Montrichardo cum multis amicorum suorum manebant. GOFFRIDUS Consul, cui magno nihil erat magnum, cum exercitu suo Laudiaco venit. Itaque mediante HUGONE Archiepiscopo pax utrimque efficitur.

Goffridus Sulpicio bellum parat.

Hugo Archiepiscopus Goffridum & Sulpicium cõcordat.

Enimverò Sulpicius opibus & deliciis affluens arrogantiùs solito motus dominos suos Comitem scilicet Blesis & Andeg. sæpe offendebat, vicinos verò satrapas turbare, attentare, & in terris eorum non cessabat incursare. Causæ simultatum & querelarum occasiones inter Principes revera erant: quòd SULPICIUS ferè omnes qui dominos suos offendebant recipiebat, & avaritiæ succumbens manutenebat. Fertur etiam à multis ipse insanire, idcirco quòd violenter in terras eorum irruens rebus ex sententia forte perpetratis quasi victor insultabat: quæ facta pavidam plebem & plures ex vici-

Arrogantia Sulpicii erga dominos suos Comites Blesens. & Andeg. & alios.

Causa inimicitiæ vicinorũ Comitum in Sulpicium.

Digitized by Google

nis Principibus satis terruerant ; sic quisque parendo famæ illius vires dabat, & licet non esset auctor multorum malorum, ea sæpe quæ finxere timebant. Nec mirum, nam terram ipsius Consulis ab Genilleio usque Lochas incendio vastavit, Bresim succendit, Bureium prope Blesim totum, excepta arce, cremavit. Sæva enim fortuna fertur more exæstuantis Euripi, multos proterit, victos sublevat, miseros non audit, non illorum fletus curat, sed ludit ; & sic suas vires probat.

Progenies Sulpicii.

8. SULPICIUS ex uxore sua AGNETE duos filios habuit HUGONEM & HERVEUM, & duas filias DIONYSIAM uxorem EBONIS Dolensis, & ELIZABETH uxorem ANDREÆ de Alvia. Postremò duo fratres HUGO & SULPICIUS, qui sæpe graves inter se habuerant discordias, firmiter concordati sunt. HUGO LISOIAM filiam GOFFRIDI Rufi uxorem duxit, & oppidum quod Columbarium vocatur cum ea sibi datum possedit, qui ex ea nullum heredem habuit. HUGO vir facundus & speciosus, & à dominis suis nimis dilectus fuit, & in Curiis Principum multos amicos fecit, cui LUDOVICUS Rex Francorum pro servitio suo in Aurelianensi pago optimam terram tribuit. Multotiens SULPICIUS Consules * ad iram incitavit, tum pro latronibus ab ipso susceptis & mercatoribus disturbatis, tum pro Burgensibus Castri novi captis, & à Rege Francorum exhibitis.

Hugo Lisoiam duxit.

Laus Hugonis.

Sulpicius ad iram Consules incitat.

Iohan. Mon. Mai. Monast. p. 73. al * Consulem.

9. Ad ultimum Comes THEOBAUDUS permultis injuriis sibi illatis villam quæ Menticios dicitur, munire disposuit. Quo tempore Comes Andegavis cum exercitu suo Turonis venit, & THEOBAUDUS Cangiaco, villa ipsa cremata, castra fixit. Tandem per amicos utriusque partis concordia inter SULPICIUM & Consules tractata & confirmata est. Ibidem THEOBAUDUS Blesis præsente Comite Andegavis quòd nullam munitionem deinceps inter Blesim & Calvimontem construeret promisit, nullúmque eorum castrum aut aliud municipium illo intervallo licere componi affirmavit.

Theobaudus & Fulco arma capiunt.

Concordia inter eos per amicos facta qua conditione.

Quantis quibusque adversitatibus, quantis pressuris & angustiis, quanta rerum instabilitate præsentis vitæ

Digitized by Google

prosperitas involvatur, ex ipsis rerum proventibus facilè satis intuetur. Videmus enim quotidie diversas rerum mutationes fieri; nec est quidem prosperitas ulla durabilis, ipsa etiam quæ tenaciter videntur constantia, leviùs credito dilabuntur. Igitur nemo fugacibus & caducis bonis fortunæ credat, cùm, teste Boëtio, constanti æternáque lege propositum sit, ut nihil genitum constet. Blanda enim fortuna, quæ sæpe fallit, cùm mentes fruentium specie mendacium bonorum ligat, Sulpicium fefellit, quamvis ad ultimum amicorum certos vultus & ambiguos secrevit, mentémque fidelium detexit. Ille divitiis affluens inter abundantissimas opes hæc infortunia passus, quoniam avaritiæ nihil satis est. Calvimontenses equum ablatum cuidam peregrino redeunti à sancto Jacobo SULPICIO adduxerunt; qui dum ab ipso quadam die currendo calcaribus urgeretur, SULPICIUS cadens armum sibi fregit, nimióque dolore vexatus peregrino equum reddidit, & limina beati Jacobi in Hispania visitans Deo sibi propitio sanus effectus votum persolvit.

Sulpicius limina beati Jacobi visitat.

10. Post hæc ELIZABETH filiam suam uxorem ANDREÆ de Alvia phtisis consumpsit, quæ diu ante morbum parturiens viro suo HUGONEM & AGNETEM relinquens, morbóque prædicto afflicta interiit, quæ sexto Idus Julii Pontilevi sepulta fuit. Soror istius DIONYSIA Ebonis Dolensis uxor, fecunditate parens effecta, duos RADULFUM & ODONEM viro suo edidit, qui parvuli si patrem suum sospite matre perdidissent, minus pupilli existimarentur. Nam Dionysia bonitate sua & diversis probitatibus effecerat, ne patri adhuc juveni soboles alterius sexus desideraretur, quæ subitò suprema lienteria occupata, virum cælibatu, patrem orbitate confudit. Ista verò Sacerdotum, Religiosorúmque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similis sexto Idus Maii sepulcro illata est. Cùm verò milites flentes ipsam ad sepulcrum deferrent, oppidani omnes neniam funebrem quasi parentibus orbati emittebant, cùm & externi de villis ibi congregati Libitinam ipsam prensi-

Duæ sorores Sulpicii intereunt

Fletus omnium super Dionysia.

Digitized by Google

tarent, remorarentur, exoscularentur: si quis haud incassum cadaveribus honor impenditur, hanc ministeria plurium Sacerdotum, Clericorum, Abbatum, & Monachorum in Claustro Dolensi prope parietem Ecclesiæ tumulavere.

Hugo veneno necatur. *Nota Auctoris ætatē.*

Nulla pestis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus: Milites de Montebasonis adulando, blandiendo amici HUGONIS fratris SULPICII effecti sunt; quamquam, teste Tullio, assentatio nemini nocere potest, nisi qui eam recepit atque ea delectatur; & amicus blandus à vero amico adhibitâ diligentiâ leviter internosci potest. Isti tamen, ut complures ferunt, HUGONEM venenata potione interfecerunt, & quamvis adhuc veritas rei lateat, illi tamen qui in morte ejus affuerunt, visis manifestis signis ipsum toxico necatum affirmant: qui postquam in hospitio cujusdam famuli eorum cum prædictis Militibus comedit, discedens inde nihil ampliùs edit, immo sero nimio dolore vexatus quinto Idus Januarii obiit.

Sulpicius cum Goscelino Castri Reginaldi causas belli arripuit.

II. His ita transactis SULPICIUS iniquo monitu REGINAUDI Rabelli, & GOFFRIDI de Bello-videre, lites graves pugnandi cum GOSCELINO de Alnello, qui dominus Castri Reginaudi erat, arripuit. Quippe olim Milites Castri Reginaudi SIBILLAM filiam domini sui HUGONI filio SULPICII pacti fuerant, & SULPICIO tradiderunt; sed reperta cognatione quam ROBERTUS Rupium & filii sui jurejurando inter eos esse affirmaverunt, SULPICIUS à Pontificibus & à Comite THEOBAUDO coactus SIBILLAM reddidit. Idcircò SULPICIUS GOSCELINUM & suos exosos habens, sanctæ Ecclesiæ instituta contemnens, diabolico introitu & pessimorum monitu Castrum REGINAUDI totum, exceptâ Ecclesiâ & arce, in Quadragesima cremavit.

Sulpicius castrū Reginaldi cremavit.

Theobaudi Comitis Blesensium mors.

Tribus filiis sua distribuit.

Sub eodem ferè tempore THEOBAUDUS bonus Comes Blesensium obiit: qui tribus filiis suis terram suam distribuens HENRICO primogenito Briam & Campaniam, THEOBAUDO Carnotum & Blesim, STEPHANO verò Sacrum-Cæsaris cum ejus appenditiis tribuit.

Sanè

Digitized by Google

Sanè mira Dei, ut credendum reor, ordinatione elapso parvo tempore GOFFRIDUS admirabilis Andegavorum Consul Cenomanis sepultus diem extremum clausisse dignoscitur. Surrexerunt novi Principes de qualibus antiquo proverbio dicitur: Væ terræ cujus Rex ætate aut sensu puer exstiterit. GOFFRIDUS enim Comes Andegavorum tres filios, HENRICUM, GOFFRIDUM, GUILLERMUM ex MATHILDE filia Henrici Regis Anglorum genuit: quorum HENRICUS primogenitus consilio Sulpicij Theobaudo Blesis hominium sibi jure debitum facere recusavit. Quod similiter SULPICIUS superbia & pessimorum monitu ipsi facere renuit. Dedit enim HUGONI filio suo Calvi-montem & quidquid de feodo Theobaudi possidebat.

Gofridus Comes Andegavorum moritur.

Goffridi proles. Henricus filius Goffridi hominiũ Theobaudo recusat, & Sulpicius pessimorum consilio.

12. Enimverò cùm crimen erroribus nostris sit addictum, reor à Deo esse propositum non solùm ob id velle perdere hominem illum, sed cuncta quæ ejus sunt, veluti Sulpicium, qui cùm Theobaudus Blesis humiliando ejus amicitias peteret, nociva arma sumpsit, & seipsum cum aliis multis cladibus & diversis tormentis adnihilavit. Nam qualiter consiliis crudelium ac proditorum, quorum consortia sibi respuenda essent, adhæsit, nemo sub modicis verbis referre valet. Erat autem pernimium familiaris SULPICIO quidam COLLIBERTUS sancti Launomari, CRISPINUS de Mindraio, filius cujusdam spurij Radulfi Guiardi de Candeio, quorum genus infidum ingenio mobili dominis suis multum nocuit. Quodcumque consilium SULPICIUS in conclavi suo privatim tractabat, illud CRISPINUS Consuli statim clam per aliquem cognatorum nuntiabat. Quippe ancillam SULPICII, filiam Buarini de Cozeio Crispinus uxorem duxerat, fratréque ipsius cum patre Blesis manebant. Consul Crispinum & suos paulatim tentando aggreditur: postquàm eum sibi opportunum cognovit, multa pollicitando persuadet, uti Sulpicium maximè vivum, aut si id per vim procedat, necatum sibi

Consilium Sulpicij Theobaudo nunciatur.

Consilium Comitis in Sulpicium.

Digitized by Google

traderet. Quæ cùm cognita esse Sulpicio CRISPINUS comperisset, Blesis transit, confestim ejusdem oppidi Præpositus constituitur. Cujus rei SULPICIUS stupidus effectus, nemini se credebat: Motam tamen Mindraij munit.

Comes Blesensis arma capit contra Sulpicium.

13. Blesensis Comes gloriam & famam suam dilatare ac propagare laborans, ad delendum Mindraium multos milites & pedites ex diversis locis congregat: è contra SULPICIUS cupidus gloriæ, & optimorum fama meritorum, quoscumque potuit sibi allicere ad se defendendum, in unum convocat. Maximâ autem culpâ suâ SULPICIUS veritatem aspernabatur, & per fraudem ab adulatoribus in odium domini sui, quod est venenum amicitiæ, impellebatur: Scitum est enim quòd assentatio vitiorum adjutrix est, quæ procul à tanto viro removenda erat, quia ne libero quidem homine digna est. Salus autem SULPICII desperanda erat, cujus aures veritati ita clausæ erant, ut ab amico verum audire nequiret. Namque teste Tullio, Nullam pestem majorem esse scimus, quàm adulationem, blanditiam, assentationem, quod vitium est levium hominum atque fallacium: ad voluntatem omnia loquuntur, nil ad veritatem: illi nempe molestiam, quam capere debent, non capiunt, illámque capiunt quâ debent vacare: Tales judicium veri tollunt, idque adulterant.

Sulpicius adulatoribus credit.

Exhortatio Elizabeth ad filium Sulpicium.

14. Dum prædicta aguntur, ELIZABETH mater Sulpicij senex & plena dierum, utpotè præsaga futurorum, de his quæ audierat pro filio gemebunda, Ambasio in domo sua juxta Ecclesiam sancti Thomæ ipsum » accivit; flebiliter ergo ad filium aiebat: Ut quid me in» consulta, fili, negotium aggressus es bellicum; an » quoniam decrepita sum me desipuisse putasti? Crede » mihi, viget sensus effœtis in visceribus, & laxa cutis & » ruga senilis vivacem adhuc fovet animum. Deindéque » nulli poteras referare consilium, qui te vel artiùs dili» geret, vel qui tibi discretiùs consuleret: quid enim » affectui materno comparari poterit? ROBERTUS frater

Digitized by Google

Regis Francorum, & alij multi Proceres cum insuperabili militia cum Theobaudo Blesis veniunt. Debueras « præponderare quàm grande aggressus es negotium : « decuerat te metiri cum qua insuperabili gente dimicaturus es : oportuerat te perpendere quòd copiæ quas undequaque corrogasti nullatenus tibi fideles sunt. Nostris in regionibus, os meum & caro mea, nomen tuum « satis dilatatum est, sed brachium tuum in istis nondum « approbatum est. Porro si matri consulenti acquiescéres, ab hac temeritate absisteres, téque gentémque « tuam huic præsumptuoso labori subtraheres. Dubium « enim cui parti potiùs Mars arriserit, nostris tamen magis timeo. Veterana illa in lacrimis deficiens, loquendi finem fecerat ; cùm filius jactabundus sic paucis respondit : Miror, mater, qua fronte de victoria prænuntiaris, cùm ipsi animis genti nostræ non debeant comparari. Et ego viros potentes & bellicosos habeo : ipsi « verò homines sunt, sicut & nos. Et dico, mater dulcissima, eventum rei meliora desiderans exspecta. « « «

Calvi-montem muniunt amici Sulpicij.

Rupium dominus, & RIDELLUS Rilliaci cum multis Nobilibus fortè fortuna evaserunt, arcémque Calvimontis cum superiori parte oppidi munierunt. Hostes verò eos subsequuti omnia quæ in burgo erant rapientes, rapina hostili onusti redierunt. Cohors Ambasiensium peditum in nemore latitans, ante horum maximam aciem venit, & licet fugiens hostibus præda oneratis pavendo occurrit, omnia quæ gerebant abstulit, & ex ipsis ferè ducentos captos Ambasiaco ligatos adducunt. Minatur Comes improbus, & præcepit, ne Sulpicius filiíque sui donec omnes capti solvantur comedant; quos omnes AGNES uxor Sulpicij timore & stupore perterrita absque consilio indiscreta reddidit. Blesis trepidum antea sollicitúmque de belli eventu lætitias agere, de THEOBAUDO fama præclara erat.

Abbasienses homines Comitis ducunt captivos Ambasiaco. Agnes uxor Sulpicij incarceratos reddidit.

16. Scribunt Ambazienses ad ULDINUM fratrem Sulpicij Jalviniaci dominum, & per quemdam cursorem cum omni supplicatione lamentabiliter implorant, ut commendata terra sua alteri eis succurrat. Dolet ULDINUS commune infortunium, & de ferendo auxilio quod petebatur satis anxiè tractat, terram suam ARCHAMBAUDO de Borbone commendat, citò Ambasio venit, terra illi tota traditur.

Uldinus frater Sulpicij venit Ambasium.

17. Igitur Comes THEOBAUDUS eo intentior omnibus modis festinare, cavere ne alicubi hosti opportunus fieret, meminisse invidiam post gloriam sequi. Itaque quo clarior erat, eò magis anxius neque post victoriam effusè prædari, sed cum valida manu volebat. Denique Consul quadam die adducens secum gentem non modicam Calvi-monti, ULDINUM & suos undique circumseptos & circumventos immaniter aggressus est, viríque Consulares & pedites Calvi-montem omnimoda telorum ingruentia expugnare moliti sunt. Igitur clamitabant in eos dentibus stridentes, & nunc sagittis, nunc ensibus, nunc lanceis, nunc missilibus eos impetebant, & à tectis domorum quæ vi occupaverant, saxa ruebant, alij intus ignem apponebant. Eo die Calvi-montenses viri-

Comes Calvi-montem obsidet.

Digitized by Google

liter se defenderunt, & Comes quibusdam ex suis interfectis, vico tamen oppidi à parte occidentali extra fossatum cremato, paucis etiam ex Arvernis militibus captis, inglorius discessit. Comes ab obsidione recedit.

18. Sæpe pro Sulpicio populus suus lamentabatur, qui plaudente fortuna multoties triumphaverat: tales tamen sunt bellorum eventus, tales sunt vicissitudines & hominum & temporum, nulli umquam semper successit feliciter, nemo umquam de continua prosperitate lætabitur vel lætatur. Hac de re & timenda & cavenda est in prosperis adversitas, & speranda & optanda est in adversis prosperitas. Proh nefas! hoc ipso Sulpicius maleficio affinis esse videtur, quòd omnibus bonis pulsus, dignitatibus exutus, existimatione plurium ob maleficium supplicium tulit. Nam Boëtio teste, hic cumulus nostris malis accedit, quòd existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum, eáque tantùm à Deo esse provisa judicat. Quæ felicitas commendaverit: quod fit ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quàm dissonæ & multiplices sententiæ sint de Sulpicio piget reminisci: dum enim miseris aliquid criminis affigitur, quæ perferunt meruisse creduntur. Infortunii Sulpicij.

19. Sulpicius Castroduno incarceratus, cujusdam nequissimi servi Bartholomæi Guyne custodiæ traditur, qui eum multis tormentis, diabolicis suggestionibus afflixit. Exigebat Comes ut Sulpicius Calvi-montem sibi redderet, aliter enim neque auri, neque argenti, neque alterius pecuniæ redemptionem pro ipso capere volebat. Quod quia amici & homines ejus facere renuebant, in catasta sæpe positus, paulatim deficiebat. Mœstissima tibi denuntio: Sulpicius noster absque justitia gravissimo & exquisito tormento ab impiis servis Consulis positus, nono Kalendas Septembris ab hac vita discessit: cujus corpus cùm Monachi Pontilevi deferre vellent, ut juxta antecessores suos honorificè sepeliretur, Consul qui tunc fortè aderat pro- Sulpicius Castroduno incarceratus & diversis tormentis affectus. Comes pro redemptione Sulpicij Calvi-montem petit, sed renuunt cives.

Digitized by Google

Sepelitur in Ecclesia sancti Valeriani.

hibuit. Tunc verò corpus illius in abdito patibulo frequenter vexatum, Monachi prædicti oppidi in Ecclesia sancti Valeriani decentissimo mausoleo tumulaverunt. Supradictæ verò proditionis seriem veritatémque ne latere posteros queat scripto mandavi.

Henricus Andegav. Comes contra Theobaudum atmat.

20. Interim HENRICUS Dux Normannorum & Aquitanorum, Comésque Andegavorum, consilio cum Paribus habito commodum duxit contra Theobaudum, qui sibi feodum de Fracta-valle auferebat, arma erigi. Itaque collecta militiæ manu contra Carnotensem, Blesensémque gentem rebellem semper sibi & æmulam, inter Vindocinum & oppidum quod Fracta-vallis dicitur venit. Illi de oppido foras progressi obviaverunt eis ad resistendum parati, laxisque habenis hostes viriliter aggressi sunt: utrimque acerrimè dimicatum est: Milites Ducis quoniam eis præter spem contigerat expavefacti, terga ferientibus præbuerunt, & fugiendo elabi voluerunt; fugáque inita GOFFRIDUS frater Ducis cum multis militibus captus est. Interea cùm ULDINUS satis strenuè ageret principatum, communicato cum matre & amicis consilio, fidelibus custodibus oppido Calvi-montis commisso, in terram suam quam cuidam propinquo suo ARCHAMBAUDO de Borbone regendam & custodiendam commiserat rediit; ubi dum ex more gaudens, & aliquantula prosperitate frueretur, certis deferentibus nuntiis arcem Calvimontis esse deletam didicit.

Prope Vindocinum præliatur.

Gofridus frater Comitis captus.

Uldinus redit ad sua. Arx Calvimontis deleta.

Theobaudus destructionem Calvimontis petit pro redemptione captivorum.

21. Audito ULDINUS tam miserabili infortunio vehementissimè tristis efficitur. Supra memoratus Dux HENRICUS cùm fratrem suum Goffridum Theobaudus nullomodo redimi permitteret, nisi prædicta arce deleta, monitu MATHILDIS matris suæ delere pepigit, tali tamen pacto, ut fratrem suum & filios SULPICII ceteróque captos competenti redemptione accepta deliberaret. Dux cum Ambasiensibus & matre puerorum locutus desiderium suum promissa restauratione oppidi

Digitized by Google

consummavit. Sic GOFFRIDUS frater Ducis & filij Sulpicij HUGO & HERVEUS cunctíque captihomnes liberati sunt.

Destructio Calvimontis, & liberatio Goffridi filiorum Sulpicij & aliorum captivorũ.

22. Verùm non longè pòst Dux cum Comite THEOBAUDO pacificatur, mortuóque STEPHANO Rege Anglorum jussu Ducis naves parantur; transfretavit HENRICUS, ab Anglis gaudens suscipitur, & in Regem inungitur. Eodem tempore ULDINUS versutias suorum ignorans, iter peregrinationis eundi ad sanctum Egidium suscepit, quidam proditores, ligij ipsius homines, eum odio latenter habentes, angustias quorumdam locorum occupant, transitum ejus opperientes, qui ipsum immunitum undique concludunt, & immiseriCorditer necant. Nuntius properat Hugoni innotescens de patrui nece & de decreta sibi ipsius terræ hereditate: dolet quidem de ejus morte, sed non minus festinat, avia sua ELIZABETH præcipiente. Qui adveniens terram illam & omnium militum hominium suscipit ac possidet. Nam longè post hæc ELIZABETH, quæ nepoti suo Salviniacum & quidquid in Arvernia diu possederat donavit, & quam longo tempore arthritica passio vexaverat, quinto Idus Octobris obiit, & Pontilevi sepulta est.

Henricus Rex Anglorum inungitur.

Uldinus in peregrinatione necatur à suis.

Hugo terram Uldini possidet.

Elizabeth obiit & sepulta Pontilevi.

23. Mirum & verum est quòd mens præsaga malorum homini data est. Nam sub quacumque parte mundi Ambasiensis adfuit, eo die quo SULPICIUS capitur, mœret, & causas ignorat, animúmque dolentem corripit, nesciens quid in perditione Mindraij perdat. Quidam namque juvenis ex nostris qui hospes in Apulia manebat, & alter Andegavis, muliérque Calvi-montis in Bitrico pago existens, hæc sibi contigisse mihi retulerunt. Hactenus mihi videor de HUGONE & filio suo Sulpicio ea quæ oculis meis vidi, & auribus audivi dixisse: de ceteris verò quæ diversis in scriptis reperi in unum compilasse, & stilo ingenioli mei non satis expolito convenienter explicasse. Credo autem de his multa præterita esse, sed ab illis qui sciunt meliùs

Mœstitia de morte Sulpicij.

Auctor de Hugone & filio ejus Sulpicio, scripsit ea quæ vidit.

Digitized by Google

Hugo & Hervæus filij Sulpicij.

ista quæritote. Quid homines de filiis Sulpicij HUGONE & HERVEO suspicentur videtis & scitis. Nos equidem quæ nota nobis sunt de facilioribus moribus HUGONIS, de pietate, liberalitate, bonitate in suos, ad præsens præterimus; Deóque opitulante librum istius historiæ claudimus, & sic soluto promisso quiescimus.

Digitized by Google

HISTORIÆ AFFLIGENIENSIS

LIBER PRIMUS.

Fundatio seu exordium Monasterii sancti Petri Afflegemiensis. AN. CHR. 1083.

PRÆFATIO.

QUIA labentium decursus temporum junioribus subducit memoriam præteritorum, perutile mihi visum est ad notitiam posterorum scripto mandare, quomodo, quo tempore, quibúsve fundatoribus Afflegemiense Cœnobium inchoatum sit, sicut ab eis accepimus, qui rebus ipsius interfuerunt, & ex eo tempore ad nos usque perduraverunt.

CAPUT I.

EO itaque tempore quo dissidium ortum est inter Papam GREGORIUM, qui alio nomine HILDEBRANDUS dictus est, & HENRICUM quartum hujus nominis Imperatorem, contigit sanctam Ecclesiam diversis necessitatibus & adversitatibus opprimi, & fatigari, quia capite ipso quod ex Regno & Sacerdotio constat, per morbum discordiæ infirmato, reliquum corpus à languore integrum permanere non potuit. Tunc siquidem simonia antiquarum hæresum sola superstes, tunc Presbyterorum conjugatorum irreverentia adeò in orbe prævaluerant, ut sancti Spiritus dona jam apud Principes

Ecclesia à schismaticis & simoniacis impugnatur.

Digitized by Google

sæculi essent venalia; & inter vitam laïcorum & Clericorum penè nulla foret distantia. Super hoc sequaces Imperatoris à sede Apostolica excommunicati, quos sibi communicare nolle videbantur, rapinis, tormentis, & ipsis etiam mortibus puniebant. Sed pius Dominus miseriæ suorum compatiens plures Religiosos suo spiritu inflammatos excitavit, qui sepem apponerent, & pro domo Israël in prælio starent. Horum unus fuit Wedericus Sacerdos & Monachus sancti Petri Gandensis Cœnobii, vir sæculari nobilitate, & quod majus est, Divina religione valde conspicuus, qui Apostolicæ Auctoritatis licentiâ roboratus, Flandriam & Brabantiam provincias circuibat, verbum Dei disseminando, & populum Dei à peccatis sua prædicatione convertendo: cujus admonitione sunt compuncti sex Milites, Gerardus scilicet cognomento Niger, in armorum strenuitate per has provincias tunc famosissimus, Cinelinus & Hargerus, necnon Wlbodo, Geldulfus quoque & Tibaldus. Isti sua omnia quæ injustè acquisierant relinquentes, Magistrum pauperum pauperes secuti sunt, & cum eo tribus ferè mensibus permanserunt. Deinde arctioris vitæ desiderio æstuantes, quid sibi deinceps agendum sit, eumdem patrem & Magistrum suum interrogant, quomodo remissionem peccatorum sibi jam ab eo repromissam à Domino percipiant.

A Monachis defenditur.

Vvedericus nobilis cõcionator.

Ad bonam frugem sex Milites traducit.

CAPUT II.

EOdem verò tempore dominus Anno Colonienſis Ecclesiæ Episcopus, qui totius Religionis studio præditus, actione & nomine apud Deum & homines insignis habebatur: ad quem prædictus Wedericus filios suos propriæ jam salutis avidos destinavit, atque ut secundùm ipsius præceptum & consilium iter suarum dirigerent actionum, constanter admonuit. Illi igitur ut erant docti absque mora Coloniam properantes, ad Episcopum perveniunt, prioris vitæ suæ statum detestabilem per humilem confessionem aperiunt, ac deinde pœnitentiæ remedium secundùm ipsius exquirunt arbi-

Digitized by Google

trium. Quibus ut erat vir summæ prudentiæ, ut ad locum patrati facinoris redirent persuasit, & ut locum quem rapinis innocentium antea maculaverant, voluntariâ afflictione Divino servitio manciparent, expedire sibi asseruit. Illic se denique Divinæ pietati bonis operibus conciliarent, ubi hanc ad iracundiam per illicita studia provocaverant, illic diabolo & actibus ejus renuntiarent, ubi pernitioso ejus servitio spontanea voluntate socii fuerant. His itaque tam salubribus beati viri animati responsis, ad natale solum conciti redierunt, & locum quemdam desertum, Afflegem dictum, in vigilia summorum Apostolorum Petri & Pauli, anno videlicet Incarnationis Dominicæ millesimo octuagesimo tertio convenerunt, ut secundùm viri Dei mandatum ibi pœnitentiæ labori insisterent, ubi priùs pœnitenda commiserant: qui locus solis latronum conventiculis & conspirationibus tunc aptus erat, tum quia desertus, tum quia itineri publico contiguus, per quod mercatoribus & peregrinis undequaque venientibus transitus erat; de quibus latrones in hoc vicino insidiarum loco constituti prædam agebant. Convenientes igitur tres tantùm panes & ipsos eleemosynâ acceptos, & unum caseum cum paucis ferramentis secum detulerunt, & illam terram desertam excolere cœperunt. Statuerunt autem primò juxta facultatem virium suarum permodicum oratorium, deinde domum pauperibus, necnon & aliam domum hospitibus supervenientibus, sibi quoque tugurium ad inhabitandum ædificare.

Consulit ut pœnitentiã agant.

Convenium Afflegemium.

1083.

Ubi spelunca latronũ.

CAPUT III.

POrro Miles quidam nomine GERARDUS, qui dicebatur Albus, in hac provincia crudelitate & robore opinatissimus extitit, qui etiam inter alia ferocitatis suæ indicia, Domino permittente, die quadam homicidii reatum ultroneus incidit; cumque peracto scelere domum rediret, inimicus humani generis illi in via apparuit, quem ex more suo horrenda visione afficiens, penè exanimem reddidit. Ille verò Dei super se judicium me-

Mira Gerardi conversio.

Digitized by Google

tuens, jámque illi cui diu servierat mancipatum se credens, cogitans tamen si quo modo jus illius posset evadere, ad prædictos fratres concito cursu pervenit, ibíque totius feritatis rabie depositâ, de lupo in agnum Dei gratiâ confestim mutatus apparuit, tantæque admirationis apud universos conversio ipsius extitit, ut alter alterius maximæ novitatis gratia hunc tam crudelem, tam immanem conversum esse referret, & pro tam subita illius immutatione tota provincia summo Deo gratias ageret.

Alia Henrardi.

Eodem quoque anno in Nativitate sanctæ MARIÆ venit ad eos Miles quidam HENRARDUS nomine, cui æquè ex pœnitentia homicidii sæculum omne viluerat, cœpítque explorare loci situm, & inhabitantium conversationem, cui cùm vivendi laboríque austeritas, & laborantium unanimitas placuisset, reversus domum suis omnibus renuntiat, & in proximo festo sancti Remigii veniens, de cetero cum eis remanere disposuit. His ergo sicut scriptum est; *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, cum magna dulcedine & tranquillitate cohabitantes, ad nihil intendebant, nisi quod animarum saluti proficeret, corpora verò vel manuum labore, vel fidelium eleemosynis sustentabant.

CAPUT IV.

Afflegemiū Militibus conceditur.

NE verò cœptis eorum aliqua Ecclesiastica persona vel sæcularis obstaret potentia, petierunt & impetraverunt assensum GERARDI Cameracensium Episcopi, HERBERTI quoque Clerici qui in Anglia manens Altare de Ascha tenebat, in cujus Parochiæ fundo iidem Fratres consederant; ADELA quoque Comitissa Lovanienſis super hoc interpellata, cum duobus filiis HENRICO & GODEFRIDO, quorum erat allodium, benignè annuit. Nec iis contenti, Imperatorem HENRICUM expetunt, & die quo primùm coronatus est, ipsius, Comitísque Palatini, ad quem pars allodii respiciebat, assensum quærunt & inveniunt.

Dum autem plus quàm necesse erat rem persequuntur,

Digitized by Google

nimia & simplici sua curiositate se undique expedire cupientes, impediunt; quia enim audierant quondam ibi mansisse aliquem Monachum Lobiensem, Lobium ad Abbatem venerunt, & ejus licentiam petierunt, qui licet nihil certi vel scripto vel alicujus testimonio de loco haberet, tamen ipsâ eorum postulatione in spem ejus adipiscendi inductus, omnino contradixit, nisi ejus ditioni & obedientiæ, & se & locum subjicerent: quod Fratres renuentes abierunt, ad Episcopum Leodiensem Henricum rem omnem diligenter aperiunt, rogantes ut Abbatem suæ petitioni conciliaret. Episcopus autem evocato Abbate, cùm nihil apud eum proficeret, vocati sunt nonnulli seniores Ecclesiæ Lobiensis, & cum eis de hoc negotio Episcopus agere cœpit: cúmque & ipsi valde resisterent, nec tamen aliquo argumento quidquam sui juris in loco demonstrare possent, Episcopus ad pacem utriusque partis firmandam, & controversiæ occasionem posteris amputandam, promisit se daturum Ecclesiæ Lobiensi commutationem ipsius fundi, & sic Abbas & Monachi assenserunt & exfestucaverunt. Sic Fratres in sua reversi cœpto instabant operi.

Lobienses Monachi se his opponunt.

Pactum cũ illis incunt Afflegemienses.

CAPUT V.

COeperunt post hæc vitam Monachicam & habitum desiderare, nil sibi superesse arbitrantes, per quod Deo propinquiores efficerentur. Adeuntes Episcopum Cameracensem GERARDUM, suum pandunt desiderium, postulantes ut eis aliquos provideret, qui eos ad ordinem desideratum instruerent. Episcopus autem ut erat vir pius, eorum devotioni congaudens, ipsos jussit edicere, de quo Monasterio sibi Magistros vellent assumere. Aquiscincti tunc recens extructi magna habebatur opinio, quia erat ceteris Monasteriis famosius, & fraterna charitate & sanctæ Religionis districtione. Hujus ergo Cœnobii Fratres sibi ad tempus accommodari petierunt, quos Episcopus cum mandatis suis & litteris Aquiscinctum dirigens, obsecrat Abbatem & Conventum, ut quod pauperes Dei ad ipsius honorem petebant, absque

Monasticũ habitum & Magistros expetunt.

Digitized by Google

Mittuntur Aquiscinctini.

retractatione concederet. ALARDUS primus Abbas ejusdem loci tunc præerat Dominico gregi, qui tam Episcopali auctoritati, quàm Fratrum charitati obediens, sperans quoque per hanc occasionem locum qui construebatur sibi subjiciendi, cum eis Priorem suum nomine TITUBALDUM, & alium Fratrem RODULPHUM dictum: qui cùm venissent, admodum delectati sunt loci situ & amænitate. Nec multo pòst mandaverunt Abbati suo ut veniret, & locum consideraret: Abbas verò certum sui adventus denuncians diem, jussit ut Tornaci cum equis sibi occurrerent, & inde Afflegem usque deducerent. Cùm ergo sicut dispositum erat adductus, in vigilia Ascensionis Domini venisset, placuit & ipsi tam cœptum opus, quàm loci situs.

CAPUT VI.

Fulgentius S. Agerici Monachus venit Afflegemium.

COntigit ut ipsa die superveniret Dominus FULGENTIUS, qui postea Dei dispensatione Abbas est constitutus, qui ex Brabantia oriundus, Monachus autem sancti Agerici Cœnobii Virdunensis, Dominicis castris ferè per annos duodecim irreprehensibiliter militaverat. THEODORICO autem civitatis ipsius Episcopo propter Imperatorem excommunicato, cùm Abbas Cœnobii, & Fratres ceteri ejus se abstinerent communione, nec vellent excommunicati subdi obedientiæ, facta est magna Fratrum dispersio, ita ut Monasterium tunc celeberrimum pene redigeretur ad nihilum. Tunc itaque & iste, de quo nobis sermo est, discedens, in patriam rediit adjuncto sibi socio quodam nomine HERIMANNO. Auditâ autem famâ hujus novellæ constructionis, crebrò illuc veniebat, & voluntariam spiritus paupertatem, & corporalem in laboribus humiliationem, in diversis videns admirabatur, admirans delectabatur, in tantum ut stabilitatem perpetuò inibi firmare deliberaret. Hic itaque sicut prædictum est, ipsa die quo & Abbas Aquiscinctinus advenit, sic quasi deinceps cum eis jam permansurus, die posterâ, qui gloriosa Domini Ascensione celebris erat, Abbas benedixit vestes Mo-

Digitized by Google

nachicas, & duobus ex illis Henrardo scilicet & Gerardo, demoratúsque ibi non plus duobus vel tribus diebus abiit. Cùm autem post dimidium ferè annum Monachos suos revocasset, Domnus Fulgentius adscito socio suo Herimanno cum iis Fratribus remansit, eósque de hiis quæ Monastico ordini, & animarum saluti congruebat, instruebat.

CAPUT VII.

1086. Gerardus Camerac. Episcop. consecrat Monasterium.

ANno ædificationis cœptæ quarto evocaverunt Dominum Episcopum Gerardum, qui veniens dedicavit locum in præsentia Domini Comitis Henrici, qui eum & libertate donavit, & viginti mansis terræ auxit. His felicibus studiis invidens inimicus totius boni diabolus, eos impedire tentabat, quia si res ad perfectionem venisset, prævidebat multos sibi subripi, & Dominicis castris aggregari. Corrupit ergo unum ex primis, quos superiùs nominavimus, fundatoribus, scilicet Wlbodonem, eúmque suis suggestionibus supplantatum discedere compulit, sicut Judam de Apostolorum collegio, vel Nicolaum de Diaconorum consortio eliminavit. Hic ergo cùm abiisset, & quasi canis ad vomitum reversus, sæculo se rursus immersisset, non post multum tempus venit ad Monasterium, exquirens ut omnium quæ in loco elaborata fuerant, pars sexta sibi daretur, se priorum sextum, ideóque rerum partem sextam ad se pertinere affirmans. Cui ex consilio Domni Fulgentii Fratres respondérunt, eum quamdiu cum ipsis permansérat, omnia habuisse communia, quia verò sua sponte discessérat, eum in communibus portionem habere ulteriùs non posse. Ille cùm nihil profecisset, repulsam suam volens ulcisci, perrexit ad Theodoricum Virdunensem Episcopum, accusans duos Monachos de ipsius Episcopatu fugisse, qui in Brabantiam venientes, multa nefanda tam de ipso quàm de Imperatore diffamarent; ideóque expedire ut inde effugarentur, ne per eorum criminationes & Imperialis Majestas, & ipsius auctoritas vilescéret. His mendosis accusationibus ni-

Vulbodo deserens vitam Monasticam socios suos persequitur.

Digitized by Google

mium credulus Episcopus, scripsit Gerardo Episcopo Cameracensi, ut Monachos illos de loco expelleret, nec in finibus Episcopatus sui alicubi consistere permitteret. Episcopus verò GERARDUS, licet Fratribus & loco, quem ipse jam dedicaverat, multum faveret, tamen propter metum Imperatoris, cujus dono Episcopatum acceperat, simul propter Episcopum Virdunensem, quem apud Imperatorem sibi & prodesse, & nocere posse sciebat, indixit Fratribus ut discederent, nec ulterius in sua Diœcesi remanerent. Hoc præceptum Fratres ægerrimè ferentes, cùm jam alibi auxilium non invenirent, confugerunt ad Archiepiscopum Remensem REONALDUM, qui & unde essent, ubi consedissent, quid ab Episcopo Cameracensi pro falsa perversi hominis delatione perpessi essent, diligenter exposuerunt. Archiepiscopus autem auditâ eorum causâ, compassus est injustæ eorum afflictioni, mandavítque Episcopo Gerardo, præcipiens in virtute obedientiæ, ut à pauperum Christi infestatione desisteret, nec eos ultra vexare præsumeret. Sic optatâ securitate Fratres potiti, nullam deinceps molestiam passi sunt ab Episcopo. Sic itaque Dominus suorum adjutor & protector in omnibus cum misericordia maximè in tribulationibus præsto est, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, insurgentes adversarii insidias adnihilando comminuit, atque injustas suorum oppressiones potenti dexterâ sedando coërcuit.

Jubentur Afflegemienses loco cedere.

Eos protegit Archiep. Remensis.

CAPUT VIII.

IN eodem quoque anno, scilicet inchoante ædificationis quarto, quidam Clericus egregiæ indolis Adolescens nomine ARNULFUS, instinctu Divino tractus, in Assumptione sanctæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis MARIÆ adveniens, pusillo gregi conjungitur: qui in sancta professione annis pluribus irreprehensibilis degens, postmodùm industria sua & ingenio, consilio & auxilio eidem Ecclesiæ plurimum profuisse dignoscitur: siquidem ab adolescentia sua usque ad diem mortis suæ, annis

Arnulfus ex Clerico fit Monachus.

Ejus acta.

Digitized by Google

annis circiter sexaginta quatuor in vinea Domini haud segniter laborans, ardore sancti propositi succensus, pondus diei & æstus fortiter pertulit, nobisque suæ patientiæ immo perseverantiæ imitabile satis exemplum dereliquit.

Ab anno verò quarto usque ad sextum, duobus scilicet annis, in maxima tranquillitate & quiete secum commorantes, & quàm dulcis sit Dominus aliquid jam ex parte præguſtantes, in sancto proposito certatim fervebant, numero quidem Fratrum his duobus annis non multum augmentati, sed magis ac magis virtutibus adaucti, institoris instar Evangelici venditis omnibus pretiosam margaritam tota intentione comparare gestiebant. Quis etenim enarrare sufficiat, quanta eos concordia charitatis conjunxerit, cùm quis proximũ suum tamquam seipsum ad altiora quæque & meliora virtutum studia promovere contenderit? Patientiam namque ipsorum enarrare necesse non existimo, quam in laboribus & ærumnis, in tanta virtute ac vestitus austeritate & inopia, in destruendo & construendo omnibus sanum sapientibus esse notissimum non ignoro. Nonnulli etenim qui spiritum Dei non habebant, laborum nimietate in fugam convertebantur, sed hi quos vera Dei charitas accenderat, visâ improborum ruinâ, ut in Job legitur, territi purgabantur. Afflegemiensium sancta conversatio.

Sexto autem anno odor tantæ Religionis diutiùs latere non valens, foras erupit per provincias, per civitates, per vicos & castella, se tantarum virtutum fragrantia circumquaque respersit, adeò ut exteros quosque ac remotos è suis sedibus evocatos, in admirationem ac venerationem servorum Dei accersierit.

Cœperunt igitur plurimi tam Clerici quàm laïci ad eos confluere, alii quidem conversionis desiderio, alii autem ut servorum Dei se devotè commendarent patrocinio: in tantum siquidem illo anno numerus eorum Deo auspice succrevit, ut inter Clericos & laïcos duodenarii numeri perfectionem collegium ipsorum attingeret.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Abbate eligendo agunt.

VErùm quia patris spiritualis auxilium sub quo sacræ militiæ signa ferrent, cui vice Christi in omnibus obedientes essent, minimè habebant. Cœperunt super hac re anxiè nimis æstuare, & de electione Abbatis sedula secum relatione pertractare. Duo verò prædicti Monachi Domnus videlicet FULGENTIUS, ejusdem socius nomine HERIMANNUS Abbatis sui scilicet Domni RODULPHI in hoc negotio, consilio, & auxilio niti disponebant, tum quia prudentia & religione penè cunctis temporis illius Abbatibus eminebat, tum quia primitus sub ipso sacri propositi habitum susceperant. Consilio igitur inito Domno FULGENTIO domi à fratribus retento, cum prædicto Herimanno, Gerardum Nigrum in festivitate sancti Lamberti, in occursum Abbatis Leodium dirigunt, quibus ut quemdam ipsius Monachum nomine Laurentium de hac provincia exortum, qui dudum in ipsius Cœnobio Prioratus officio fungebatur, sibi eligerent, innuit. Prædicti autem fratres Leodium venientes, Abbatem, ut sperabant, repererunt, quem convenientes, causas sui itineris exponunt, ejúsque consilium & auxilium requirunt, prædictum Monachum si suæ non displiceret prudentiæ, Abbatem sibi donari expetunt. His auditis Abbas, ut erat vir prudens ac providens, Dei nutu sanius atque utilius consilium illis proposuit, illúmque potiùs eligendum, quem sibi superna dispensatio destinaverat Domnum videlicet Fulgentium constanter admonuit. Quod onus ne fortè, ut vir mansuetus & humilis excusare perseveraret, litteras ei sua auctoritate signatas per eosdem fratres in testimonium direxit, mandans ei atque præcipiens, ut omni excusatione remotâ, Dei voluntati & Fratrum electioni quantociùs assentiret: Monachum verò quem ipsi petebant, se nullatenus accersire posse asseruit, eo quòd prædicta ejusdem Cœnobii Fratrum dispersione, ipse cum aliis in exteram remotámque provinciam abierit. Talibus igitur

Rodulfus Abbas ab Affligemiensibus rogatus Fulgentium eis præficiendum proponit.

Digitized by Google

responsis ejus atque consiliis prædicti Fratres admodum exhilarati, litterarúmque auctoritate roborati, vale invicem dato, festinatò domum redierunt, & rem gestam omnino occultantes atque cælantes, tamquam nihil actum esset, paucis diebus conticuerunt: dicebant enim, si ei rei gestæ series alicujus opinionis indicio nota fieret, tale officium declinare malens quàm suscipere, clam fugam arriperet.

CAPUT X.

Quomodò se præparant ad electionẽ Abbatis.

IAm autem circa festum Omnium Sanctorum rursus clamor Fratrum exoritur, se nihil absque Pastore agere grex devotus conqueritur: atque tandem ex consensu omnium in festivitate sancti Martini dies electionis constituitur. Prævenientes igitur hunc diem orationibus & eleemosynis, jejuniis & vigiliis, durísque verberum castigationibus, quotidianis lacrymis interpellabant sancti Spiritus gratiam: nè per antiqui hostis invidiam, tantam Fratrum aliquatenus pateretur dissolvi aut turbari concordiam. At pius Dominus qui semper prope est omnibus invocantibus se in veritate, timentium se voluntati tantis interpellatus precibus obtemperavit, & ut sequitur in eodem psalmo, diligenter se ab omni subreptione discordiæ custodivit. Quid plura? condicta dies aderat in qua humilis ille Conventus Pastorem sibi eligere decreverat. Præmissa igitur oratione ex more in Capitulum veniunt, congrua causæ & tempori tractare incipiunt, miróque modo in unam sententiam omnes vóces, voluntatésque conveniunt, Domnum FULGENTUM divinitus destinatum hoc honore & officio dignissimum judicamus: hunc nobis Pastorem & Patrem una voce omnes eligimus. Ille autem utpote vir miræ humilitatis è contra varias ac diversas excusationes prætendit, Pastorali se officio indignum cum lacrymis asseruit: postremò se nulla ratione id onus suscepturum fore multis assertionibus affirmavit. Hæc eo cum lacrymis perorante prædictus Frater Herimannus protinus surrexit, Ab-

Fulgentius ab omnibus acclamatur Abbas.

Hanc dignitatẽ refugit Fulgentius.

Digitized by Google

batis sui litteras hactenus occultatas in medium protulit, præceptum obedientiæ, periculum inobedientiæ, ei palam intimavit, & ut petitioni Fratrum in Abbatis sui assensum præberet admonuit. Sed ut solent simplices quique in mentis suæ proposito quandoque esse pertinaces, ipse sententiam suam nullatenus immutare voluit, quia plorando, clamando, ejulando, petitioni eorum resistere se posse credidit. At illi mira constantia semper in eadem voluntate stabiles persistebant, ac tandem zelo Dei interiùs commoti, in hanc vocem erumpebant: Dominus, inquiunt, qui te nobis servis suis licet indignis provida dispensatione destinavit, qui omnium nostrum voluntates consilio & præcepto Abbatis tui concordes effecit, ipse te procul dubio & præesse & prodesse disposuit. Sed quid multa? Si plus restiteris, compulsus vim patieris: jámque velis, nolis, nobis Pater noster efficieris. Hiis dictis inceptâ spalmodiâ congruâ consurgentes, unanimiter in eum irruunt, manus injiciunt, ac piâ violentiâ ferendo potiùs quàm ducendo ad altare pertrahunt atque cætera, ut moris est, regulariter in eum per vim adimplentes, in sede Abbatis statuunt. Ille verò ut excusationis & contradictionis suæ humilem pertinaciam spe & effectu frustratam perpendit, timens nè ipse eis prima perturbationis causa existeret, tandem importunitate eorum convictus, acquievit, onúsque sibi impositum licet invito cum metu & reverentia suscepit.

Tandem invitus suscipit onus.

CAPUT XI.

Contigit interea nutu Dei ut quídam Clericus de Flandria oriundus, vir forma, scientia, genere, omníque probitate conspicuus, nomine Hugo, hujus Cœnobii famam virtutum audiret, audita videre satageret; visis verò, votis omnibus interesse concupisceret. Veniens igiturut, ut dictũ est, penè majora quàm fama vulgaverat, reperit, atque vera esse omnia quæ audierat contestans, de stabilitate sua cum eis firmanda protinus tractare cœpit. Fratres ergo de tam reverendæ personæ ad-

Hugonis Clerici cõversio.

Digitized by Google

ventu summo Pastori gratias innumeras referentes in Domino plurimùm lætabantur: atque ut pium desiderium, quod mente conceperat, effectu quantociùs adimpleret, crebriùs hortabantur. Ille verò monita salubria quemadmodum bona terra excepit, & stabilitate sua ut suggerebant apud eos firmata, fructum satis uberem postmodum ex se produxit.

Abbas autem quia nondum secundùm consuetudinem Ecclesiasticam Pontificali benedictione confirmatus erat, compulsus à Fratribus Cameracum cum suis iter arripuit, atque hunc Hugonem, de quo nobis sermo est, Clericali adhuc amictum schemate viæ suæ Comitem habuit. Cameracum igitur venientes, Abbas quidem in festivitate sancti Gregorii anno septimo Pontificali benedictione & auctoritate sua confirmatus, prædictus autem Clericus Diaconatus ministerio sublimatus est. Peractis igitur muneris sui negotiis cum prosperitate redeunt, compertóque quòd secundo Sabbatho Tornaci futura esset ordinatio, sæpe dictum Clericum ordinandum Presbyterum sub celeritate eo dirigunt. Adepto autem Presbyteri honore, ad prælectum sibi locum concitus rediit, ubi depositâ pompâ sæcularis habitus, ac diu sibi desideratum cupiens indumentum, naufragium sæculi hujus felici cursu nudus evasit. Cœpit itaque totius religionis ac probitatis studio esse primus, qui conversionis ordine fuit extremus. Fratres igitur quando tantarum virtutum germina in eo succrescere conspexerunt, communi consilio & consensu Prioratus ei officium conversionis suæ die decimo quinto tradiderunt. Sic denique, ut scriptum est; *Qui se humiliat exaltabitur*: Quando postposito fastu hujus sæculi ad humilem pauperum Monachorum conversionem secundùm humanos intuitus descendit, infra unius mensis circulum, ad Diaconi, Sacerdotii, Prioratúsque apicem gradatim ascendit. Sublimatus autem hoc honore studebat per omnia Abbati se subdere, præceptis illius in omnibus obedire. At contra Abbas non se tamquam dominum aut magistrum illi prætulit, sed humanitatis atque fragilitatis hu-

Fulgentius Abbas consecratur.

Digitized by Google

manæ participium prudenter attendens, se servum ac ministrum per obsequii humilitatem non solùm illi, sed & omnibus aliis exhibuit. Quanta tunc subjectos charitas & concordia conjunxit, quando ipsos etiam Prælatos tamveræ humilitatis pax & amor univit? Aut quod discordiæ scandalum subjectis umquam subripere poterat, ubi ipsi etiam præpositi de inferiori loco contendebant? Sic itaque alter alterius onera devotissimè portans, cum charitate & sollicitudine gregis sibi commissi curam annis ferè triginta quinque usque ad obitum videlicet Domni Fulgentii gerebant, quem regularibus insistere disciplinis omni tempore, quo pariter incolumes perdurabant, verbis simul & exemplis incessanter commonebant.

CAPUT XII.

Heribrandus Princeps mundo vale dicit.

COntigit interea Dei gratiâ, qui revera mavult peccatorum conversionem, quàm mortem, ut Princeps quidam vicini castelli, vir secundùm seculi hujus fastum genere inclytus, prædiis & possessionibus ditissimus, omníque sæculari dignitate præditus, nomine HERIBRANDUS, transitoria & caduca fastidiret, & veras divitias, quæ non minuuntur, tota aviditate quærere disponeret. Nocturna etenim visione turbatus ac territus anhelabat conversionis suæ desiderium accelerari quantocius. Ordo autem visionis, ut dicitur, talis erat. Dormiens cum uxore sua nomine ADELA, admodum religiosa & honesta femina, videt se subitò tremendo Dei judicio præsentatum, auditum, damnatum, atque ab impiis tortoribus ad loca tormentorum violenter pertractum. Ille autem tam tristem pavescens sententiam, cœpit præ nimia spiritus anxietate corporali luctu perpetuam loci sibi designati meditari tristitiam: cúmque nullum sibi præsidium, nulla spes supereſſet, sed jam in horrenda barathri illius voragine se demergendum sibi desperatus crederet, confestim illi sanctus Petrus Apostolorum Princeps apparuit, trementémque blandè consolans, pavo-

Digitized by Google

rem ejus his verbis compescuit: Ne timeas, inquit, « Heribrande, ne timeas, sed de his tormentis te mea in- « tercessione & auxilio redimendum incunctanter scias. « His visis evigilat, conversusque ad conjugem, gravi se somno territum adhuc spirans affirmabat. Cui illa, nescio, inquit, quod aut quale fuerit somnium, sed magni timoris atque doloris adhuc evidens in te perseverat indicium; cui ille visionem ex ordine retulit, atque in fine subjecit: Decet, inquit, certè beatissimo Petro, qui mihi in tanta necessitate licet indigno fideliter adstitit, grates dignas referre, pro innumeris beneficiis devota obsequia rependere, atque deinceps vitam sic agere, ut tam terribilem sententiam possimus evadere: & ut tibi voluntatem meam patenter aperiam, ex hoc jam si mihi consenseris, relicto sæculo, summo Regi, & glorioso ejus Apostolo fideliter deserviam. At illa, absit, inquit, ut tam piæ voluntati ullatenus resistam, ut saluti tuæ immo meæ contraria existam: quin etiam quidquid boni facere disponis, secundùm vires meas cooperatrix effecta libenter assentiam.

Agnito autem tam facili consensu conjugis, lætus admodum effectus, diem perficiendi propositi certum constituit, in quo universæ familiæ suæ comitatum ultimum eis valedicturus in unum collegit. Accinctus itaque ultimo militiæ cingulo, erectóque vexillo proprio armatus, videlicet contra spirituales nequitias, subsequentibus amicis & cognatis, velut ad bellum iturus Afflegem properat; ingressusque Ecclesiam beati Petri, non jam cum uxore, sed cum sorore sua, depositâ veste militiæ omnipotenti Deo & præelecto ejus Apostolo in æternum servum se mancipat, sicque libertatem sæculi pro Dei servitio felici oblatione uterque commutavit. Tradidit ipso die eidem Ecclesiæ coram testibus patrimonii sui quod habebat in Flandria quamdam portionem, quâpropter inconvenientiam & distantiam locorum ibidem venditâ, eodem argento hîc in vicinia sibi aliam terram comparavit. Verùm quia filii eorum necdum creverant, sed adhuc parentum consilio & auxilio indigebant, ma-

Fit Monachus Afflegem.

Digitized by Google

ter ad prospectum imbecillitatis eorum, licentiâ domni Abbatis interdum ad consulendum eis descendit. Pater verò quoad vixit in Dei servitio stabilis permansit. Ut ergo omnibus notum fieret, quanta Dei elementia ac pietate ad sanctum propositum accersitus immo tractus fuerit, infra tricesimum conversionis suæ diem febre correptus, in vera confessione vitæ hujus diem ultimum clausit. Prædicta igitur conjux post admirabilem viri sui conversionem, tam celerem subsequi cernens remunerationem, misericordi Domino, qui mirabiliter traxit quos ad vitam præordinavit, tota alacritate ac devotione benedixit, atque in ejus sancto servitio residuum vitæ suæ tempus sub sanctæ religionis habitu peregit.

CAPUT XIII.

HÆc siquidem de domino HERIBRANDO, & generosa ejus conjuge secundùm temporis nostri necessitatem paucis perstrinximus: nunc autem qualiter filii ejus patris sunt vestigia subsecuti, sermonem protendamus.

Quinque filii Heribrandi Monasticam vitam arripiunt.

Quinque filiorum ejus, diversis licet temporibus & ætatibus, ad nos convenerunt, diversas singillatim patrimonij sui portiones in unum nobis collegerunt, unum universi, Deum videlicet qui dederat per se heredem reliquerunt: quorum alius conjugatus carnales voluptates & illecebras vilipendens, relicto sæculo cum uxore & filiis Dominicum gregem majori numero adauxit, & ampliori prædiorum possessione ditavit. Alius post obitum conjugis cum filiis & filiabus divinam militiam arripuit. Alius à conjugii immunis vinculo eo devotiùs quo liberiùs divinis se servitiis mancipavit. Horum duo primi non nativitate quidem sed conversione, INGELBERTUS videlicet atque SIGERUS primo juventutis flore vernantes, cùm jam mundus eis arridendo blandiretur, lenocinia ejus nihil ducentes, conjugii vinculum velut desiderii sui impedimentum contempserunt, atque in Domino potiùs quàm in mundo delectari, Monachi effecti, æterni

Digitized by Google

æterna magis quàm transitoria appetierunt: possessiones quoque suas ex integro Monasterio conferre decreverunt; sed divinæ providentiæ sententiam quis immutare poterit? ipsi etenim qui tunc non sua per vim diripuerunt, postmodum non solùm injustè sublata, verùm etiam universa proprio juri debita, immo & ipsi seipsos eidem Ecclesiæ, cui damnum intulerant, restituerunt.

Paucis siquidem interpositis annorum circulis frater eorum dominus FOLCARDUS, qui nativitate primus erat, infirmitate præventus, fratrúmque suorum juniorum exemplis provocatus, ipsorum vestigia subsequitur, qui ex eadem infirmitate convalescens, tantò postea in sancta conversatione vixit devotiùs, quantò diutiùs fuerat in sæculo commoratus. Octo bouaria patrimonii sui Ecclesiæ tribuit, reliqua omnia filiæ suæ licet invitus reliquit: cujus conversioni frater ejus dominus ONULPHUS adversatus causæ nostræ & utilitati plurimum restitit, atque inter alia contradictionis & elationis verba se numquam Monachum futurum, etiamsi sciret se vivum ad tartara deducendum, cum juramento affirmavit. Non pòst multo autem & ipse Onulphus gravissima infirmitate corripitur, metu mortis anxiatur, conscientia accusante turbatur, & quia de corporis salute spem prorsus omnem perdiderat, quodcumque animæ suæ remedium sollicitè perquirebat. Quid plura? Omni timore depositò, juramentíque pœnitens temerarii, habitum sanctæ Religionis, quem pridem detestatus erat, cum omni humilitate & modestia petiit, atque ad sæpe dictam perductus Ecclesiam, se & uxorem suam nomine GERTRUDEM cum duobus filiis GODEFRIDO & WALTERO, & una filia cum universis possessionibus & substantiis suis Deo vivo & vero devotissimè commendavit, atque in brevi sub eadem pœnitentiæ devotione vitam finivit. Filii autem litteris traditi, subsequente eos gratia Divina, gradum sacerdotii sunt adepti. Postremò dominus ARNULFUS & ipse Divini jaculo timoris salubriter saucius, cum duobus æquè filiis, &

Digitized by Google

totidem filiabus adveniens, possessiones à fratribus sibi collatas, suis super additas ampliùs dilatavit.

CAPUT XIV.

Ingelbertus de Calfstert se & sua Monasterio tradit.

HOrum igitur conversione descripta necessitatis causa ordine præpostero pauliſper utamur, atque ad dominum INGELBERTUM de Calfstert fratrem domini HERIBRANDI edisserendo regrediamur. Hic itaque Ingelbertus cùm quoddam sui juris castellum ab hostibus injustè pervasum cum suis satellitibus viriliter, ut erat vir in armis strenuus, defendere niteretur, ictu lanceæ graviter vulneratus, claudus efficitur: grandi ergo bellorum impulsu diu multúmque defatigatus, tandem introrsus ad semetipsum prudenter rediit, & quoniam qui foris nullam, reperit interius secum pacem, pacto piæ conversationis confirmare proposuit. Salubri denique exquisito consilio de conversatione sua secum cogitavit, fratrésque prædicti Cœnobii suæ ædificationis gratia crebra visitatione & collocutione frequentabat, audiénsque ab eis quod salubrius erat, secundùm possibilitatem suam factis adimplere gestiebat; sed tamen intolerabilem bonorum suorum jacturam ægrè ferebat: Nam Ecclesiæ quidem in qua se Deo famulaturum voverat, omnia sua conferre desiderabat, sed quia ab hostium impetu & infestatione ea expedire nullo modo poterat, quid utilius sibi eligeret omnimodis ambigebat. Tandem verò perpendens sibi utilius fore atque salubrius, ut ex hiis aliquid saltem commodi Fratribus conferret, quam universa simul hostibus deprædanda relinqueret, Comitem HENRICUM qui summum tunc locum in his finibus obtinebat, adiit, atque universa quæ sui juris erant, in manus ipsius tradidit: pro quibus idem Comes quatuor suos Milites in confinio prædictæ Ecclesiæ cohabitantes cum universis possessionibus suis in usum Fratrum illi retribuit, SIGERUM videlicet atque fratrem ejus HERMIANNUM de Ecclegem, TITUBALDUM de Thidalmont, atque RENIZONEM, cognomento Ridder-

Ingelbertus graviter vulneratur.

Digitized by Google

man, venatorem scilicet suum. Post hæc licentiâ ab eo acceptâ Afflegemirum reversus statimsæcularem habitum mutavit, & jam cunctis superior hostibus perpetuæ sibi pacis firmavit chirographum.

CAPUT XV.

Quanta Ingelberti humilitas & paupertas.

SUb quanta verò humilitate & mansuetudine sanctum peregerit propositum, ad nostram ædificationem paucis intimandum videtur. Siquidem vir tantæ nobilitatis & nominis asinos cum annona Fratrum ad molendinum minavit, & ut mos est infimis servulis, panem suum in sinu gestans hora prandii super saccum suum tamquam super sedile stratum tapetibus residens, epulas quas sibi attulerat cum gratiarum actione sumpsit, omnibus & servulis quos illic reperit, qui servitio ejus pene videbantur indigni, ceu fratribus benignè communicavit. Sed hæc parva sunt, nam calceamenta Fratrum ipse lavit, ipse egregiis manibus suis perunxit, famulorum suorum pedes insuper ipse sæpissimè abluit. Sed & hoc parum est, unum adhuc referam, quod totius humilitatis mihi videtur transcendere normam. Quadam denique die nullo sciente aut præcipiente locum necessariorum inferius à sordium fætore mundare cæpit, cùm ecce unus è Fratribus id fortè aspiciens ad Abbatem venit, dominum Ingelbertum illic stare, id agere nuntiavit. Territus Abbas concitus foras exiit, atque venerabilem virum prædicto insistentem operi reperit, ac præ stupore nimio stupefactus in hanc vocem erupit: Quid agis, inquit, Frater, quid agis? at ille demisso in terram vultu; operi, inquit, valde necessario, venerande Pater, insisto. Abbas autem tantam illius admirans humilitatem quantocius eum exire compulit, ac ne diutiùs huic operi insisteret, sub interminatione prohibuit. Tunc ille, libenter, inquit, Pater amabilis, cœptum opus perficerem, nisi mandatum vestræ sanctitatis transgredi formidarem, verumtamen ut jubetis faciam.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ejus mansuetudo & patientia.

MAgna siquidem secundùm sæculum nobilitas & dignitas ejus exstitit, sed ut veram dignitatem acquireret, oblitus quodammodo quod fuit, omnibus se inferiorem & viliorem per humilitatem constituit. Numquam quis illum iratum vidit, numquam murmur ex ore ejus personuit, numquam plus se alio honorari permisit. Quadam denique die ex itinere rediens, tam corporis debilitate, quàm siti & esurie pene defecerat, cùm unus de Fratribus illi occurrens si comedisset interrogat; qui nequaquam se comedisse affirmabat: Cui Frater ait, ibo igitur & prandium vobis præparabo, ipse autem quasi ludendo respondit: ite, inquit, ite, & bonam nobis refectionem præparate. Sequenti verò die se de hoc verbo recognovit, ac tantillum propriævoluntatis ac desiderii sibi subrepsisse graviter ingemuit. Talibus igitur ac tantis virtutibus pollens, ac possessiones Ecclesiæ quotidie dilatare cupiens, prædictum Comitem Henricum rursus adiit, utque ea quæ pridem dederat, augmentanda suggessit, cujus precibus pius Comes benignè, ut decebat, annuit, eíque ea quæ nunc Wavere possidemus in usus Ecclesiæ in perpetuum tradidit.

CAPUT XVII.

Godefridi Bullonii expeditio Hierosolymitana.

COntigit interea ut duo filii dominæ IDÆ Bolonienſium Comitissæ, Dux videlicet GODEFRIDUS & frater ejus BALDVINUS, qui uterque postea unus post alium regni sceptro potiti sunt, Jerosolymam proficisci disponerent, in id ut loca sancta quæ ab infidelibus & impiis obsessa tenebantur, Dei adjutorio per manum validam Christianæ Religioni restituerent. Coadunantes igitur longè latéque fidelium exercitum, in hujus quoque provinciæ terminos convenerunt, in qua plerisque pauperibus Cœnobiis de propriis patrimoniis larga beneficia contulerunt. Quo comperto frater Gode-

Digitized by Google

fridus cognomento Niger, quoniam ante conversionem suam memorato Duci Godefrido notus erat, Gandavum ubi fortè tum venerat, illi obviam properat, quem ut in reditu suo hospitandi gratia Afflegemium divertat, multis precibus expostulavit. Dux autem religiosus ac pius preces tam devotas parvipendere noluit, sed mox dispersо pene exercitu hac illácque, nè multũ per ipsum Fratres gravarentur, cum fratre suo Comite Balduino atque Comite Godefrido, qui postea Ducatus vexillum strenuus gessit, & cum reliquis quos secum detinuit, ad memoratum Cœnobium declinavit.

Venit prius Afflegemiũ ac munera confert.

Susceptus igitur à Fratribus cum debito honore & reverentia, omníque illi humanitate exhibita, volens beneficiis Fratrum vicem rependere, cum Optimatibus suis ad Altare sancti Petri accessit, ibíque quinque patrimonii sui mansos in loco qui Huglintrau dicitur, concedente fratre suo Balduino eidem Ecclesiæ juxta statuta Principum legaliter obtulit. Verùm quia frater eorum Comes Eustachius huic donationi non intererat, non parvus metus Fratribus omnibus inerat, ne post discessum eorum aliquid ab eo paterentur adversitatis incommodum. Inito itaque Consilio Fratres quidam ex ipsis Boloniam properant, atque hoc fratrum suorum beneficium sua auctoritate corroborari expostulant. Ille autem non solùm fratrum suorum donationi non restitit, verùm etiam quidquid sui juris erat superaddens, ratam & inconcussam, matre sua annuente, immo compellente, in perpetuum statuit. Porro Nobilium filiorum mater æquè generosa ac nobilis, in hiis postea finibus iter agens, apud idem Cœnobium hospitium sibi elegit, atque inter cætera largitatis suæ beneficia Altare de Genapia, quod sui juris erat, liberè & ab omni absolutum exactione Fratribus devotissimè tradidit.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Fraxinia datur Afflegemio.

FRaſne autem poſt hæc dedit nobis quædam Matrona nobilis nomine EREMBERGA cum filiis ſuis pro ſua, parentumque ſuorum animabus. Anſele verò Domni Fulgentii Abbatis frater carnalis, nomine ADUN, ante converſionem ſuam propriis impenſis conſtruxit, terram circumjacentem quam nunc uſque poſſidemus, ſuo argento comparavit, perfectíſque ibidem velut ad ipſum uſum proprium omnibus, Fratris ſui ſequens veſtigia, ſub ipſo ſacræ Religionis habitum ſuſcepit. Duas quoque allodii partes, cujus apud Vertejic heredes ſumus. HILLINUS de Balterſem cum quodam filio ſuo nomine Giſleberto noſtro Monacho nobis tradidit, tertiam verò ipſius partem quædam Matrona Lovanienſis nomine GEVA gratis nobis adimplevit. Apud Everſberghe quoque erga Arnulfum de Stenherhe aliud allodium viginti duabus marcis emimus: pro quo tres alterius allodii partes, quibus nunc apud Eſſchen fruimur, erga Franconem Caſtellanum Bruxellenſem commutavimus; quod videlicet allodium tanto valebat amplius, quod quartam ejus partem erga Godeſonem de Weſenbecca viginti tribus marcis & dimidia comparavimus. Helricus etiam quidam civis Lovanienſis apud nos Monachus factus, manſum unum terræ dedit nobis apud Levedale. Rembaldus etiam de Doſle in hoc loco ſanctæ Religionis habitum ſuſcepit, ſecúmque allodium illud in quo curtis quædam, quæ dicitur Berchem, ſita eſt, nobis attulit. Miles quoque quidam de Aſcha nomine Giſlebertus Clinhleunt cum uxore ſua nihilominus ad converſionem venit, atque etiam omne Phœdum quod de Duce Godefrido habebat, cujus & ſervus erat, nobis dedit. Idem verò Dux omnia hæc libertati noſtræ donavit, in cujus poſſeſſione curtim Colried ſtatuimus. Filii quoque Onulphi de Meltburch, Walterus videlicet & Emelinus, eorumque avunculus nomine Wiſcolo de Putige & ejus filii, allodium quod inter ſe commune erat

Et alia allod a.

Digitized by Google

vendiderunt, in quo curtim, quod dicitur Jeten superior, constituimus. Præterea Rodulphus de Gunchelberga quæ mundi sunt relinquens, sanctioris vitæ flagrans desiderio, apud nos Monachus efficitur, partémque allodii sui quod habebat apud Zellehe nobis largitur, alteram verò partem, quæ filiæ suæ & viro ipsius sorte ceciderat, ab utrisque pretio dato comparavimus, in cujus allodii possessione duas curtes ibidem construximus.

CAPUT XIX.

Godefridus Barbatus confirmat bona Affligemii.

SCiendum autem quoniam quæque ex hac parte Aschæ in agris obtinemus, ferè omnia à servis Ducis GODEFRIDI seu beneficio, seu jure hereditario inhabitantibus particulatim mercati sumus, quorum omnium ab eodem pio Duce libertatem consecuti sumus. Porro allodium in Cobbeghem in bosco & in plano ab Arnulfo de Vilvord caro admodum pretio, centum videlicet & quadraginta marcis emimus, quod cooperante Duce Godefrido in Ecclesia nostra pacto stabili perpetualiter confirmavimus. Præterea domina REMUNDIS de Alost, ejusque duo filii BALDUINUS & JUAMUS apud Erenbodeghem loca duorum molendinorum nobis concesserunt, atque altare ejusdem villæ, quod sui proprii juris erat, nostræ Ecclesiæ obtulerunt. Porro nos de manu laïcarum personarum Dei donum suscipere metuimus, adeóque ut ab Episcopo potiùs donationem hanc consequeremur solerter institimus. Illis autem juxta petitionem nostram idem altare Episcopo Cameracensi dedentibus, nos ab Episcopo, & sub ipso donatione rata, & auctoritate Episcopali confirmata Canonicè suscepimus.

Terram quoque ante portam nostram jacentem spatio duorum mansorum in longitudine porrectam, idem duo fratres nobis contulerunt. Postea verò senior illorum Balduinus videlicet infirmitate gravi corripitur, ante mortem suam Monachus efficitur, eoque volente atque petente ad nos usque transvehitur. Tunc itaque assen-

Digitized by Google

tiente fratre suo dedit nobis in Flandria apud Testreet quoddam allodium in pascuis, cujus fiscus singulis annis decem libris argenti appenditur.

CAPUT XX.

Clari aliquot viri fiunt Monachi.

APud Oesterzeel dedit nobis ARNULFUS de Wintica tres allodii sui mansos æternum potiùs quàm temporale pro his expectans commodum, qui post hæc ictu belli graviter vulneratus, relicto sæculo apud nos Monachus est effectus; uxor quoque ejus defuncta apud nos jacet humata. WILLELMUS quoque de Volsar vir nobilis eodem succensus desiderio apud nos sanctæ conversationis habitum sumpsit, ac tertiam allodii cujusque partem apud Sconart nobis tradidit; duas autem residuas pretio comparavimus. SIGERUS quoque de Erenbodeghem, & ipse conversus ibidem mansum unum adjecit. ROBERTUS Comes junior sancti Andreæ locum nobis in eleemosynam tribuit; altare verò ejusdem loci licet sui foret juris, tamen quia spiritale donum est, ab Episcopo Noviomensi, in cujus Diœcesi locus ipse situs est, nobis firma stabilitate donari fecit. Filius autem ipsius, BALDUINUS videlicet Comes inclytus, largitatis suæ beneficium nobis conferre desiderans, cogitabat apud se quid necessitati nostræ utilius tribueret atque vicinius: comperiens igitur allodium quoddam vicinum nobis à Fratribus sancti Bertini possideri, conventu facto cum eis vicissitudinem hujus in confinio sui eis plenam restituit, nobis autem prædictum allodium magnitudinis sex mansorum ob memoriam sui tradidit.

Robertus Comes Flãdriæ dat locum S. Andreæ.

Duo carnales germani, conditione liberi, apud Rodenburch castellum Flandriæ simul indivisi commanebant, qui adhuc ambo à consortio conjugii immunes perseverabant: uno itaque uterque succensi desiderio, de salute animarum suarum inter se sedulò conferebant, terrena omnia æternorum respectu quàm sint parva atque despicienda sibi invicem proponebant: postremò sæculo sæculíque actibus se renuntiaturos unanimiter disponebant.

Digitized by Google

diſponebant. Relicto igitur ſolo patrio cum omnibus quæ habebant, exules effecti, veram patriam inquirunt, tranſitíſque nonnullis ditioribus ac vicinioribus Cœnobiis, noſtræ paupertatis conſortium adipiſci maluerunt, domúmque ſuam quam pariter inhabitaverant, cum univerſa ſupellectili ſua, cum armentis videlicet & pecoribus, cum agris & poſſeſſionibus tradiderunt, ubi uſque hodie curtim adauctis poſtea prædiis poſſidemus.

Vroijendiic etiam à Comite THEODERICO, atque à Comitiſſa CLEMENTIA duo prædia, quæ ſecundùm linguæ ſuæ conſuetudinem Pecorias appellant, pretio grandi comparavimus, quorum donationem ſigillo Comitis munitam, ac perpetua ſtabilitate firmatam coram Primatibus ac Baronibus terræ ab utriſque ſuſcepimus. Super hæc multa emolumenta in prædiis & argento Flandria nobis miniſtravit. Prædia quidem plurima propter diſtantiam & inconvenientiam locorum ibidem vendidimus, pretium verò in emendis aliis poſſeſſionibus vicinioribus nobis utiliter expendimus.

Viſio Domni FULGENTII *hujus loci Abbatis primi.*

FULGENTIUS primus Afflegemienſis Abbas duo grabata ad cælum deferri videbat, quorum unum Archiepiſcopum Cantuarienſem, alterum Cluniacenſem Abbatem eſſe dicebatur. Unum aſcendebat quartâ feriâ unius hebdomadæ; alterum ſimiliter alterius hebdomadæ eadem feriâ. Quod paucis tranſcurſis diebus rei probavit eventus: Nam Domnus ANSELMUS Archiepiſcopus quarta feriâ ante Dominicam Cœnam die illuceſcente migravit; ſanctus verò ſenex HUGO Abbas Dominicâ, ut ſupra dictum eſt, peracta Reſurrectione eadem feriâ VIII. ſcilicet die adveſperaſcente, carne ſolutus.

Digitized by Google

Ex antiquo Manuscripto Monasterii Gemblacensis in Brabantia legitur de hoc Monasterio.

IN Monasterio Afflegemiensi pene innumeri devoti viri, quorum nonnulli miraculis claruere, ut Fulgentius primus Abbas, & Radulfus Monachus qui annis sedecim tenuit juge silentium, &c.

CONTINUATIO CHRONICI AFFLEGEMIENSIS.

Ex variis ejusdem Abbatiæ monumentis.

ANno MCXXII. vivere terris desiit B. FULGENTIUS, ut cælum dives ingrederetur.

Ejus successor FRANCO plures servitio Christi mancipavit, ita ut incolatus sui tempore plusquam ducentorum triginta tam Monachorum quàm Sanctimonialium ac fratrum diversis in locis Pater mereretur existere quibus Christianæ paupertatis, Monachorum humilitatis, paternæ charitatis, viva cordibus subditorum vestigia vivens impressit & ad gaudia paradisi transiens reliquit.

Non possum hîc etiam pactum illud pietate ac præsertim charitate eximia abundans omittere, quòd primi Afflegemienses devoti Cœnobitæ cum eodem Fulgentio inierunt; est autem tale: Prioribus convenit exemplum relinquere imitationis. Nos qui primi locum istum in» habitavimus confirmatâ nostræ conversationis sententiâ, » initáque regularis vitæ semitâ, nullum rectiorem, nul» lum devotiorem salutis tramitem deprehendere valui» mus, quàm ut manuum nostrarum laboribus alimenta » & indumenta conquirentes his contenti maneremus. » Quoniam verò *Domini est terra*: Et, Dat semen semi-

Digitized by Google

nanti & panem ad manducandum; de tota cultura nostra, de tota possessione nostra, decimam partem ei ad pauperum suorum usus nos daturos speramus*. Quod votum nos primi cum posteris omnes in præsentia Abbatis nostri FULGENTII renovamus & confirmamus. Dabimus ergo decimam de annona si fuerit empta, sive de agro processerit; de argento decimam, sive in altari oblatum, sive undequaque conquisitum ad usus Fratrum. De lana, de caseis, de butyro, de agnis, de vitulis, de piscibus, de ovis, de fructibus quibuscumque omniúmque rerum usibus veniet decimatio: quia magis Deo placet sustentatio suorum membrorum quàm murorum. Ita illi.

fortè *spõdemus.

Eadẽ ferme videbis in antiquis statutis sancti Adalardi Corbeiens. Abbatis in to. 4. Spicilegii.

II. Abbas Franco.

FRANCO Abbas profectus in Angliam honorificè susceptus est ab Henrico Rege, cujus opus dicunt granarium, olim portam Regis vocatum, in cujus parietibus statua Regis ad hæc tempora permanens præfati Regis liberalitatem designat: nec solùm à Rege honore ac muneribus est honoratus, verùm etiam à Principibus terræ, Episcopis & Abbatibus summo in pretio est habitus, eósque in Capitulis & publicis Conventibus melliflui oris sermonibus lætificabat; fuit enim scientiâ litterarum apprimè dives, unde & varia scripsit; imprimis: De gratiâ Dei tomos 12. quos tanti semper fecerunt scriptores, ut ab ipsis impressionis cunabulis in lucem dederint, inveniuntúrque multis in locis editi.

Quæ scripserit Frãco.

De statu futuræ gloriæ metricè.

Sermones de B. Virgine: & quòd Monachus abjecto habitu non possit salvari.

Ad Moniales Forestenses & Bigardienses quædam consolatoria.

Librum Epistolarum ad diversos.

Hujus diebus BALDUINUS de Alosto, primus inter Flandriæ Principes, sæculo renuncians Afflegemii Monachum induit, ibíque sub sancto habitu perseverans sepulturam accepit. Præcipuè ejus regiminis tempora ornavit B. RADULPHUS cognomine Lucens, de quo monumenta loci: vir perpetui silentii, qui magnam lachry-

Digitized by Google

marum gratiam & divinæ contemplationis à Domino accepit, plenus dierum obiit in senectute bona. Hic vivens signo Crucis incendium Braxatorii extinxit: post sexdecim annorum silentium hæc ejus fuere verba: Stes ignis hac hora, flamma penitus conquiescas: & igni obediente voci hominis stetit, protinúsque extinctus est.

Abbas denique Franco locum multis decoravit ædificiis, & singulariter Basilica insigni ac magnifico opere, bibliothecam libris plurimis ampliavit: prædia auxit & Religionem confirmavit: hominem piè ac sanctè exuens humili sepultura est conditus sub lapide modesto hoc titulo annotato: D. FRANCO HUJUS LOCI ABBAS SECUNDUS: licet omnes pene Abbatum sepulcrales ac magnifici lapides perierint, ac in partes confracti, hic humilis permanet.

III. Abbas Albertus.

ALBERTUS Abbas tertius summa vi ad hanc dignitatem attractus & omnino nolens coactus est, malebat enim subesse quàm præesse, unde uno aut altero anno post electionem vir innocentia, simplicitate, atque omni virtute insignis terrenorum negotiorum pondus ferre impatiens Pastoralis curæ onus deposuit.

IV. Abbas Petrus.

PETRUS Alberto cedente Abbas constituitur. Eo regente GODEFRIDUS Dux Brabantiæ seu Lovanienſis, dictus Barbatus, ab Henrico fratre tradita huic Cœnobio confirmavit, addens Flidebertum cellam (id est Monasterium Fliderbecanum apud Lovanium noviſſimè constructum) quam Afflegemiensibus subdidit, & apud eos sepulturam elegit, in qua hoc elogium legitur: GODEFRIDUS *cum barba Dux Lotharingiæ, Comes Lovanienſis, & Bruxellenſis Marchio ſacri Regni, primus fundator hujus Cœnobii.* Dotavit Prioratum de Voauria excellentioribus & solemnioribus Reliquiis, fundavit Præposituram Ecclesiæ de Capella in Bruxella, fundavit etiam Monasterium Monialium Majoris Bigardis; & innumeris donis Monasterium sancti Trudonis. Obiit anno 1130. hic sepultus ante altare sanctorum Apostolorum.

Filia præfati Ducis ALEIDIS juncta matrimonio Regi Angliæ, post obitum secundi conjugis Afflegemiensis

Digitized by Google

Clausstri solitudinem ad reliquum vitæ ad humandum corpus elegit in domo turri Ecclesiæ contigua, cum una aut altera ancilla in Fratrum Afflegemiensium quieta taciturna multitudine solitaria habitavit, & beato fine quievit, de qua epitaphium:

ALEIDIS *Regina Angliæ, filia Ducis Godefridi cum barba, Regnum susceptit in Anglia an.* MCXXI. *obiit 9. Kal. Maii, sepulta è regione horologii nostri.*

Inventa est novissimis his diebus in templo hujus Cœnobii tumba cum iis litteris, A. R. A. quas sic explicant Afflegemienses, ALEIDIS *Regina Angliæ.* Hæc multa prædia contulit huic, & inter benefactores præcipua habetur.

Ejusdem Abbatis tempore HENRICUS Comes dicti Godefridi filius, militiæ cingulo depositio hîc sacræ religionis habitum suscepit, & citò à Deo vocatus migravit ex hoc sæculo, sepultus ad caput patris sui.

Abbas verò pertæsus etiam curarum, ac solitudinis amator onus Pastorale reliquit.

V. Abbas Godescalcus.

GODESCALCUS bonæ spei juvenis post abdicationem D. Petri in Abbatem est electus. Sub initio hujus præluturæ Cœnobium hoc invisens sanctus BERNARDUS Deiparæ Virginis statuam in ambitu ad ostium dormitorii mellifluo ore salutans Angelica salutatione: *Ave* MARIA ab eadem resalutationis responsum accipere meruit, *Salve* BERNARDE. Sermones ad Fratres habuit, quibus desiderium suum manifestavit, ut Afflegemienses Cistercienscm disciplinam susciperent, sed ad hoc perduci non potuerunt; affectus sui in eos arram tamen reliquit, scilicet baculi Pastoralis partem. De hac sancti Patris Afflegemiensium visitatione, miraculóque secuto, ita Chronicon Gemblacense: Visebatur ante Belgensem desolationem in Monasterio Afflegemiensi Dei Genitricis imago, cui valedicens Bernardus; *Vale*, inquit, *alma* MARIA. At BERNARDE, vale, ait *sancta* MARIA. Mos obtinuerat apud Afflegemienses ut mane numquam à dormitorio in Ecclesiam irent, nisi ter per salutationem Angelicam hanc imaginem salutassent.

Digitized by Google

Hujus Abbatis tempore capsa beatæ Mariæ Waurienſis Bruxellas fuit deportata ob peſtiferæ luis contagium Bruxellenſes devaſtans; ea de cauſa ab Abbate inſtituta eſt proceſſio ſolennis à Monaſterio Bruxellas uſque nudis pedibus, ubi etiam B. MARIA non minimum circa Abbatem & Priorem Waurienſem operata eſt miraculum. Cùm enim idem Prælatus capſam poſt proceſſionem aſportare vellet, tantæ molis eam ſenſit ut nec levare potuerit. Prior autem Waurienſis accedens ſine ullo impedimento extulit, hoc ſigno pace inita capſa Wauriam eſt relata.

Sancta ALONA Forenſis miraculis hoc tempore mundo innotuit; unde Epiſcopo Cameracenſi mandante GODESCALCUS noſter reliquias ex crypta extulit, & populo colendas exhibuit. Onus etiam paſtorale Patrum ſecutus exemplum depoſuit; verùm iterum Monachis rogantibus reaſſumere debuit.

VI. Abbas Arnulfus. ARNULFUS Abbas ex Monacho & Priore Afflegemienſi ab Einamenſibus in Abbatem lectus, cùm diu cum laude rexiſſet, abdicante ſe Godſcalco ab Afflegemienſibus in Abbatem eſt repetitus. Eccleſiam hanc pari ſollicitudine & virtute rexit. Vir artium ſæculi rudis, & cui ut auctor vitæ Sanctæ Wivinæ ſcribit, verſum erat in habitum frequentiùs Divinis quàm forenſibus implicari negotiis, & cum Monachis chorum indeſinenter frequentare. Rogante GODEFRIDO tertio Duce Lotharingiæ Fliderbecanis Monachis indulſit, ut Abbatem ſibi ſed ex Afflegemienſi grege deligerent. Exſtant variæ ea de re conditiones propter pacem & charitatem ut eſſent
„ filii pacis: Notum facimus quòd petitione multarum
„ perſonarum religioſarum & ſæcularium, Ducis quoque
„ GODEFRIDI, Eccleſiæ Fliderbecanæ Abbatem habere
„ conceſſimus; & pari conditione diſcordiæ fomitem in
„ vinculo pacis ſpiritu conſilii mediante terminaverimus.
„ Si Abbas Afflegemienſis Eccleſiam Fliderbecanam viſi-
„ tare voluerit, Abbas loci in choro locum ſuum ei dese-
„ ret. Item Abbas Fliderbecanus ſi non ampliùs, ſaltem
„ ad Vincula Sancti Petri Eccleſiæ Afflegemienſi, niſi certa

Digitized by Google

necessitate præpediente, se præsentabit; aureum denarium annui census Lovaniensis monetæ in testimonium subjectionis ipso die solvere curabit.

Eodem ferè tempore, PHILIPPO Flandriæ Comite præsente, Ecclesia Afflegemiensis Cellam Sancti Andreæ juxta Brugas liberam ab omni subjectione declaravit, & de electione novi Abbatis consensit.

Ipse etiam caput Sancti Cælestini Papæ Eynomo, vel ut Eynamenses volunt, Potnaco Afflegemium attulit. Juris autem Monasterii acerrimus defensor Henricum de Ascha decimas injustè ablatas restituere coëgit. Obiit plenus meritis & diebus circa annum MCLXVIII.

VII. Abbas Sigenis.

SIGENIS Abbas Godescalco, qui ut diximus, Arnulfum in regimine rursus exceperat suffectus non totos tres annos clavum tenuit. Genus illi illustre apud Brabantos Cray-Enhemiorum familia; Eleemosynarii munere antea functus fuerat. Abiit è vita anno MCXCVIII. De quo sic epitaphium: SIGENIS *de Crayn'hem ex Equite aurato hic Monachus effectus, duodecimo conversionis suæ anno Abbas constituitur.* Obiit 5. Kal. Februarii.

VIII. Abbas Vvillelmus.

WILLELMUS Abbas nulla re gesta nobilis, dignitatem abdicavit vel volens vel nolens. Invenitur petiisse & obtinuisse ab HENRICO Duce Lotharingiæ libertatem & immunitatem possessionum Monasterii.

IX. Abbas Robertus.

ROBERTUS Abbas regimini admotus, ob ædificationem aliquarum officinarum laudatus, fabricavit Refectorium: celavit lapidibus magnam Ecclesiæ partem à cruce usque in finem: prædiis, decimis res nostras auxit. Extant variæ in hanc rem litteræ. Arbiter etiam est electus à Sancti Sepulcri Abbate & Decano Sanctæ Gudulæ, cùm Ecclesia Sancti Sepulcri seu Capella B. MARIÆ in parochialem erigeretur. Vitâ functus Robertus anno MCCXXIV.

X. Abbas Vvillelmus 2.

WILLERMUS II. Abbas: hic fabricavit domum lapideam in qua Milites suscipiantur, id est nobiles, qui vel conversionis causâ, vel pietatis studio ad Cœnobium divertebantur. Datum ipsi & Abbati Ninivensi negotium eligendi locum in Sebinera ad Cœnobium Monialium

Digitized by Google

Cistercienſium conſtruendum. Jura Monaſterii egregiè defendit, & Guillelmum de Grimbergis dominum de Aſcha ob illata Afflegemio damna memorabili ad omnem poſteritatem pœnitentia coërcendum curavit. Fuit autem hæc pœnitentia talis; in Capitulo Monachorum nudo pede, nudo capite in camiſia, & braccis virgam tenens in manu ad pedes Abbatis proſterni jubetur, in ſatisfactionem injuriæ fuit injuncta ab Officiali Cameracenſi. Auxit in pluribus rem domeſticam; & GUIDONE Epiſcopo Cameracenſi adnitente, ipſo etiam conſentiente, certis conditionibus Foreſtenſe Monialium Aſceterium ab Afflegemienſium poteſtate eſt ſeparatum. Circa hoc tempus vixit in hoc Monaſterio venerabilis ille REINERUS cujus converſionem adfert Cantipratanus in vita Sanctæ Lutgardis; id teſtatur de ejus
„ vita. Vidimus, inquit, illum in Cœnobio Afflegemienſi,
„ quem pro admiranda converſatione in tali ætate & pa-
„ tientia omnes venerarentur. Hominem exuit Abbas an.
„ MCCXLII.

XI. Abbas Johannes. JOHANNES Abbas magna prudentiæ & ſollicitudinis laude Magiſtratum geſſit, obſervantiámque regularem, quæ ſenſim inclinare viſa, reſtituit. Multa acquiſivit & ſtrenuè contra invaſores defendit. Inſigni morum integritate claruiſſe oportet ut Sanctæ Lutgardis in cœlum
„ migraturæ has audiret voces: Jam recedo, chariſſime, &
„ nihil te carius ſub ſole relinquo. Ex ejuſdem Sanctæ Virginis amore erga Fratres Afflegemienſes apud eoſdem tunc regularem diſciplinam viguiſſe conſtat, ita enim refert Cantipratanus de F. Converſo Afflegemienſi, cujus Monaſterii Fratres propter Religionis obſervantiam præcipuè charos habebat Sancta Lutgardis. Eam ob cauſam GUIARDUM ſeu GUIDONEM Cameracenſem Epiſcopum ibidem converſatum frequentiùs, immo juxta aliquos habitum Monaſticum aſſumpſiſſe, certò tamen mortuorum ſepulturam elegiſſe notum eſt. De eo ita Balduinus Ninovienſis Canonicus in chronico M. S.
„ anno Domini MCXLVII. GUIARDUS Cameracen-
„ ſis Epiſcopus columna ingens Sanctæ Eccleſiæ, morum honeſtate

Digitized by Google

honestate ac justitia clarus, & Verbi Dei prædicator egregius, moritur apud Afflegemium, & sepelitur ibidem. Abbas autem piè in Domino obdormivit anno MCCLXI.

XI. Abbas Henricus.

HENRICUS Abbas trium annorum circulo res magnas incluſit. Fabricavit magnam partem Eccleſiæ B. MARIÆ in qua fit proceſſio, ædificia reſtituit ac novis operibus fulcivit, turres campanis ære fuſis inſtruxit. Obiit anno MCCLXIV.

XII. Abbas Henricus 2.

HENRICUS ſecundus diutiſſimè & magna diſciplinæ regularis cura rexit, & perfecit Eccleſiam B. MARIÆ, item tabulam pulcram in magno altari. Abuſus in Prioratu Fraxinenſi (in quo tunc temporis Monachorum & Converſorum erat numerus honeſtus) correxit; nam anniverſariorum ſympoſia ſuſtulit, & in moderatam eámque quotidianam vini portionem converti voluit: ſicque factum eſt, ut quod uno die largiùs abſumebatur, in plures & quotidianos tribueretur, tertiam nempe partem gellæ per diem conſtituit. Diem extremum ſubiit anno MCCCI.

XIII. Abbas Vvellelmus 3.

WILLELMUS tertius Abbas Loeſius dictus; Beghinarum Aloſtenſium ei cura à PHILIPPO Cameracenſi Antiſtite eſt commiſſa. Ipſe religioſiſſimus Prælatus cùm animadvertiſſet multa perperam & contra majorum ſcita in diſciplina regulari aſſignari, arripuit colanium & veteris obſervantiæ veſtigia in litteras miſit, duobúſque voluminibus ſtatuta & obſervantias deſcripſit. Abbas inter Scriptores aſcriptus MCCCXI.

XIV. Abbas Johannes 2.

JOHANNES ſecundus Abbas brevis imperii. Controverſiam inter Afflegemienſes & Nivellenſes Canonicas ſuper annua 9. librarum ſolutione exortam ſopivit. Vita & magiſtratu abiit an. MCCCXIV.

XV. Abbas Thomas.

THOMAS Abbas. Ejus Præfecturæ tempore luctuoſa Afflegemii conflagratio accidit à Flandris, qui Teneramunda exorſi Malgram, Lippelloúmque, & Monaſterium exuſſerunt; Monachi fugientes diſperſi fuere. Moritur Thomas cladibus afflictus anno MCCCXXXIV. poſt annum ab hac vaſtatione.

Digitized by Google

XVI. Abbas Johannes 3. JOHANNES tertius Abbas Ecclesiam bellis undique quassatam & ustionum populationúmque cladibus attritam ægrè aferens, nihil dignum fastis egit, immo dies & annus mortis ignorantur.

XVII. Abbas Johannes 4. JOHANNES quartus, dictus *VVolmeroy*, pace inter Brabantos & Flandros firmata, Afflegemium duplici incendio corruptum restituere aggressus, pristinum loco splendorem præsertim Ecclesiæ numquam reddere potuit. Restituit solido opere Ecclesiam Meldrensem, eámque à Bardegemensi, auctoritate JOHANNIS Episcopi Cameracensis, cujus erat appendicium, divisit. Abdicavit dignitatem & Almerico, approbante Urbano V. Papa, commisit an. MCCCLXX.

XVIII. Abbas Almericus. ALMERICUS Tayus à Gregorio XI. primùm sibi deinde successoribus, mitræ, annuli & Pontificalem usum obtinuit. Ejus tempore maris inundatio non paucos Afflegemii in Flandriæ partibus fundos secum traxit & hausit. WENCESLAUS Brabantiæ Dux eodem Abbate postulante concessit ut duas curtes posset demoliri ad restaurationem Monasterii. Gregorius etiam XI. ejus petitione contra invasores Cœnobii scripsit Abbati sancti Petri Gandensis, ut pœnis eos coërceret ad restituenda latifundia ablata. Pars Monachorum in Abbatem insurrexit, & eò res est deducta, ut Dux Wenceslaus adegerit Almericum dignitatem abdicare, immo & Johannes Episcopus Camerac. propter contumaciam & inobedientiam, quia vocatus non adfuerat, aliáque ei imposita, à cœtu fidelium removerat. Sed ille ad summum Pontificem omnia revocans, ab eodem in potestate est confirmatus, & pax cum Ascetis inita, obiit Almericus his superior anno MCCCXCVIII.

XIX. Abbas Henricus 3. HENRICUS de Sancto Gaugerico vir nobilis, qui & coadjutor datus fuerat in perturbatione adversus prædecessorem. Constat sub eo Afflegemium floruisse recuperata prædiorum possessione. Lavacrum in perystilio secto lapide extruxit, ad cujus operis formam cetera Claustri latera posteri ædificarunt. Humana reliquit an-

Digitized by Google

no MCCCCXIII. honorifica sepultura tumulatus, cujus lapis supremus adhuc visitur cum ejus effigie.

JOHANNES Alphius præesse cœpit an. MCCCCXIII. Multa præclarè gessit pro Republica: JOHANNIS Ducis Brabantiæ perpetuus Consiliarius quamdiu ille per teneram ætatem rebus gerendis idoneus non fuit, cum aliis decem viris tranquillè ditiones ejus administravit. Exorta sub eo Monachorum dissentione, Monasterii bona in tres partes dividuntur, approbante Martino V. Romano Pontifice, una Abbati, Conventui altera, & fabricæ altera assignata. Inde tamen maxima labes disciplinæ regulari injecta; dum enim Cantori, Priori, & aliis quædam particularia traduntur, paupertatis monasticæ ruina incurritur. Idem Prælatus fecit coronam pulcherrimam in Capitulo continentem imagines B. Virginis & duodecim Apostolorum; in qua corona erant expensæ duæ & nonaginta francæ. Ipse tandem Abbas, incertum qua de causa, præfectura se abdicavit, naturáque cessit anno MCCCCXIX. XX. Abbas Johannes 5.

HENRICUS III. de Ascha à summo Pontifice confirmationem divisionis bonorum Cœnobii obtinuit. Multa ædificavit & reparavit, & duas partes Claustri ex quadrato opere perfecit; sed postea parum liberior factus cùm possessiones Monasterii vel vendidisset vel gravasset, ab officio remotus honesta ei portione tradita, in otio consenuit, mortuus anno MCCCCLXXIV. in Meldrensi Ecclesia ante Altare Deiparæ sepultus. XXI. Abbas Henricus 3.

GOSSUINUS Herdingus magno suorum consensu in Abbatem electus, & à CALIXTO tertio confirmatus. Diu feliciter rexit. Ad LUDOVICUM Regem Franciæ, qui post CAROLI Bellicosi obitum Ducis MARIÆ provincias invaserat, cum aliis ordinum delegatis missus, & honorificè receptus est. Paulò ante obitum sollicitus nè bona Monasterii dissiparentur (quibus tunc temporis inhiabant multi) ab ALEXANDRO sexto conservatores petiit & obtinuit Abbates sancti Petri Gandensis, sancti Michaëlis Antuerpiensis, & sanctæ Gertrudis Lovanienſis: verùm ante receptas bullas diem suum extre- XXII. Abbas Gossuinus.

Digitized by Google

mum clausit anno MCCCCXCIII. post ejus obitum D. GISLEBERTUS Marselarius communibus Monachorum suffragiis, sed ipse palam suam inidoneitatem adferens, & dotes D. Guilelmi prædicans ipsum nominavit, raro & inusitato exemplo, ipse Waurensi Prioratu contentus.

XXIII Abbas Vvillelmus. 4.

WILLELMUS Michaëlis cedente Marselario in Abbatem est confirmatus. Erat Prior Fraxinensis & magnus Pastor Brabantiæ Gallicanæ. Vir zelo Religionis conspicuus, in spiritualibus providus, & temporalibus circumspectus. Romam profectus à summo Pontifice pileum Cardinalitium recusavit. Visitationem Episcopi Cameracensis semel sustinuit, ex cujus præcepto libros communes & Bibliothecam erexit: sed postea à Julio secundo exemptionem ab Ordinario ampliſſimam impetravit. Multa fabricavit & alia præclara perfecit. Interim JULIUS Romanus Pontifex datis litteris huic mandavit, ut GUILLELMO *Croi* habitus Religiosus daretur, & ab Afflegemiensibus ad professionem admittatur, quem & coadjutorem Guillelmi constituit. Hic etiam factus Abbas, & ab eo tempore non fuere ampliùs regulares Abbates, licet hic Guillelmus & Carolus *Croi* qui eum secutus est habitum Monasticum assumpserint. Tandem postea Episcopali dignitate ornati Monasticam vitam non sunt secuti. Demum GRAVELLANO Archiepiscopo Meclinienſi procurante annexum est mensæ Archiepiscopi Meclinienſis Cœnobium nobile & celeberrimum.

Annexa est Abbatia Archiep. Meclinienſi.

Ab Archiepiscopis constitutus Præpositus, qui vice Abbatis Monachis præsit, præsertim quoad disciplinam Regularem: ex eorum numero præclari habentur.

HUBERTUS du Bray, cujus tale extat elogium: Vir probitate vitæ doctrinâque conspicuus subditorũ suorum forma, & calcar observantiæ regularis, scripsit plurima.

HENRICUS Vandenzipe ob egregias animi dotes electus in Abbatem sancti Andreæ apud Brugas; scriptis notus, & specialiter ob Gregorium Benedictinum, & alia opera.

Novissimis hiis temporibus nostris BENEDICTUS Hae-

Digitized by Google

ftenus, qui sanctissimum & clarissimum Patrem Benedictum maximis illustravit splendoribus, unde omnis ordo & Ecclesia ejus laudes enarrabit in æternum.

CHRONICON BREVE *Barcinonense.*

TErtio Non. Julii Anno DCCCCLXXXV. fuit capta civitas Barcinonensis à Paganis.

Anno MLXXXII. Fratres Militiæ Templi ceperunt castrum Montissoni.

Anno MCXV. capta fuit civitas Majoricarum à Comite Barcinonensi cum Pisanis, quam Januenses postea tradiderunt.

Anno MCXIX. fuit capta Cæsar-Augusta.

Anno MCXXXVI. obiit Beatus Ollegarius Episcopus Barcinonensis.

Anno MCXLIII. 6. Kal. Dec. fuit capta Ciurana.

Anno MCXLVII. fuit capta à domino Rege Petro civitas Almariæ.

Pridie Kal. Januarii, Anno MCLVIII. fuit capta civitas Dertusæ ab illustri domino Raimundo Comite Barcinonensi.

Nono Kal. Nov. anno MCXLIX. fuit capta civitas Ilerdæ & Fragæ.

Idibus Sept. anno MCLXXX. passus fuit Sol eclipsim, & iterum anno MCCXXXIX.

Mortuo Ludovico Rege Francorum, cœpit regnare Ludovicus filius ejus minor, qui regnavit annis 44.

Et * die festo sancti Johannis Baptistæ usque in diem sancti Lucæ; quo die celebratum fuit Concilium apud Tarraconam à domino Berengario Tarraconæ Archiepiscopo, cum Episcopis & Clericis sui Archiepiscopatus, quorum consilio & præcepto annus Domini institutus scribi in omnibus chartis per totum Archiepiscopatum. * *supple.* an. 1181.

Anno MCXCIII. 14. Kal. Martii, fuit interfectus Berengarius Tarraconensis Archiepiscopus à G. Rai-

Digitized by Google

mundi de Monte-catano.

Anno MCXCVI. obiit ILDEFONSUS Rex Aragonum & Comes Barcinonensis.

Anno MCC. currebat in Barcinone moneta, quæ dicebatur Bruna & duravit usque in anno MCCIX.

Anno MCCVIII. intraverunt Cruce-signati in Carcasses.

Anno MCCIX. fuit aspersa moneta de Bossanaya, quæ duravit tres annos usque in anno MCCXII.

Octavo Idus Martii anno MCCX. fuit facta Constitutio à domino Rege PETRO olim inclitæ recordationis in Barcinona, & ejus Comitatu; de non vendendis aut aliter alienandis sine consensu dominorum honoribus feudalibus.

Undecimo Kal. Aprilis anno MCCXII. fuit aspersa à domino PETRO moneta de quaterno Barcinone.

Decimo septimo Kal. Aug. anno MCCXII. fuit capta civitas Hubede, Casatrave, & Bacuse, habito campestri bello cum perfidis Sarracenis, & obtenta victoria à Christianis.

Undecimo Kal. Maii anno MCCXIII. fuit injunctum omnibus Notariis Barcinonensibus, quòd ponerent in chartis marcham argenti ad 48. solid. Quarto Non. Aug. eodem anno fuit injunctum dictis Notariis, quòd ponerent in chartis marcham argenti ad 88. solidos.

Pridie Kal. Septemb. anno MCCXIII. obiit dominus PETRUS olim Rex Aragonum apud Murellum in Provincia*.

* *id est*, Occitania.

Decimo Kal. Mart. Anno MCCXXI. fuit à domino Rege JACOBO aspersa moneta de duplo Barcinonensi.

Pridie Kal. Januar. anno MCCXXIX. capta fuit iterum civitas Majoricarum à domino Rege JACOBO.

Pridie Idus Sept. anno MCCXXIX. intravit dominus JOHANNES Sabinensis Episcopus sedis Apostolicæ Cardinalis Barcinonam.

Anno MCCXXXIII. fuit capta Burriana à domino Rege JACOBO.

Anno MCCXXXV. intravit domina Regina Hungariæ Barcinonam.

Digitized by Google

Anno MCCXXXVII. mense Augusti fuit campestre bellum apud Podium de Cebola cum infinito numero Sarracenorum.

Anno MCCLIV. septimo Id. Octob. domina HIOLES de Hungaria Regina Aragonum, uxor domini Regis JACOBI quondam, decessit in Aragonia apud sanctam MARIAM de Sales.

Anno MCC[illegible]VIII. fuit aspersa à domino Rege JACOBO, moneta de terno Barcinonensi.

Anno MCCLXVI. Civitas Murciæ fuit capta à domino Rege JACOBO.

Anno MCCLXIX. Kal. Sept. dominus JACOBUS olim Rex Aragonum cum armata sua militum & peditum recessit de plagia Barcinonensi causâ eundi ad partes transmarinas, & propter procellam maris remeavit.

Kal. Jul. anno MCCLXX. LUDOVICUS Rex Franciæ recessit de Aquis-mortuis, & deinde obsedit Tunicium simul cum Rege Navarræ, & ODOARDO, & Rege KAROLO, ubi ipse Rex Franciæ decessit.

Anno MCCLXXV. in mense Junii dominus Rex JACOBUS quondam cum exercitu suo ivit contra Comitem Impuriarum, & obsedit villam de Roses. Postea dominus JACOBUS Rex Aragonum nepos suus cum exercitu ivit contra Comitem Impuriarum.

Septimo Kal. Aug. anno MCCLXXVI. dominus Rex JACOBUS inclitæ recordationis apud Valentiam decessit.

Sexto Non. Mart. anno MCCLXXVIII. exercitus Barcinonensis recedit Barcinona, & obsedit castrum de Lussano, quod processu temporis cepit.

Mediante Madio, anno MCCLXXX. dominus Rex PETRUS obsessa villa de Balaguer, cepit Comites Fuxensem & Urgellensem, & de Palhars, & ferè omnes Nobiles Cataloniæ.

Octavo Id. Junii anno MCCLXXXII. dominus Rex PETRUS, filius domini Regis Jacobi, recedendo de portu Fanges, ivit ad Alcoyl cum 700. militibus, & magna comitiva peditum.

Postea quinto Kal. Aug. anno prædicto, ipse dominus

Digitized by Google

Rex PETRUS recedendo de Alcoyl, applicuit in Siciliam.

Non. Junii anno MCCLXXXIV. Armata domini Regis cepit Principem, filium Regis CAROLI, & ejus armatam apud Napolim.

Septimo Kal. Julii anno MCCLXXXIV. Galeæ Barcinonenſes ceperunt in Barbaria decem galeas Saracenorum.

Non. Kal. Octob. MCCLXXXV. PHILIPPUS Rex Franciæ poſt adventum galearum Siciliæ, tempore exercitus de Paniſſars, deceſſit apud Caſtilionem Impuriarum, captâ Gerundâ.

Quarto Id. Novemb. anno MCCLXXXV. dominus Rex PETRUS deceſſit apud Villam-Francam.

Kal. Januarii anno MCCLXXXVI. dominus ALPHONSUS Rex Aragonum cum ſua comitiva militum & peditum, propter guerram cepit inſulam Majoricarum.

Decimo quarto Kal. Aug. anno MCCXC. fuit captum & dirutum per exercitum Barcinonenſe caſtrum Epiſcopale.

Octavo Kal. Nov. MCCXCI. fuit factum duellum per BERENGARIUM Sequim & PETRUM Coſco.

Decimo quinto Kal. Jul. anno prædicto dominus Rex ALPHONSUS deceſſit Barcinonæ, & tunc incepit Rex JACOBUS regnare.

Quinto Kal. Septemb. anno prædicto dominus Infans PETRUS, filius Regis Petri, contraxit nuptias cum domina G. de Montecatano.

Decimo quinto Kal. Junii anno MCCXCI. Civitas Achonis fuit capta à perfido Soldano.

Decimo tertio Kal. Decemb. anno MCCXCI. fuit factum prælium Barcinonæ de BERENGARIO d'Entenca & AR. d'Arteſia.

Kal. Decemb. anno prædicto dominus Rex JACOBUS deſponſavit in uxorem dominam ELIZABETH, filiam illuſtriſſimi domini SANCII Regis Caſtellæ.

Decimo tertio Kal. Madii anno MCCXCV. deceſſit dominus SANCIUS Rex Caſtellæ.

Kal.

Digitized by Google

Kal. Novemb. anno MCCXCV. dominus Rex JACOBUS filius domini Regis Petri inclitæ recordationis quondam, duxit in uxorem dominam BLANCHAM filiam Regis Karoli, & renuntiavit Regno Siciliæ.

Anno MCCXCVI. in Menſe Novemb. dominus Rex JACOBUS Vexillarius & Capitaneus Sedis Apoſtolicæ, cum dicta Regina ivit in Curiam, & X. Kal. Madii anno MCCXCVII. redivit.

Kal. Julii MCCXCVIII. dictus dominus Rex JACOBUS iterum cum magna comitiva militum & peditum armatorum ivit ad partes Romanas, & inde recedendo in Siciliam, ubi obſedit Cæſar-auguſtam, unde infirmitate receſſit, & poſtea reparato exercitu 4. Non. Julii.

Kal. Auguſti anno MCCXCVIII. fuit factum prælium Barcinonæ inter ROGERIUM de Caſtro Ciro pro domino G. de Montecathano, & GUILLELMUM de Medalia pro domino Vicenſi Epiſcopo.

Anno MCCCXIX. habuit conflictum per mare cum armata ſua, cum Rege FREDERICO & armata ſua, quem devicit, & partem armatæ ſuæ retinuit.

Quinto Kal. Septemb. anno MCCXXIX. fuit inchoatum Capitulum provinciale per Fratres Minores Barcinonæ.

In menſe Decemb. anno MCCXCIX. in Sicilia apud Trapenam, habito campeſtri bello cum filio Regis KAROLI, fuit captus per Fredericum.

Quinto Id. Apr. anno MCCC. domina CONSTANTIA uxor domini Regis PETRI de ceſſit Barcinonæ.

Decimo tertio Kal. Apr. anno MCCC. deceſſit Frater Bernardus Epiſcopus Barcinonenſis.

In feſto S. MARIÆ Auguſti, anno MCCCVIII. fuit obſeſſa civitas Almariæ per dominum Regem JACOBUM; & in menſe Januarii ſequenti receſſit.

Quarto Id. Octobris anno MCCCX. deceſſit domina BLANCHA Regina Aragonum, uxor domini Regis JACOBI.

Anno MCCCXI. deceſſit dominus JACOBUS Rex Majoricarum.

Digitized by Google

LIBELLVS MARTINI Episcopi ad MIRONEM Regem Galliciæ.

Anno Chr. circite 560.

I. *Glorioſiſſimo ac tranquilliſſimo, & inſigni Catholicæ Fidei prædito pietate* MIRONI *Regi* MARTINUS *humilis Epiſcopus.* Non ignoro, clementiſſime Rex, flagrantiſſimam animi tui ſitim ſapientiæ inſatiabiliter poculis inhiare, eáque te ardenter quibus mortalis ſcientiæ rivuli manant fluenta requirere. Et ob hoc humilitatem meam ſæpiùs litteris admones, ut dignationi tuæ crebrè aliquid per epiſtolam ſcribens aut conſolationis aut exhortationis alicujus, & qualiacumque ſint adferam dictu*. Sed quamvis hoc à me exigat laudabile tuæ pietatis ſtudium, ſcito tamen tenuitatis meæ inſolentem continuò à cautis impingi proterviam, ſi Regalis reverentiæ gravitatem aut aſſiduis, aut vilibus, ut libet, dictis adjungam. Et ideo ne aut ego licentiâ piæ invitationis abuterer loquendo, aut veſtro magis deſiderio obſiſterem reticendo; libellum hunc nulla ſophiſmatum oſtentatione politum, ſed planitie puræ ſimplicitatis excerptum capacibus fidenter auribus obtuli recitandum. Quem non veſtræ ſpecialiter inſtituo poteſtati, cui naturalis ſapientiæ ſagacitas præſtò eſt, ſed generaliter his conſcripſi, quos miniſteriis tuis adſtantes hæc convenit legere, intelligere & tenere. Titulus autem libelli eſt FORMULA VITÆ HONESTÆ, quem idcirco tali volui vocabulo ſuperſcribi, quia non illa ardua & perfecta, quæ à paucis & peregregiis Deicolis

* f. dicta.

Digitized by Google

patrantur, inſtituit; ſed ea magis commonet, quæ & ſine Divinarum ſcripturarum præceptis, naturali tantùm humanæ intelligentiæ lege etiam à laïcis rectè honeſtéque viventibus valeant adimpleri.

Quatuor virtutum ſpecies multorum ſapientium ſtudiis definitæ ſunt *&c. ut in editis.*

Deſinit in MS. cod. his verbis, devitet inſaniam, aut deficientem contemnat invidiam, *contrà quàm in editis.*

Rogatu CLODOVEI III. *Regis, & Pipini Majoris domus,* BERTOENDUS *Catalaunenſis Epiſcopus privilegium largitur Dervenſi Monaſterio*, quod Puteolos nuncupabant: itémque Puellarum Monaſterio, cujus jampridem deleti ſolum hodie nomen ſupereſt in villâ* Pellemonſtier, *duabus circiter à Dervenſi leucis diſtante.*

* *Mouſtierender.*

II. DOminis ſanctis & ſummi culminis Apoſtolicæ Pontificalis cathedræ ſpeculis Præſidentibus, in Chriſto Fratribus ſeu Coepiſcopis RIGOBERTO Metropolitano, BASINO, STEPHANO, ADALBERTO, ALONI, MADALGARIO, licèt indignus in ordine, tamen Katalaunenſium Epiſcopus, ſupplex in Domino mitto ſalutem. Quamquam priſcæ regulæ decreta nos doceant, & quæ oportet perenniter cuſtodire, & patrum conſueta indiminutè ſervare, attamen & nos ſuper hæc regulariter decernentes, vota ſupplicum & maximè orthodoxa fide fulgentium, ut illi proviſione tractantes eorum petitionibus libentiſſimo animo volumus affectum mancipare. Quoniam igitur glorioſus Domnus CLODOVEUS Rex, & vir illuſtris PIPINUS Major-Domûs, pro religioſa ſollicitudine perſpicuè nobis poſtulaſſe noſcuntur, ut privilegium Monaſterio AN. CHR. 692.

Digitized by Google

Puteolos in vasta Dervi, in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Johannis Baptistæ, & sancti Johannis Evangelistæ, seu & Omnium Sanctorum, à viro religiosissimo Sancto BERCHARIO, ubi & ipse Abbas præesse videtur *, ex munificentiâ quondam CHILDERICI Regis constructo; seu & alio Monasterio Puellarum super fluvium Vigoræ, etiam & Dria in Dervo in fine Flaciniacense*, quod WAIMERUS & conjux sua WALTIDIS, & Domnus BERCHARIUS Abbas pariter construxerunt. In quo loco sacrata WALTIDIS mater esse videtur multarum Virginum præsenti tempore, & se cum eis multimodæ aggregationis agminibus piæ devotionis paribus studiis sociavérunt in Dei laudibus, uno regulæ spiritu superna inspiratione commota, ad laudes omnipotenti Deo concinendas pium exhibet famulatum; conferre deberemus.

* *Lege* videbatur.

* *Fligny.*

Quod salubriter annuentes, hoc privilegium quod plena devotione petierunt, perenni auctoritate servandum, libenti animo præstitisse comperite. Nec enim nova postulantium vel indulgentium est auctoritas privilegium largiendi, dum profectò cunctis retrò Apostolicæ sedis Præsules, unde sacra propagatur auctoritas non solùm in vicinis provinciis constitutis, sed etiam in ceteris longè regionibus procul sitis postulata semper indulgenda sanxerunt. Unde obsecro Domnos successores Ecclesiæ prænotatæ Pontifices, satis supérque per omnipotentiam Trinitatis immensæ, Patris, & Filii, & Spiritus sancti obtestare, immo conjurare præsumo, ut commendatum prænominatum Monasterium piis mentibus jubeant diligere, jubeant fovere, jubeant continere, jubeant conservare. Et ne succidua fraternitas Sacerdotum hoc nos in regionibus propriæ deliberationis instinctu, aut nova inventione æstimet decreta fuisse; cùm sub hujus constitutionis norma sanctorum Agaunensium locus, immóque & Monasterium Lirinense, seu Monasterium Luxovienſe, multáque alia Monasteria, necnon & Basilica Domni Marcelli, & innumera in Orientis partibus Monasteria, propriis ex decreto Pontificum servantur privilegiis.

Digitized by Google

Ergo uno conſpirationis conſenſu, Dei nutu, antedictorum Patrum Religionem penſantes, ita ab omnibus decretum eſt, ut nullam dominationem nos ſucceſſoréſque noſtri in ſuperſcripta Monaſteria virorum ſeu puellarum Virginum, ubi ſunt congregati, quod pro ſalute animarum ſuarum prædictus vir BERCHARIUS & WAIMERUS ſeu & conjux ſua WALTIDIS unà pariter conſtruxiſſe noſcuntur, habeamus: quatinus eis liberiùs liceat, Deo juvante, ſine impedimento rei alicujus, contemplativam vivere vitam. Et cùm Pater Monaſterii fuerit de ſæculo evocatus, quem unanimiter omnis congregatio ipſorum ſervorum Dei undecumque ſibi optimè regulam compertam elegerint, ſeniorem ſibi Abbatemque conſtituant: ſeu & cùm Mater Virginum de ſæculo fuerit evocata, quam unanimiter omnis congregatio ipſarum ancillarum Chriſti undecumque ſibi optimè Regulam compertam elegerint, ſibi ſeniorem Matrem unà cum conſilio Monachorum Dervenſium Fratrum Abbatiſſam inſtituant, & ſi eis opportunum fuerit Abbatem benedicendi, aut chriſma conſecrandi, vel ſacros ordines percipiendi, hoc tantummodò nobis propter canonicam inſtitutionem & præjudicium Eccleſiæ noſtræ abſque ullo motu reſervamus.

Ceterum verò, ut ſuperiùs continetur, nullam poteſtatem aut dominationem neque nos vel Archidiaconus, ſucceſſoréſque noſtri, vel quælibet perſona habere non debeat, aut quamcumque de eodem Monaſterio vel Cellulis ejus, & Parochiis aut ceteris Monaſteriis cauſam audeat præſumere vel auferre. Et ſi aliquid ipſa congregatio de earum religione tepidè egerint, ſecundùm Regulam ſancti Benedicti vel Domni Columbani ab eorum Abbate vel Abbatiſſa; qui pro tempore ſpiritalis Pater vel Mater extiterint, corrigantur. Nam nullum Pontificium à nobis, neque à ſucceſſoribus noſtris in eodem Monaſterio pro cauſa cupiditatis, aut (quod abſit) avaritiæ habeatur; ſed proprio in Dei nomine fruantur privilegio. De rebus namque præfatis, conſtructoribus ejuſdem ſancti Monaſterii pro ſuſtentatione prædicto-

Digitized by Google

rum ſanctorum Monachorum, Puellarum Virginum, victum quoque ac veſtitum collatum, ſeu à ceteris Deum timentibus perſonis in anteà collaturis, vel à Regia poteſtate fuerit conceſſum, nihil ex hoc neque Pontificum, nec quarumlibet perſonarum diſtrahendi minuendive cauſâ, poteſtas omnimodo non habeatur, niſi in Matribus vel Patribus ejuſdem Monaſterii, ſuíſque præpoſitis, gubernandi, regendi, diſpenſandíque arbitrio ſeu diſpenſatione conſiſtat.

Ideò quoque præſtitimus privilegium, quia nihil de canonicâ auctoritate convellitur, quidquid domeſticis fidei & maximè contemplativam vitam ducentibus, pro quiete tranquillitatis tribuitur. Quòd ſi quis calliditate aut cupiditate præventus, auſus fuerit ea quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa temerario ſpiritu violare, à Divina ultione proſtratus, reatui anathematis ſubjaceat, veniátque ſuper eum lepra Naaman Syri, excommunicatúſque à ſancta efficiatur Eccleſia Catholica. Et nihilominus hoc privlegium perpetuis temporibus maneat incorruptum. Quæ conſtitutio noſtra ut firmis ſubſiſtat temporibus, manus noſtræ ſubſcriptionibus eſt roborata. Et ut pleniùs confirmetur, ceteris fratribus & Coepiſcopis qui ad præſens non fuerunt, deſtinavimus inſuper roborandam.

Actum Remis publicè data quem fecit menſis Febr. die xv. anno ſecundo glorioſi Domni noſtri Clodovei Regis.

Digitized by Google

Privilegium à THEODORICO *Rege* BERCHARIO *Abbati & Monachis Dervensibus Datum.*

III. PRincipalis Serenitas semper in cuncto debet prospicere ; præcipuè petitionibus Sacerdotum, quæ ritè popoſcerunt benigno animo ſuſcipere & ad effectum perducere ; ut de obtento beneficio valeant gratulari, & eos meliùs delectet pro quiete Regni noſtri & conſtantiâ adtentiùs Domini miſericordiam deprecari. Ideóque venerabilis vir BERCHARIUS Abba de Monaſterio Puteolos, quod bonæ memoriæ germanus noſter CHILDERICUS quondam Rex, ob amorem Dei in foreſtâ Dervo, & fine Waciacenſe*, ſupra fluvium Vigoræ*, in honore Beati Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorumque Domino cognoſcitur ædificaſſe : clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, eoquòd ipſe Princeps integram emmunitatem ad ipſum Monaſterium feciſſet. Unde & ipſam emmunitatem nobis in præſenti protulit relegendam. Sed pro rei totius firmitate petiit celſitudinem noſtram, ut hoc circa ipſum Monaſterium confirmare deberemus. Cujus petitionem non abnegaſſe, ſed in omnibus præſtitiſſe cognoſcite. Et ideò jubemus ut de omni facultate ipſius Monaſterii, tam quod ipſe Princeps ibidem delegaſſe, quàm etiam quod à reliquis Chriſtianis hominibus noſcitur fuiſſe condonatum, quódque adpræſens in quibus locis ac territoriis, & ex ejus hereditate vel ſtudio, tam ultra Ligerim, in Herlâ ſcilicet, & Saturiaco, vel Donnofronte cum appenditiis ſuis, & Diſeïo cum appenditiis ſuis ; quàm etiam citra Ligerim poſſidere videntur ; ſeu quod ibidem adhuc in anteà in Dei nomine à Chriſtianis hominibus juſtè & rationabiliter fuerit additum vel condonatum ; pro quiete ipſius Regni noſtri integram in munitatem pro reverentia ipſius ſancti loci concedimus, ut nullus Judex publicus quolibet modo judicaria accinctus poteſtate, in curtes ipſius Monaſterii, ubicumque adpræſens eorum maneat poſſeſ-

Anno Chr. 787. circiter.

* Vvaſſy.

* Voire.

Digitized by Google

sio vel dominatio, aut quod inanteà fuerit additum aut condonatum: nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ullas paratas aut quaslibet redhibitiones exactare præsumatur. Sed in omni facultate ipsius Monasterii, ut præfatum est, in omnibus locis & territoriis ubi aliquid possidere videntur & dominari, absque interdicto judicum, remotis & resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci, usque super ripam fluvioli Magnentis, progrediente in directum termino ad locum qui Vvallis-profunda nuncupatur, sub emmunitatis nomine inconcussæ tam nostris quàm futuris temporibus valeant dominari vel possidere. Quo fiat & ut nos pro præstito beneficio mercedem obtineamus, & ipsos servos Dei in ipso Monasterio consistentes meliùs delectet pro stabilitate Regni nostri adtentiùs Domini misericordiam deprecari. Et ut hæc emmunitas firmior habeatur, & pro tempore conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus corroborari. Data x. Kal. Junii, Anno decimo Regni ejus. Actum Compendio Palatio.

Adnotatio de Synodis.

Ex antiqua collectione ante annos 800. exarata in MS. cod. Remigiano.

IV. ADnotatio libelli de Synodis XXIV. quæ antea vel infra post sex Synodos principales leguntur esse conscriptæ. [Prima Adnotatio Ancyranæ, quæ ante Nicenam fertur fuisse, sed propter autoritatem majorem postponitur: in qua Patres XVIII. statuerunt Canones XXIV. quorum Auctor maximè VITALIS Antiochenus Episcopus exstitit.

Secunda Neocæsarienſis, quæ post Ancyranam & ante Nicenam legitur fuisse, in qua Patres XIII statuerunt Canones XIV. quorum auctor maximè VITALIS Salaminus exstitit.

Tertia Gangrensis, quæ post Nicenam legitur fuisse, in qua Patres XVI. statuerunt Canones XX. propter quasdam

Digitized by Google

dam neceſſitates Eccleſiaſticas, maximè contra EUSTASIUM, qui dicebat, quòd nullus in conjugali gradu poſitus, nec ullus Fidelis qui non omnibus renuntiaret quæ poſſideret, ſpem apud Deum haberet; & multa alia venenoſa quæ enumerare longum eſt.

Quarta Sardicenſis, in qua Patres LX. ſtatuerunt Canones XXI. quorum auctor maximè OSIUS Cordubenſis Epiſcopus, & VINCENTIUS Capuanus Epiſcopus & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatarius exſtiterunt.

Quinta Antiochena, in qua Patres XXX. ſtatuerunt Canones XXV. quorum auctor maximè EUSEBIUS Palæſtinenſis Epiſcopus exſtitit.

Sexta Laodicenſis, in qua Patres XXII. ſtatuerunt Canones LVIII. quorum auctor maximè THEODOSIUS Epiſcopus exſtitit.

Septima Carthaginenſis, in qua Patres CCXVII. ſtatuerunt Canones XXXIII. quorum auctor maximè AURELIUS Carthaginenſis Epiſcopus exſtitit, etiam & S. AUGUSTINUS Hiponenſis Epiſcopus in eadem Synodo legitur fuiſſe temporibus Honorii Auguſti.

Octava Africana ſub THEODOSIO minore Auguſto in qua Patres CCXIV. recitaverunt & firmaverunt Canones CV, qui per diverſa Concilia Africanæ provinciæ temporibus AURELII Carthaginenſis Epiſcopi leguntur eſſe conſcripti.

Nona Arlatenſis, in qua Patres DC. ſtatuerunt Canones, quorum auctores maximè SILVESTER urbis Romæ Epiſcopus & S. Marinus Arlatenſis Epiſcopus, qui exſtiterunt temporibus Conſtantini Auguſti, ſicut quidam adſerunt.

Decima item Arlatenſis, in qua Patres XIX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè Cæſarius Arlatenſis Epiſcopus exſtitit.

Undecima item Arlatenſis, in qua Patres XVIII. ſtatuerunt Canones.

Duodecima item Arlatenſis in vico Ortenſico, in quo Patres XI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè S. Cæſarius Arlatenſis Epiſcopus exſtitit.

Digitized by Google

Tertia-decima item Arlatenſis, in qua Patres XIX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè SAPARDUS Arlatenſis Epiſcopus exſtitit.

Quarta-decima Arauſicenſis, in qua Patres XVI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè HELARIVS Epiſcopus exſtitit.

Quinta-decima Epaunenſis, in qua Patres XXVII. ſtatuerunt Canones XL. quorum auctor maximè CÆSARIUS Epiſcopus exſtitit.

Sexta-decima Agathenſis, in qua Patres XXXIV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè CÆSARIUS Epiſcopus exſtitit.

Septima-decima Aurelianenſis, in qua Patres LXXII. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè AURELIANIUS Arlatenſis Epiſcopus exſtitit.

Octava-decima item Aurelianenſis, in qua Patres XXXI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè MELANIUS Redonenſis Epiſcopus exſtitit.

Nona-decima item Aurelianenſis, in qua Patres XXV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè S. ALBINUS Andegavenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima Arvernenſis, in qua Patres XV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè HONORATUS Brevitenſis * Epiſcopus exſtitit.

* I. Bituticenſis.

Vigeſima-prima Matiſcenſis, in qua Patres XXI. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè PRISCUS Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima-tertia Lugdunenſis, in qua Patres XIV. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè PHILIPPUS Viennenſis Epiſcopus exſtitit.

Vigeſima-quarta item Lugdunenſis, in qua Patres XX. ſtatuerunt Canones, quorum auctor maximè item PRISCUS Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit.

Explicit Adnotatio.

Digitized by Google

Excommunicatio lata ab Archiepiſcopo Senonenſi in pervaſores rerum Eccleſiaſticarum.

Ex vetuſtiſſimo Pontificali MS. Eccleſiæ Senon. à D. D'Herouval conceſſo.

V. IMmenſus dolor nos urget ad gemitum, ac indicibilis mæſtitia commovet ad fletum, quando illos, quos Paſſio Chriſti à jugo diaboli redemit, & à ſordibus peccatorum ſacer baptiſmus purificavit, & Eccleſiæ Catholicæ corpori ſociavit, nunc iterum ſeipſos ſponte antiquo hoſti ſubdere videmus, & non ſolùm membris Chriſti perſecutionem inferre, ſed etiam contra ipſum totius creaturæ Auctorem & Dominum bellum moliri. Qui enim ſacroſanctæ Eccleſiæ ſtructores atque defenſores eſſe debuerunt, modò venenato diaboli furore vexati, atque ferina rabie concitati, omni timore Dei poſtpoſito, & remedio pœnitentiæ neglect, Eccleſias in Dei honore, ac perpetuæ Virginis MARIÆ, ſanctíque Stephani dicatas, lacerare, ac ſine Paſtore eſſe non pertimeſcunt, violenter uſurpantes ea unde ſancta Dei debet reſtaurari Eccleſia. Ammonemus etiam & ammonendo adjuramus ut incorrigibiles, & qui peſtiferis & flagitioſis moribus ſunt inretiti, ſicut à bonis moribus ſunt alienati, ita & à conſortio fidelium fiant extranei.

Vetuſtas codicis indicat hanc ſententiam ſæculo 8. vel 9. eſſe latam.

Igitur cognoſcat univerſalis Eccleſia hoſtes ſæviſſimos, & tyrannos improbos, adverſarios & perſecutores peſſimos ſanctæ Dei Eccleſiæ Gauzfridum atque Geilonem, Rangenardum, Erodmundum ejus filium, eorúmque commilitones, Eccleſiaſticarum rerum pervaſores, canonicos præceptorum Dei contemptores, ſanctorum canonum tranſgreſſores, paſtoris ſui contradictores, quos ab ipſo ſummo Paſtore CHRISTO, & beatiſſima ejus matre MARIA, atque beato Petro Apoſtolorum Principe, cujus quamvis indignus auctoritate & magiſterio fungor, niſi citiſſimè ſe emendaverint, & ſatisfaciendo commiſſa fideliter reſtituerint, eos cum omnibus ſanctis

Digitized by Google

in cælo meritis viventibus, & in terra miraculis fulgentibus obligamus, & à nobis secundùm potestatem nostræ parvitati concessam ligandi atque solvendi, excommunicamus, atque anathematis gladio transfigimus. Deinde excommunicamus Gauzfridum, Geilonem, Gr. . . . . qui meum injustè usurpat Archidiaconatum, Vvangerium Arricum : Postea verò Anselllum, item Anselllum, Hugonem, Ansegisum, Balduinum.... hos & omnes, qui postquam Archiepiscopalem suscepi benedictionem sanctæ Sennensis Ecclesiæ locum ingredi non permiserunt more antecessorum meorum, desistentes à veritate, adhærentes mendacio : insuper anathematisamus per Patrem & Filium, & per Spiritum Sanctum, & per auctoritatem nobis à Deo concessam, ut nullam Christianorum habeant portionem, Ecclesiámque Dei non ingrediantur, neque Missa eis ab aliquo celebretur, nisi eidem pœnæ voluerit subjacere, nulla pro eis vel pro illorum offensis, nisi satisfecerint, fiat oblatio vel commemoratio, non thuris neque incensi, sed neque sacri luminis carne viventes, vel morientes portionem accipiant, sed cum pravis & contra Deum tumentibus, sanctósque lacerantibus fiat pars, & hereditas eorum ignis indeficiens & cruciatus perpetuus. Maledicti sint in civitate, maledicti in agro, Amen. Maledicti sint in domibus, maledicti sint in villis, Amen. Maledicti sint in saltibus, maledicti in aquis, Amen. Maledicti sint in vicis, maledicti in plateis, & in omnibus locis, Amen. Nisi correcti existant multiplici maledictione induantur, Amen. A nemine Sacerdotum in articulo mortis visitentur, neque in cimiteriis Christianorum sepeliantur, sed velut cadavera fœtida projiciantur, Amen. Maledicta sint horrea eorum, maledictæ sint reliquiæ illorum, Amen. Maledicti sint ingredientes & egredientes, Amen. Percutiat eos Dominus egestate, febri & frigore, ardore, & æstu, & persequatur donec pereant, Amen. Sicut hæc lucerna extinguitur in oculis hominum, sic extinguatur lumen eorum in perpetuum, Amen.

Digitized by Google

Sanctus HENRICUS PETRO *Epiſcopo & Abbati S. Michaëlis in Porcariana, bona ſua & jura confirmat, anno* 1013. *poſt profligatum Arduinum Italiæ Regni invaſorem: vel certè anno* 1014. *ante Paſcha, quo die acceptis à Romano Pontifice Imperii inſignibus cœpit eſſe Imperator.*

Ex veteri membranâ Archivi Eccleſiæ Biſontinæ.

VI. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente clementia Rex. Dum uniuſcujuſque regimen oportet rectitudinis moderari habenis, regalis culmen honoris tantò liberaliùs, atque prolixiùs operam ſuæ deſudationis juſtitiæ impendere debet, & maximè in ſtatu Catholicæ Eccleſiæ, quantò ſe videt à Domino divinitùs ſublimari. Proinde omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrórumque præſentium, ac futurorum fidelium comperiat ſolertia, domnum PETRUM religioſum Epiſcopum, & Abbatem Monaſterii ſancti Michaëlis, in loco Porcariana dicto conſtructi, noſtræ pietatis clementiam & miſericorditer adiiſſe, quatenus ob æternæ remunerationis præmium, noſtræque animæ remedium, jam dictum Monaſterium, in cacumine montis ſitum, noſtra præceptali auctoritate, & ſtabilitate corroboraremus, & confirmaremus. Cujúſque ſacris precibus, ſpe futuri emolumenti proſpicientes, atque faventes, propoſitum Cœnobium, cum alpibus, & omnibus ſilvis, campis, ædificiis, ceteríſque appendiciis, per tria miliaria in circuitu ipſius ex omni parte poſitis, ſeu cum caſtello & corte de Clavaſce, quam UGO Marchio ad eumdem ſanctum & venerabilem locum pro ſuæ animæ remedio dedit, & tradidit, cum omnibus ſuis pertinentiis; cartâ propriæ donationis; atque Caſtaneto, Caciâ, Breteneſo, Villarez quæ dicitur Caſtello, Curtes, Maliaſco, Sablonem, ceteriſque rebus, quas ARDUINUS AN. CHR. 1014.

Digitized by Google

Marchio, filius Otonis, dedit ad Monaſterium jam præfatum: cum cellulis, & Eccleſiis, & univerſis aliis rebus mobilibus & immobilibus, quæ nunc habere videntur, & in ſequenti ibidem Deus augere voluerit, præfato Abbati, & ſanctæ Congregationi in eodem loco Deo famulanti, ſuíſque ſucceſſoribus, noſtra præceptali corroboratione confirmamus, atque (prout juſtè, & legaliter poſſumus) ſtabilimus, & corroboramus. Eo videlicet ordine, quo ipſe Abbas, & Congregatio ſibi commiſſa, ſuorúmque ſucceſſores Monaſterium cum omni integritate, intrinſecus, & extrinſecus habeant, teneant, firmitérque poſſideant; noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum, & omnium hominum ſemota inquietudine, & contradictione, ſeu diminoratione.

Concedimus inſuper, & largimur ipſius ſancti loci Congregationi, habendi licentiam eligendi Abbatem, moribus probatum, præceptis Chriſti, & Regulâ ſancti Benedicti adornatum. Præcipientes igitur jubemus, & hac noſtra præceptali auctoritate ſancimus, ut nullus Dux, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſcius, Baſtaldio, nulláque noſtri Regni magna, parvaque perſona prædictum Monaſterium, aut Abbates, ſeu Congregationem inquietare, moleſtare, diſveſtire, aut fodrum tollere, ſeu legem facere, aut placitum tenere, niſi Abbas ejuſdem loci, aut ſuis Miſſis, præſumat. Si quis autem hujus noſtræ corroborationis paginæ violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras mille, medietatem cameræ noſtræ, & medietatem Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut veriùs credatur, & nunc, & in poſteris ab omnibus . . . . . & manu propriâ roborantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Digitized by Google

FREDERICI *Treverenſis Archiepiſcopi Litteræ formatæ.*

VII. REverendiſſimo cultuquè almifluæ religionis ſinceriſſimo Brunoni Sanctæ Treverenſis Archiepiſcopo, FREDERICUS reverendæ Colonienſis Eccleſiæ ac plebis ipſius humilis famulus in CHRISTO paſtorum Principe, manſuram cum gaudio proſperitatis & perpetuitatis gloriam. Decreta ſanctorum trecentorum octo decim Patrum Niceæ conſtitutorum ſaluberrima ſervantes, Deo dignam piámque paternitatem veſtram canonicè aggredimur, & ſub nomine formatæ Epiſtolæ reverenter veſtram ſanctitatem adimus, vobis videlicet intimando quia præſenti cuidam Diacono noſtro nomine Balduino has dimiſſorias dedimus litteras, quem in veſtra Diœceſi canonicè educatum, de Ordine Clericatus ad Diaconatus proveximus gradum; ut his canonicis munitus apicibus cum noſtra licentia ei in veſtra parochia ſub defenſione ac regimine veſtræ caræ dilectionis degere liceat, & ut eum ſi morum probitas & doctrinæ dignitas ſuppetit, ad Preſbiteratus ordinem promoveatis fideliter annuimus, illúmque in ſinu ſanctæ Matris Eccleſiæ canonicè fovendum ad regendum vobis committimus. Hanc ergo Epiſtolam græcis litteris hinc inde munire decrèvimus, & annullo noſtræ Eccleſiæ bullare cenſuimus. Chriſtus paſtorum Princeps fraternitatem veſtram ad cuſtodiam ſui gregis diu conſervare dignetur incolumem. I. XI. VIII. L. [DCCC. DCCC. CCC. AN. CHR. 1115. circiter.

Vide Præfationem noſtram.

Digitized by Google

Henricus Episcopus Trecensis Bernardum Clarevallensem Abbatem mittit in possessionem Bulencuriæ, ultrò cedentibus qui eam obtinebant Augustinianis.

AN. CHR. 1152. VIII. VEnerabili & Reverentissimo Patri BERNARDO Clarevallensi, Abbati, ejúsque successoribus regulariter substituendis, ego HENRICUS Trecensis Episcopus in perpetuum, salutem. Si Monasteriis & Ecclesiis in Episcopatu nostro constitutis curam & vigilantiam ut in melius proficiant adhibemus, ab illo cui cura est de omnibus, speramus auxilium, & præmium expectamus. In Episcopatu nostro quædam Ecclesia Canonicorum erat, Bulencuria nomine, Abbatem habens, Canonicos & Conversos & mulieres; qui omnes voverant propositum sanctitatis: ubi cùm penitùs disciplina defecisset, regnaret insolentia, honestas deperisset, vocatus ab illius loci habitatoribus, qui jam seipsos per semetipsos sustinere non poterant, adveni. Ibi ab illius loci Abbate, & ab omnibus tam Canonicis, quàm Conversis & mulieribus, cum multis precibus rogatus sum, ut Ecclesiam ipsam & omnes possessiones ejus, quæ jam per se stare non poterant, Deo & Ordini Cistercienſi, specialiter autem venerabili Patri & domui Clarevallis emendandam & possidendam juxta consuetudines Cistercienſis Ordinis in sempiternum concederem. Abbas autem prædicti loci in manu nostra Abbatiam dimisit, & ad opus Clarevallense reddidit.

Videns ergo quia omnipotens Deus tua sollicitudine, sapientiâ & religione pene totum illuminaverat & correxerat mundum, ipsam Ecclesiam Cistercienſi Ordini, tuæ Paternitati, & Clarevallenſi Domui cum omnibus possessionibus suis in perpetuum dono. In quibus hæc sunt quæ nominibus propriis duximus adnotanda. Terram Abbatiæ adjacentem, grangiam de Frigido-fonte, Pertam in Rosteria, Pertam Haymonis, Pertam siccam, Domine

Digitized by Google

Domniperuclum, Bruliam, cum omnibus appendiciis & pertinentiis ipsarum grangiarum, & omnia quæ prædicta Ecclesia in dominio possidebat. Ne autem hoc aliqua temporum vetustate, vel alicujus hominis perversitate aut mutaretur aut penitùs deperiret, sigilli nostri munimine confirmavi. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLII. regnante Ludovico Juniore Rege Francorum.

GUILLELMUS *Montispessulani contrahit matrimonium cum* AGNETE.

Eruit D. d'Herouval.

IX. CONditor omnium Deus cùm in mundi initio cuncta creasset ex nihilo, ex osse viri dormientis formam fecit mulieris, ex uno duos faciens, duos unum esse debere monstravit, ipso testante; *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Quapropter in Dei nomine ego GUILLELMUS Montispessulani dominus procreandorum filiorum amore elegi mihi sponsam assumere, nomine AGNETEM, & facio ei dotem sive donationem decimæ partis omnium rerum mearum mobilium & immobilium ubicumque habeo & habere debeo, & inantea, Deo largiente, ubique locorum adquisiturus fuero. Volo igitur & concedo ut hæc dos & donatio firma & stabilis in perpetuum remaneat. Factum est hoc mense Aprilis anno Domini MCLXXXVII. Ego GUILLELMUS Dei gratiâ Montispessulani dominus signum facio; S. Ulrici, S. Guillelmi de Mesua, S. Rostagni de Monte-Alledon, S. L. de S. Hypolito, &c.

AN CHR. 1187.

Vide seriem Præsulum Magalon. Petri Gariel ad hunc an.

Digitized by Google

Ex Mſ. D. D'Hcrouval.

Statuta LUDOVICI VIII. Regis Francorum, quibus instituit Communiam apud Crispiacum.

Anno Chr. 1223.

X. IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen, Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint universi pariter* & futuri, quòd nos intuitu pacis in posterum obsevandæ concessimus Communiam factam apud Crispiacum, quam omnes homines in Crispiaco morantes & circa castellum Crispiaci manentes juraverunt se perpetuò obsevaturos.

* f. præsentes.

Juraverunt autem quòd alter alteri rectè secundùm opinionem suam auxiliabitur, & quòd ipsi nullatenus patientur quòd aliquis alicui auferat aliquid vel eum talliet, vel quidlibet de rebus suis capiat. Si quis verò Sacramentum alicui facere debuerit, & ante arraminationem sacramenti se in negotium suum iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit, nec ideo incidet, sed postquam redierit convenienter submonitus sacramentum faciet.

Si autem Archidiaconus aliquem de Communia implacitaverit, nisi accusator antè venerit, vel forisfactum apparuerit, non ei respondebit. Si autem Archidiaconus testes habuit contra quos accusatus se defendere non possit, emendabit.

Si aliquis aliquam injuriam fecerit homini de hac Communia, & clamor inde ad Juratos venerit, si ipsum hominem qui injuriam fecerit capere poterunt, de corpore suo vindictam capient, nisi forisfactum emendaverit ipsi cui factum fuerit, secundùm judicium illorum qui Communiam custodiunt. Et si ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, & Communiæ custodes ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino receptaculi vel primatibus ipsius loci querimoniam fecerint, quòd de illo inimico suo ipsis rectitudinem faciat, sicut superiùs dictum est. Si satisfacere voluerit,

Digitized by Google

accipient rectitudinem; & ſi facere noluerit, poſtea auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore & pecunia ipſius qui forisfactum fecerit, & hominum illius receptaculi ubi inimicus eorum fuerit.

Item ſi mercator Criſpiacum venerit ad mercandum, & aliquis ei aliquid forisfecerit in banleuca ipſius caſtelli, ſi clamor inde ad Juratos venerit, & mercator eum invenerit, Jurati erunt auxiliatores vindictam faciendi rectè ſecundùm opinionem ſuam, niſi mercator de hoſtibus ipſorum fuerit, & ſi ad aliquod receptaculum ille adverſarius perrexerit, & ſi ipſe mercator vel Jurati ad eum miſerint, & forisfactor mercatori ſatisfecerit ſecundùm judicium Juratorum, vel probare vel oſtendere poterit ſe illud forisfactum non feciſſe, Juratis ſatisfiet; ſi verò facere noluerit, poſtea ſi intra villam venerit, eum cogere poterunt, & vindictam de illo facient. Nemo autem præter nos & Dapiferum noſtrum poterit conducere in villam hominem qui forisfecerit homini de Communia, niſi pro forisfacto emendando venerit ſecundùm judicium Juratorum. Etſi Epiſcopus Silvanectenſis ignoranter adduxerit in villam hominem qui forisfecerit homini de Communia, poſtquam ſibi oſtenſum fuerit illum eſſe de hoſtibus Communiæ, nullo modo poſtea illum adducet niſi conſilio Juratorum, & ea vice eum reducere poterit.

Si autem homo extraneus panem & vinum ſuum in villam Criſpiaci cauſa ſecuritatis adduxerit, & poſtea diſcordia inter Juratos & dominum extranei hominis evenerit, quindecim dies habebit vendendi panem & vinum ſuum in ipſa villa, & deferendi nummos & omnem aliam pecuniam ſuam præter panem & vinum, niſi ipſe fecerit forisfactum, vel fuerit cum illis qui forisfecerint: & nullus homo de Communia credet pecuniam ſuam vel accommodabit inimicis Communiæ quamdiu guerra durabit, & ſi aliquis de Communia fuerit convictus quòd crediderit aliquid inimicis Communiæ, de eo ſecundùm judicium Juratorum juſtitia fiet: & ſi homines de Communia aliquandò contra hoſtes ſuos exierint, nullus eo-

Digitized by Google

rum loquetur cum hostibus suis, nisi de licentia eorum qui Communiam custodiunt.

Statuti verò ad Communiæ custodiam juraverunt quòd nemini propter cognationem vel amorem deferent, & neminem propter inimicitiam lædent, & rectum judicium secundùm æstimationem suam facient. Omnes alii juraverunt, quòd idem judicium quod prædicti Statuti super eos fecerint, patientur & concedent, nisi probare potuerint, quòd de propria pecunia solvere nequiverint.

Præterea concessimus & præcepimus, quòd universi homines infra muros castelli & extra manentes in cujuscumque terra morentur, Communiam jurent si de Communia esse voluerint.

Si quis autem de Communia aliquid forisfecerit & per Juratos emendare noluerit, homines Communiæ facient eis inde justitiam.

Si quis ad sonum campanæ pro congreganda Communia factum non venerit, duodecim denariis emendabit.

Nos autem super hominem Communiæ mortuam manum non clamabimus, nec foris maritagium, nec alius; nec homo Communiæ nobis vel alteri respondebit, nisi tantùm de canagio suo, quod nisi statuto termino reddiderit, quinque solidis domino suo emendabit. Concessimus etiam quòd bannum facere non poterimus super Burgenses nec super res eorum, nisi assensu eorum, sicut nec hactenus fecimus.

Si quis extraneus sive Miles, sive serviens aut rusticus forisfactum fecerit infra Bankeucam, Major eum de hoc forisfacto submonere debet, & nisi ad mandatum Majoris venerit, Major & homines villæ ad diruendam domum ejus exeant, quæ si adeò fortis sit ut vi Burgensium dirui non possit, ad eam diruendam vim & auxilium conferemus. Si verò aliqua domus infra tertiam leucam sita sit, quæ villæ nocuerit, sine forisfacto à Burgensibus diruetur, quæ si vi eorum dirui non possit, vi & auxilio nostro diruetur.

Digitized by Google

Nos etiam non poſſumus, nec aliquis de ſervientibus noſtris appellare per vadia duelli hominem de Communia. Quidquid à bigis vel quadrigis accipietur ad faciendam calciacam dabitur; à biga non ferrata obolus accipietur, à ferrata denarius, à quadriga non ferrata denarius, à ferrata duo denarii accipientur.

Si nos Majorem vel homines Communiæ de re quæ ad nos pertineat ſubmoneri fecerimus intra villam Criſpiaci, judicio Juratorum cauſa finietur.

Si ruſticus extraneus in villam venerit cauſa intrandi Communiam de quocumque ſit diſtricto, quidquid ſecum adduxerit ſalvum erit, & hoc quod ſub diſtricto domini ſui remanebit, domini erit, excepta hereditate. Si verò aliquid ſub diſtricto alterius domini habuerit, dominus ejus ſuper hoc clamorem non faciet, & hoc quod ſecum adduxerit, quocumque voluerit liberè remittet; ipſe etiam & res ejus ubique morari liberè poterunt.

Sciendum eſt etiam quòd Burgenſes Criſpiaci nullos homines de corpore Silvanectenſis Epiſcopi poterunt de cetero in ſua Communia retinere, nec etiam aliquos de hominibus de corpore Beatæ MARIÆ Morgnoualle. Si homo Communiæ terram vel aliud habuerit extra villam, & illuc cauſa negotiationis ïerit, de aliquo ſubmoneri non debet, niſi tantùm de redditu terræ.

Si homo de Communia hominem de Communia per vadia appellaverit, per ſe ipſum aut per Advocatum, qui ſit de Communia, appellabit, nullúſque ab utralibet parte erit Advocatus, qui non ſit de Communia.

Si verò homo extraneus, qui Burgenſi catallum debeat, intra villam venerit, Burgenſis ſine forisfacto eum detinebit, & Majori reddet, & Major eum judicio Juratorum tractabit ubicumque Burgenſis pro catallo ſuo à Milite abandon acceperit, ſine forisfacto accipiet. Quòd ſi Miles negaverit, Burgenſis coram Majore ad judicium Juratorum illud infra banleucam diſrationare debet. Ubicumque Major & Jurati villam Criſpiſaci firmare voluerint in cujuſcumque terra ſit, abſque forisfacto firmabunt.

Digitized by Google

Nos etiam monetam non poſſumus divellere, nec aliam facere niſi aſſenſu Majoris & Juratorum. Sed ſi eam, prout neceſſe ſit, non ſufficere videmus, eamdem renovare poterimus, neque eam leviorem fieri permittemus, veterémque cum nova currere faciemus.

Conceſſimus etiam quòd Communia habeat omnia forisfacta, & juſtitias catallorum, & emendationes omnium forisfactorum, quæ in caſtello Criſpiaci & infra banleugam ejuſdem villę fient de hominibus Communiæ, ubicumque ea habuimus nos vel anteceſſores noſtri hactenus infra banleugam, eo excepto quòd nobis retinemus murtrum, raptum, homicidium & juſtitiam pedagii noſtri, ſicut eſt conſuetum, ſalvo jure Eccleſiarum & Militum, ſicut ea hactenus habuerunt.

Dicta verò Communia pro his omnibus tenetur reddere Baillivis noſtris apud Criſpiacum ſingulis annis trecentas & ſeptuaginta libras nigellorum, videlicet tertium in feſto ſancti Remigii, & aliud tertium in Purificatione Beatæ MARIÆ, & reliquum tertium in Aſcenſione Domini. Dicta verò Communia nobis reddet annuatim undecim modios & quatuor minas avenæ, & ſexdecim capones & duos panes ad ſtatutos terminos, ſicut ſolent reddi. Ipſis verò cenſus & omnem legitimam meliorationem quam ibi facere poterunt in perpetuum concedimus. Et ipſi nobis debent exercitus & equitationes ſicut aliæ Communiæ noſtræ.

Quæ omnia ut perpetuæ ſtabilitatis robur obtineant, præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate, & Regii nominis caractere inferiùs annotato, ſalvo jure noſtro, ad uſus & conſuetudines præſenti chartæ annotatas con-
1223. firmamus. Actum Compendii anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo tertio, Regni verò noſtri primo. Adſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſubpoſita ſunt & ſigna; Dapifero nullo. Signum ROBERTI Buticularii, S. BARTHOLOMÆI, Camerarii, S. MATTHÆI Conſtabularii. Data per manum G. Silvanectenſis Epiſcopi Cancellarii.

Digitized by Google

LUDOVICUS VII. *decimam panis ad Curiam ſuam allati dum Pariſiis moratur, concedit Monialibus Hederenſis Abbatiæ.*

D. d'Herouval. ex chartis deſcripſit.

XI. LUDOVICUS Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam Deo diſponente bona quæ temporaliter agimus, & contra adverſarium noſtrum arma ſunt inexpugnabilia, & æternæ hereditatis indubitanter nobis acquirunt præmia, ratio conſulit, neceſſitas exigit, ut dum tempus habemus, bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei operemur, ut pauperes ſpiritu noſtræ largitatis munificentiâ neceſſitatis ſuæ obtineant remedium, & noſtra fragilitas eorum orationibus adjuta, in diſtricto examine Judicem ſibi miſericordem inveniat & propitium. Eleemoſyna enim, teſte ſcriptura, & oratio juſti aſſidua, peccatum extinguere, & Dominum cujus imaginem portamus valet inoffenſum reddere, in cujus manus durum & horrendum eſt incidere. Hac igitur ratione inſtructi, hac conſideratione admoniti, volumus & immobili lege ſtatuimus, vt panis qui ad Curiam noſtram & ſucceſſorum noſtrorum quotieſcumque Pariſius fuerimus defertur, totus ex integro decimetur, atque eadem decima Sanctimonialibus ſanctæ MARIÆ de Edera ob remedium animarum noſtrarum in perpetuum præbeatur. Id etiam Regibus poſteris noſtris denuntiamus, quatinus hanc eleemoſynam noſtram acceptam habeant, manuteneant, & in nullo umquam minui permittant. Quod ne valeat oblivione deleri, ſcripto commendavimus, & ne poſſit à poſteris infirmari, ſigilli noſtri auctoritate, & nominis noſtri charactere ſubter firmavimus. Actum Pariſius publicè anno Incarnati Verbi MCXLIII. Regni noſtri VII. aſtantibus in Palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna, S. RADULFI Viromandorum Comitis Dapiferi noſtri, S. WILLELMI

AN. CHR. 1143.

Digitized by Google

Buticularii, S. MATTHÆI Camerarii, S. MATTHÆI Constabularii. Data per manum CADURCI Cancellarii.

Ex tabulario Hederensis Abbatiæ descripsit D. D'Heronval.

LUDOVICUS VII. *dat Monialibus Hederensis Abbatiæ quidquid percipere solebat de Capiceria Parisiensi, sede Episcopali vacante.*

AN. CHR. 1161.

XII. EGO Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Post obitum Parisiensis Episcopi bonæ memoriæ THEOBALDI, Episcopatus & regale in nostram manum venit, & similiter Capiceriæ redditus; Sed cùm oblationes & redditum altaris nollemus assumere in usus Regios, Monasterium virginale de Edera conspeximus multis indigere, & sacrarum virginum indigentiæ succurrere dignum duximus. Notum itaque facimus universis præsentibus & futuris, quòd pro nostra & antecessorum nostrorum Regum Franciæ animabus, quidquid capiebamus in Capiceria Ecclesiæ Parisiensis sede vacante, & Episcopatu existente in manu Regia, Conventui sororum de Edera quotiens vacaverit Episcopatus donavimus habendum usque ad ipsam diem qua facta fuerit electio. Et interim dum tenuerint Moniales Capiceriam, ipsius Capiceriæ & Altaris tam de luminaribus quàm de aliis necessariis, sicut est consuetudo Ecclesiæ, expensas facient. Quod ut ratum sit & penitus inconcussum per scripturam præsentem & Regii sigilli impressionem confirmari præcipimus, subscripto nominis nostri charactere. Actum publicè Parisius anno ab Incarnatione Domini MCCLXI. astantibus in Palatio nostro quorum subtitulata sunt nomina & signa. Sig. Comitis THEOBALDI Dapiferi nostri, S. Guidonis BUTICULARII, S. Matthæi Camerarii, Constabulario nullo. Data per manum HUGONIS Cancellarii & Episcopi Suessionensis.

Privile-

Digitized by Google

Privilegium Ecclesiæ Sancti Juliani Brivatensis concessum à CAROLO *Calvo, confirmatum à* LUDOVICO VII. *& à S.* LUDOVICO.

Ex suis membranis descripsit D. D'Herouval.

XIII. LUDOVICUS* Dei gratiâ Francorum Rex, universis præsentes Litteras inspecturis salutem. Notum facimus quòd nos Litteras inclytæ recordationis LUDOVICI* quondam Regis Francorum proavi nostri vidimus in hæc verba: AN. CHR. 1269. * Ludovicus IX. * Ludovicus VII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen, Ego LUDOVICUS Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, hoc est Præceptum CAROLI* gloriosissimi Regis ad munificentiam beati Juliani datum sub tempore venerabilis FROTARII Archiepiscopi. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus Divini cultus amore favemus, id nobis proculdubio & ad præsentem vitam feliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter capessendam, profuturum nullatenus dubitamus. Quapropter notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus scilicet & futuris, Frotarium venerabilem Burdegalensis Ecclesiæ Archiepiscopum ad nostræ Dignitatis accessisse clementiam, humiliterque petisse, ut Monasterium constructum in honore sancti Juliani in Comitatu Brivatensi, cui quoque ipse canonicalis Rector Domino præerat favente, sub nostro mundeburdo ac tuitionis ope acciperemus, acceptúmque nostra defenderemus prærogativa: cujus religiosis suasionibus ob Dei amorem tanto libentiùs assensum præbuimus, quanto id ad nostræ remunerationis præmium ampliùs profuturum perspeximus; præcipientésque jubemus, jubentésque decernimus, ut in suprascripto Monasterio nullus Regius aut Abbatialis, aut Episcopalis, vel Comitalis homo mansiones sine Fratrum consensu accipere præsumat; neque in villis prætaxati Cœnobii, ubicumque locatæ fuerint, quas nunc habent, vel quæ Deo donante acturæ esse potuerint, ut nullus judex publicus, * Caroli Calvi.

Digitized by Google

nulla cujuslibet judiciariæ potestatis persona aliquem distringere, aut fidejussores tollere, aut pascuaria accipere, neque mansionaticos, sive paratas aut parafredos, vel teloneum, aut pontaticũ vel portaticum, sive cespitaticum exigere, sive aliquid quod ad publicam districtionem pertineat, agere aut inferre præsumat: Sed remota procul, ut diximus, omni sæculari vel judiciaria potestate liceat eis qualemcumque sibi sua sponte elegerint Advocatum habere, ipsúmque Advocatum nemo præsumat temerario ausu distringere, vel in tortum mittere, sed nostro coram Comite Palatii, res jam prælibati Martyris, videlicet sacri Juliani, absque alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere; & jam dictis Clericis supra textu nostræ donationis quietè vivere, ac pro nobis, conjuge & prole, regníque nostri statu libentiùs Dei misericordiam delectet implorare. Statuere nobis nostríque fidelibus placuit, ut qui hæc statuta à nobis firmata violare tentaverit, talenta pondera auri libras duas coactus persolvat. Ut autem hoc nostræ defensionis immunitatísque edictum validiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu nostra, annulíque nostri impressione firmavimus.

Ego igitur Ludovicus Dei gratia Rex Francorum & Dux Aquitanorum. Notum fieri volumus universis Ecclesiæ Dei fidelibus tam futuris quàm præsentibus quia nos hanc eamdem prærogativam & libertatem, sicut superiùs descripta est, prædictæ Ecclesiæ beati Juliani Brivatensis in perpetuum concessimus & confirmavimus, scilicet ut Ecclesia illa cum omnibus possessionibus suis nulli alii potestati, quàm Regi Francorum, vel Majori domus suæ si ab eo missus fuerit, sit obnoxia, nullius alterius subjectionis aut consuetudinis debito sit obligata. Quòd ut perpetuę stabilitatis obtineat munimentum scripto commendavimus, & sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subtus firmavimus. Actum publicè Brivati anno Incarnati Verbi MCXXXVIII. Regni nostri II. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata, & signa. Dapifero nullo. Signũ VV. Buticularii, S. Matthæi Constabularii, S. Matthęi Camerarii. Datum per manum Algrini

Digitized by Google

Cancellarii. In cujus rei teſtimonium præſentibus Litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſius anno Domini MCCLXIX. menſe Decemb.

PHILIPPI V. *Regis Francorum Ordinationes pro æqualibus ac ſimilibus ponderibus ac menſuris in univerſo Regno inſtituendis, & eximendis dominii ſui bonis abalienatis vel uſurpatis.*

Conceſſit D. d'Heron. val.

XIV. PHILIPPES par la grace de Dieu Roys de France & de Navarre, à noſtre Amé & feal Clerc Maiſtre AUBERT de Roye ſalut & dilection, ſavoir vous voulons que lonc temps a grant cure & grant diligence vint a nous du paſſage d'outre mer en penſant continuellement comment pour la deffenſe neceſſaire de la foy Chreſtienne, laquelle eſt moult deprimée des ennemis meſcreans, & par leurs injures la reauté du temple noſtre Seigneur forment laidië, nous puiſſions proffitablement metre la perſonne & tout noſtre povoir à la deſtruction deſdis meſcreans: & pour ce naguieres tant pour la preparation & execution de noſtre dit propos, comme pour le proffit de nos ſubgiés, & la reformation neceſſaire de noſtre Royaume, avec la deliberation de noſtre Conſeil nous nous perveiſmes de faire ordonnance ſus trois choſes. AN. CHR. 1321.

Premierement que pour oſter les griés dommages qui ſeulent* venir des monnoies, leſqueles pluſieurs ſeulent batre en diverſes parties de noſtre Royaume, non pas ſans fraude de deuë loy & pois, une ſeule monnoie de bon & loyal pois fut faite par nous. * *ont accoûtumé.*

L'autre, que en noſtre dit Royaume, ou il y a diverſes meſures & divers pois en deception & leſion de pluſieurs, fuſſent faites de nouvel & ſeul pois, & une ſeule meſure convenables, deſqueles le peuple uſaſt dores en avant.

Le tiers, que comme par dons & autres tiltres moult

Digitized by Google

de choſes qui eſtoient de noſtre patrimoine & de noſtre Royaume ayent eſté alienées & tranſlatées en autres perſonnes, icelles choſes feuſſent ramenées & remiſes meant * juſtice à noſtre domaine, & ainſinc ſous une monnoie, un pois, & une meſure convenable li peuples marcheandaſt plus ſeurement à la valuë & ou pris des choſes, & ce eſtant en cette maniere leur facultés demouraſſent en eſtat plus ſeur, & les choſes alienées rapelées & remiſes à noſtre domaine, nous eſpargniſſions plus profitablement nos ſubgiez de moult de choſes.

* *moiennant.*

Sus leſqueles choſes deſſus dites nous voulans avoir deliberation avec les Prelats, Barons, Communautés de villes & autres certaines perſonnes a nous ſubjetes, en demandant leur conſeil, & pour avoir ayde convenable pour mettre a effet les dites choſes, les queles ſont au commun prouffit. Les appellaſmes par devant nous, & eux preſens leur feiſmes expoſer par ordre les devant dites choſes. Et lors li Prelat qui eſtoient preſens euë deliberation ſur ce loërent noſtre dit propos comme bon & convenable, mes entant comme touchoit la dit ayde ils vouloient avoir deliberation avec les autres Prelas, les Chapitres de Egliſes, & les Convens en leur provinciaus Conciles, les quiex il feroient pour ces choſes, & a nous reſpondre ſus ce perciſaument, il accepterent jour a lendemain de la procheine feſte ſaint André.

Nous conſiderans eſtre choſe cõvenable & expedient, que es dis Conciles nous envoyens certeines bonnes perſonnes & ſages: & aians fiance de voſtre ſageſſe & de voſtre loyauté, vous mandons & commettons que vous ailliés & ſoiés en voſtre perſonne au Concile que noſtre Amé & feal l'Arceveſque de Sens fera, dou quel quant & ou il ſera tenus il eſt meſtier que vous ſachiés par devant & ſans delay, & aus Prelas & autres perſonnes qui ſeront au dit Concile expoſés meurement & pourſuiés ſagement leſdites choſes, & les induiſiés a ce que il ſi comme la charge de la choſe & de la beſoigne le requiert, ſe acordent de otroier & faire tele ayde & ſi ſouffiſant que la dite beſoigne prengne fin deſirée & deuë, a

Digitized by Google

laquele les ſubgiés doivent auſſi volentiers metre leurs deſirs comme parmi ce le commun & general proffit eſt procurés, & leur dommage grandement eſchuës. Et monſtrés bien auſdis Prelas, que ſus ces choſes il ſe aient en tele maniere que il n'oſtent pas ne apeticent la bonne volenté a la foy des autres, ains leur doingnent exemple & chemin de faire ce que les dites choſes requierent: & les dits Prelas ne pourront pas mettre par raiſon delay a noſtre entente; car nous ne faiſons nulle impoſition, ne nous ne demandons riens par exaction, més nous faiſons inſtance pour le commun proffit, du quel nous devons eſtre meniſtre & aucteur; & la neceſſité de ceſte choſe & le proffit ſont communes aus perſonnes tant ſeculieres comme de Egliſes, & des proffis qui s'en enſuiront uſeront tous enſemble: & nous cuidons & avons noſtre fiance que ſus ces choſes de nous & des dis Prelas les volentés & deſirs doient eſtre tuit un. Si vous mandons que en la proſecution des dites choſes vous ſoiés ſi diligent, comme vous ſavés que le grant bien du general proffit le requiert. Donné à Paris Dimanche avant la ſaint Michel, lan de Grace M. CCC. XXI.

Par le Conſeil, BARNY.

PHILIPPUS VI. *Rex Francorum præcipit* BERNARDO *de Moreul, ut Gallicorum caſtrorum depoſitâ Præfecturâ, regimen ſuſcipiat atque inſtitutionem Iohannis filii ſui primogeniti, qui patri ſucceſſit.*

Eruit D. d'Herouval & communicavit.

DE PAR LE ROY.

XV. SIre de Moreul vous ſavez commant nous vous deymes lautre jour que nous vous aviens ordené pour eſtre avecques Jehan noſtre fils & à ſon frain: & vrayment nous ne vous oſtons de l'office de Mareſchal

AN. CHR. circiter. 1328.

Digitized by Google

pour nul mal qui ſoit en vous, né pour nul deffaut qui par vous ait eſté en voſtre office, mes nous vous amons miex prés de Jehan noſtre fils que nous ne feriens nul autre. Si voulons que vous vous ordenez tantoſt pour y venir & pour y eſtre dores en avant continuellement; car il eſt temps que ceux qui ſont ordenés pour y eſtre y ſoient: & ſi eſt miex voſtre honeur de le faire maintenant quil ne ſeroit quant nous ſerons plus avant en la guerre. Et pour ce que vous nous priaſtes quant nous vous en parlames, que nous y vouſiſſions garder voſtre honeur, vrayment ſe vous y penſés bien vous trouverez que nous vous faiſons trop plus grant honneur de vous y mettre, que nous ne feriens de vous leſſier Mareſchal, meſmement conſideré que nous voulons que vous ſoiez tous li premiers & li principauls de ſon frain, car il not oncques Mareſchal en France qui n'en leſſaſt volentiers loffice pour eſtre li premiers au frain de lainſné fils du Roy. Si nous ſemble que voſtre honeur y eſt non pas gardée ſeulement mes accreuë. Et quant au prouſit, il nous ſemble que il y eſt plus grant qu'il ne ſeroit à eſtre Mareſchal; car pour pluſieurs fraudes qui ſe faiſoient pour cauſe des droiz des Mareſchaus, nous avons ordené que dores en avant nul Mareſchal ne prandront nul droiz, mes ſeront tournez à noſtre prouſit tous les droiz quil ſoloient prandre, & il auront cinq cens livres tournois chaſcun d'eux par an pour toutes choſes, & ſi ne les auront fors ſeulement durans les guerres. Et nous voulons que vous aiez pour eſtre avecques noſtre fils cinq cens livres chaſcun an, les quelles nous vous donnons à voſtre vie. Si nous y ſemble le prouſit plus grant que en l'office de Mareſchal, pour quoi vous n'en devez eſtre en nulle melancolie, mes en devez eſtre tous liez & pour honeur & pour profit. Donné à Becoiſel le v. jour de Juillet.

Digitized by Google

Patres Concilii Baſileenſis mutuo accipiunt pecuniam ab Abbate Ciſtercienſi.

XVI. SAcroſancta Generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, univerſis & ſingulis in Biſuntinenſi, Eduenſi, Lingonenſi & Cabilonenſi Civitatibus & Diœceſibus deputatis à nobis & deputandis ad colligendum, recipiendum & exponendum pecunias quæ ex Indulgentiis provenient, nec non illis qui deputati ſunt, aut deputabuntur cuſtodes clavium, truncorum, ſeu capſarum aut archarum in quibus dictæ pecuniæ reponentur, ſalutem & Omnipotentis Dei benignitatem. Univerſitati veſtræ notum facimus per præſentes, & atteſtamur nos dudum pro factis Græcorum mutuo in pecunia numerata recepiſſe à dilecto Eccleſiæ filio Johanne Abbate Monaſterii Ciſtercienſis Cabilonenſis Diœceſis trecentos ducatos auri de Camera, quos ſibi promiſſimus debere reſtitui de pecuniis primis ex Indulgentiis colligendis. Quare vobis & ſingulis veſtrûm tenore præſentium mandamus, ut pro dictis trecentis ducatis de Camera in quibus eidem Abbati obligati ſumus, nomine noſtro de dictis pecuniis integrè ſatisfaciatis, nec non de triginta ducatis quos occaſione hujuſmodi aliter expoſuit. Poſt hujuſmodi ſatisfactionem ab eo quitantiam petentes; quod ratum gratúmque habituri ſumus. In quorum teſtimonium præſentes ſigillo noſtro munitas fieri juſſimus. Datum Baſileæ die ultima menſis Junii anno ab Incarnatione Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto. AN. CHR. 1436.

Locus ſigilli.

BARTHOLOMEUS.

JULIUS Legatus manu propria.

Digitized by Google

Exchartis D. d'Heronval.

PHILIPPUS Dux Burgundiæ scribit CAROLO VII. quid Delfinus ejus filius agat.

A mon tres redoubté Seigneur Monseigneur le Roy.

AN. CHR. 1456. XVII. MOn tres redoubté Seigneur, tant & si tres humblement comme plus puis je me recommande à vostre bonne grace, & vous plaise savoir, mon tres redoubté Seigneur, que depuis la date de mes autres lettres que je vous escrips par Perrenet chevaucheur de vostre escuierie, porteur de ceste, j'ay eu nouvelles que mon tres redoubté Seigneur Monsieur le Daulphin de Viennois estoit allé en pelerinaige à Monsieur saint Claude, & dessa s'estoit alé esbatre devers mon Cousin le Prince d'Orenges en son hostel de Vers: lesquelles nouvelles je deis tantost audit Perrenet pour les vous rapporter: & pour ceste cause ay delayé de expedier icelui vostre chevaucheur en attendant se jauroye nouvelles plus avant de ceste matiere; & depuis ay eu nouvelles que Mondit Sieur le Daulphin lui estant au dit lieu de Vers a mandé venir devers lui le sieur de Blammont mon Mareschal de Bourgoigne, au quel il a requis le vouloir acompaignier jusques devers moy, ce que mondit Mareschal ne lui a osé reffuser, & comme m'a escript & fait savoir icelui mon Mareschal, il sen y vient de tire; de laquelle chose, mon tres redoubté Seigneur, je ne me donnoie point garde & en ay esté bien esmerveillié, & vous en advertis, comme raison est: & s'il est ainsi vous savez, mon tres redoubté Seigneur, que pour honneur de vous, de lui & de vostre noble maison, raison veult & enseigne que je lui face tout l'onneur, reverence & plaisir que pourray bonnement, ainsi quil appartient & comme faire le doy, & orray volentiers ce quil lui plaira moy dire & declarer, & apres le vous signifieray, car Dieu scet que de tout mon cueur je seroye desirant quil

Digitized by Google

qu'il feuſt touſiours en voſtre bonne grace, & ſe acquiſtaſt envers vous comme bon fils doit faire envers ſon Seigneur & Pere, en quoy de tout mon loyal povoir je me voudroye emploier ſe l'opportunité ſi adonnoit, moiennant voſtre bon vouloir & plaiſir. Mon tres redoubté Seigneur, plaiſe vous touſiours moy mander & commander vos bons plaiſirs & commandemens, leſquels je ſuis & ſeray tout preſt d'accomplir de tout mon loyal povoir, comme raiſon eſt, par layde du benoiſt Fils de Dieu, auquel je prie qu'il vous doint bonne vie & longue, & accompliſſement de vos tres haulx & nobles deſirs. Eſcript à Utrecht le xxv. jour de Septembre.

Voſtre tres humble & tres obeïſſant Philippes Duc de Bourgongne & de Brabant: Et plus bas, Gros. Et au deſſus de la lettre eſt eſcrit: A Mon tres redoubté Seigneur Monſeigneur le Roy, *Et à coſté eſt écrit:* Lettres de Monſieur de Bourgongne receuës à Lion le xviii. jour d'Octobre M. CCCC. LVI.

Digitized by Google

Ex authentico d'Herouval.

JOHANNES *Borbonius Epiſcopus Podienſis, Pecuniæ ſummam conſert Regi Francorum* LUDOVICO XI. *qui bellum tunc temporis gerebat.*

AN. CHR. 1470. XVIII. SIRE ſi tres humblement comme je puis je me recommande à vôtre bonne grace, & vous plaiſe ſçavoir, SIRE, que ſachant que en cette guerre & armée, ou de preſent vous eſtes à bonne, ſainte & juſte querelle, ne peut eſtre que nayez aucunes neceſſitez & beſoin d'eſtre ſecouru & ſervy de vos ſubjets; & deſirant de tout mon cœur & pouvoir que en veniez à voſtre au deſſus, comme croy parfaitement que ſi ferez, pour à ce vous ſubvenir & ſelon ma poſſibilité ſervir, me ſuis deliberé vous preſter la ſomme de quatre mil eſcus d'Or, & icelle delivrer es mains de Meſſieurs de vos finances, pour la convertir & employer au fait & entretenement de vôtre guerre. Si vous ſupplie, SIRE, ſi tres humblement comme je puis, que mon petit offre & ſervice vous plaiſe prendre en gré; & avoir advis au fait de la ſucceſſion du feu Prieur de la Charité plus pour obvier au dongier de conſcience, que pour en faire le prouffit de vôtre ſainte Abbaye de Cluny, laquelle eſt aujourdhuy plus que jamais deſolée, ſi ſont les pouvres Religieux qui ſont pour la pluſpart en captivité de vos ennemis, pour ce que Lordon eſt vôtre main : mais je ſuis certain, SIRE, que leſdits pouvres Religieux comme bons & loyaux a vous, & eſperans que brief ſerez leur Meſſias, auront bonne patience, attendans la dellivrance que de par vous en recouvrant vôtre paix & droit demaine de Maſconnois leur ſera en brief faite. Et pleuſt à Dieu, SIRE, que euſſiez veu, comme j'eſpere que brief ferez, que c'eſt de laditte Abbaye & de la bonne & ſainte vie qui y eſt gardée & tenuë. Car je crois fermement que bien l'aurez agreable & en bonne grande & devote eſtimation comme vôtre fille & de fondation

Digitized by Google

royale, laquelle eſt & la plus floriſſante en bonne regle juſques cy des autres du monde, ſelon le commun bruit. SIRE, plaiſe vous touſiours moy commander vos bons plaiſirs, comme a celluy qui autant que aucun autre vôtre ſubjet a eu & touſiours aura vouloir de les loyaument accomplir, quelque choſe que l'on vous ait peu contre verité dire d'aucontraire; ainſi que fet le benoiſt Fils de Dieu, qui vous donne bonne vie & longue, & vos nobles deſirs accomplir. Eſcript à Moniſtrol le XI. jour de Fevrier.

Voſtre treshumble & tres obeïſſant Subjet & Orateur

EVESQUE DU PUY.

Litteræ LUDOVICI XI. *Regis Francoram ad Cancellarium nomine Doriole, ob Auguſtam viromanduorum, ſive S. Quintini urbem à Comite ſtabuli occupatam.*

Ex Mſ. D. d'Herouval.

XIX. MEſſieurs le Chancelier grant Maiſtre & de Craon; Je vous eſcris par Maiſtre Loys d'Amboiſe, & Monſieur de Genly, ce que les gens du Conneſtable ont dit, & ce que je leur ay reſpondu; ils vous diront ce qu'ils ont de charge touchant noſtre Conneſtable. Il me ſemble que Monſieur de Genly a bonne voulenté, & m'a promis de gagner Monſieur de Moy, & les gendarmes, & de recouvrer la ville maugré le Conneſtable. Entretenez le bien ainſy que vous ſaurez bien faire, pour veoir ſil fera ce qu'il dit; Je leur ay baillé par eſcrit, que ſi le Conneſtable veult rendre la Ville de Monſieur ſainct Quentin, & faire le ſerment ſur la vraye Croix de ſaint Lo ainſy qu'ils vous monſtreront, que je ſuis content de luy pardonner; & tandis vous ſaurez ſe le Duc de Bourgongne veult accepter le party que je vous ay mandé par Monſieur de Limoſin, & par avanture que ceſt offre gardera noſtre Conneſtable: de aſſeurer de tous poins ſon fait avecques le Duc de Bour- AN. CHR. 1470.

Digitized by Google

gongne ſi toſt comme il feroit, ſil n'avoit point d'entretenement dautre part s'il na conclud ſon appoinctement avecques le Duc de Bourgongne : je ne vois point que le Duc de Bourgongne ne accepte l'un des deux partis par paix ou par treve de luy courreſus ; & ſi davanture le Duc de Bourgongne le reffuſoit, je raurois Monſieur Sainct Quentin, par quoy il n'auroit plus dequoy me tromper que de ſes places, qui eſt peu de choſe : Car au regart des gendarmes je les rauroye quant je vouldroye.

Je vous prie ſentés le pluſtoſt que vous pourrés par noſtre Prothonotaire la voulenté du Duc de Bourgongne, & s'il eſt beſoing que je me approuche juſques à Creil, eſcrivés le moy, je le feray incontinent ſoit pour le traicté du Duc de Bourgongne, ou pour celuy du Conneſtable ; & de Creil je yroye de Guyſe en une nuit juſques à Compiengne pour parler à noſtre Prothonotaire ſi beſoing eſt, & m'en retourneroye le lendemain, & cuideroit on que j'euſſe les ammoroites. J'envoyeray Monſieur de Bouchage apres eux affin quil les face charrier droit, mais je vous aſſeure que Maiſtre Loys d'Amboiſe eſt bon pour cette querelle, acauſe de l'advertiſſement qu'il me fit, & ne voudroit point qu'il eut pouvoir de luy nuyre ; vous le connoiſteres bien quant vous parleres à luy apart. Monſtrés ces lettres au Gouverneur du Lymoſin, & non à autre, & apres les gectés ou feu devant ce porteur. Adieu. Eſcrit à Montlean le vingt uniéme jour de Decembre. Signé Loys, plus bas, Tilhart.

Au dos eſt eſcrit, A Meſſieurs le Chancelier Grant Maiſtre de Craon : *Et à coſté ſont eſcrits ces mots de la main du Chancelier Doriole.* Lettres du Roy apportées par Sezille, receuës à Compiengne le vingt quatriéme jour de Decembre mil quatre cens ſoixante treize.

Digitized by Google

SANCTIUS *Garſias Epiſcopus Lomberienſis ſcribit* LUDOVICO XI. *Regi Francorum, quæ in Legationis munere geſſerit apud Regem Caſtellæ, & quòd Rex ipſe paci inter eos initæ ſubcripſerit.* *Ex authentico D. d'Herouval.*

AU ROY MON SOUVERAIN SEIGNEUR.

XX. SIRE, tant & ſi tres humblement comme je puis me recommande à voſtre bonne grace. Plaiſe vous ſçavoir, Sire, que le Dimanche apres les trois Roys, les Roy & Roine de Caſtille ont juré la paix d'entre vous & eux à grande ſolemnité, & ont voulu que j'aye dit une Meſſe haute, & à la fin d'icelle prés Meſſieurs le Cardinal, Conneſtable, Maiſtre de ſaint Jacques, & pluſieurs autres Princes & grands Seigneurs, & l'Egliſe toute pleine de peuple, firent le ſerment en mes mains ſur un Reliquaire où il y a de la vraye Croix, & ſur le Miſſel devant le grand Autel de Nôtre Dame de Gadeloup, qui eſt une tres devotieuſe Chapelle, & continuellement ſi y font de grands miracles : Les Religieux de ladite Egliſe ſont de l'Ordre ſaint Hierome, & tiennent grande obſervance & ſainte vie, & eſt leur Prieur de Paris, qui ne vous a pas oblié en ſes ſaintes oraiſons. AN. CHR. 1478.

Sire, je vous certifie que leſdits Roy & Royne & tous ceux du Royaume ſont fort joyeux de la paix & ne le celent pas, meſmement la Royne, car je croy qu'elle eſt la meilleure Françoiſe qui jamais fut en Caſtille, & vous ayme & vous voudroit obeir autant que ſi vous eſtiez ſon propre pere, & pour tel vous tient : auſſy le Roy m'a dit que jamais n'obliera le grand bien, honneur & ſecours que vous luy fiſtes à Peronne ; & quelque queſtion que aiez euë avec le Roy d'Arragon ſon pere, pour choſe du monde avec luy n'en aurez jamais, & m'a chargé vous

Digitized by Google

dire que combien que comme Roys de France & de Caſtille vous ſoyez freres, ſi veut il que vous ſoyez ſon pere, delibere de vous ſervir & obeir comme à ſon propre pere le Roy d'Arragon. Pluſieurs autres beaux langaiges m'ont chargé vous dire, & m'ont fait de grands honneurs pour l'amour de vous, tant à ma reception où furent le Conneſtable, le Maiſtre de ſaint Jacques, & tous les autres Princes de la Cour, que auſſy ledit jour qu'ils firent le ſerment, & me firent ſouper avec eux, & y eut une tres grande feſte.

Au regard de Monſieur le Cardinal, je croy que vous n'avez en vôtre Royaume, ne en tout le monde, meilleur amy & ſerviteur que luy, & ne deſire que a oyr parler de vous & vous obeir & ſervir, & en paſſant par ſon .... de ſe .... & par ſes terres & a .... où ſe tiennent le Duc de Linphantade & ſes autres freres qui m'ont fait tres grande chere & honneur par tout, ſuis eſté deffrayé. Incontinent que fus arrivé il vint en mon logis, & ne vous ſçaurois eſcrire le grand recueil & honneur qu'il m'a fait, car à toute heure il falloit que je fuſſe avec luy.

Sire, jay bien trouvé bon ce que diſtes à Monſieur de Torcy & à moy à Therouenne, que par le moyen de Monſieur le Cardinal pourriez faire la paix, car je vous certifie que le Royaume de Caſtille eſt entre ſes mains & de ſes aliez, deſquels eſt Monſieur le Conneſtable qui eſt venu expreſſement devers le Roy de Caſtille pour eſtre à ma reception, & s'eſt fort declaré voſtre bon ſerviteur, & ainſy en entretenant Monſieur le Cardinal, vous eſtes aſſeuré de toute Caſtille, auſſy le vault il; car c'eſt un des nobles, vertueux & ſage Prelat que je vis jamais: j'ay entendu qu'il deſire fort avoir un Eveſché en vôtre Royaume afin d'eſtre voſtre ſubjet pour plus eſtre obligé à vous ſervir, auſſy il me ſemble que luy avez fait dire autrefois, il ne ſe cele pas d'eſtre voſtre ſerviteur, car à tout le monde ſe declaire eſtre tel, & bon François, & m'a donné charge vous dire, que le

Digitized by Google

plus grand deſir qu'il a en ce monde, c'eſt avoir occaſion de vous aller voir, & dit que en ſon abſence il donneroit ordre à l'entretenement de Caſtille auſſy bien que s'il eſtoit preſent.

Sire, il m'a monſtré un Bref que le Pape luy a envoyé, luy priant qu'il fut mediateur entre luy & vous touchant le fait de Florence, & autres differens; & auſſy en a eſcrit le Pape aux Roy & Royne de Caſtille, quand il a ſceu que la paix eſtoit faite entre vous & eux; mais ils ne vous ont voulu eſcrire ſur ce juſques à tant qu'ils ſçachent ſi vous y prendriez plaiſir. Au regard de Monſieur le Cardinal il a deliberé n'en faire ſinon ce que luy commanderez, car en cela & toutes autres, veut vous obeir & complaire.

Sire, leſdits Roy & Royne avoient deliberé d'envoyer une ambaxade devers vous, mais ils ont differé de l'expedier juſqu'a tant que les Roys d'Arragon & de Caſtille ſon fils ſe ſeront veus, qui ſera bien toſt. Monſieur le Cardinal a deliberé ſe trouver expreſſement pour vous y ſervir, & incontinent vous advertir de tout ce qui y ſera fait.

Le Vicaire de Feſcamp eſt avec moy & ne m'a jamais abandonné, & ay bien connu qu'il eſt bien voſtre bon ſerviteur.

Au regard du fait de Rouxillon, l'arbitrage tirera avant pour entretenir le Roy d'Arragon, & m'ont dit leſdits Roy & Royne que apres ſon treſpas vous en appointerez bien aiſement; & m'a dit la Royne à part, que pour Rouxillon, Cathalongne ne Arragon, jamais n'aurez guerre de Caſtille, & que ne vous ſouciez de Rouxillon, car elle en prend la charge; & m'a dit que le plus grand . . . . quelle a en ce monde, c'eſt de vous voir, car il luy ſembleroit qu'elle verroit le bon Roy Dom Johan ſon pere. Auſſy Monſieur le Cardinal m'a dit que quelque marché qu'il y aye, Rouſſillon vous demeurera, & de toute Caſtille vous pouvez eſtre aſſeuré auſſy bien que de voſtre Royaume.

Digitized by Google

L'Archeveſque de Tolete a baillé toutes ſes forteresſes ez mains de la Royne depuis que je ſuis de deça, & auſſy a recouvrée une autre forte place, nommé Trugilles, que tenoit le Marquis de Villaignes. D'autres nouvelles de pardeçà pourrez ſçavoir par ce porteur s'il vous plaiſt de l'oyr. Je feray la meilleure diligence que pourray de m'en aller devers vous.

Sire, je prie au benoiſt Fils de Dieu qu'il vous doint tres bonne vie & longue, & victoire de vos ennemis. Eſcript à Montbeltran le XXIV. jour de Janvier.

Voſtre tres-humble & tres obeiſſant ſubjet & ſerviteur, l'EVESQUE DE LOMBES.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A.

ABBATIS electio quî fieri debet, 595.
Adalaudus Turonenſ. Archiepiſcop. 417. 424. 433.
Adela Comitiſſa Lovanienſis, 588.
Adela Comitiſſa Gaſtinenſis, 414. *& ſeqq.*
Adela filia Gaufridi Martelli II. 461.
Adeelmus, ſive Adelelmus de Samblaciaco, 501
Adriæ Regnum inſtituitur, 223.
Ægidius Bituricenſ. Archiepiſcopus, 356.
Afflictiones cur Deus ſinit juſtis accidere, malos verò proſperitate gaudere, 43.
Afflegemienſis, ſive Affliginienſ. hiſtoria, 585. *& ſeqq.*
Abbatum Afflegemenſ. ſeries, 610. *& ſeqq.*
Annexum eſt iſtud Cœnobium Archiepiſcopatui Meclinienſi, 620.
Agnes uxor Goffridi Martelli Conſulis Andegavenſ. 483.
Alanus Coriſopitenſis Epiſcopus, 292.
Albericus Sanctæ Chriſtinæ dominus, 547.
Albericus Montrichardi, 551.
Albericus de Montheſauro, 567.
Albinus Andegav. Epiſc. Auctor Synodi Aurelianenſ. 634.
Aleidis Regina Angliæ, 612. *& ſeqq.*
Algerius Baſogerij dominus, 547.
Algrinus Cancellarius, 650.
Alienora ſoror Regis Caſtellæ, 184.
S. Alona miraculis clara, 514.
Alphonſus Rex Aragonum, 624.
Amauricus de Credonio & de Brioleto dominus, 291. *& ſeqq.*
Ambaſium caſtrum, 433. 511. *& ſeqq.*
Ambaſienſium dominorum geſta, 511. *& ſeqq.*
Ambaſienſis Eccleſiæ Canonicorum fundatio, 546.
Andegavenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ jura & conſuetudines, 247. *& ſeqq.*
Andegavenſe Concilium, 315.
Andegavenſe Monaſterium B. Mariæ, 354.
Quid juris in illud habeat Epiſcopus, *ibid.*
Hiſtoria Andegavenſ. per Fulconem Comitem, 392.
Andegavenſ. Comitum genea-

Digitized by Google

logia, *ibid.*
Andegavenſium Conſulum geſta, 399. & *ſeqq.* 534.
Andreas de Aldia, 574. 579.
S. Anſelmus Cantuarienſ. Archiepiſcopus, 609.
Arardius Lochenſis dominus, 544.
Archembaudus de Bleris, ſive de Breſis, 561. 564.
Archembaldus Fortis de Borbono, 495. 565.
Archembaudus de Buſenciaco, 451. 544.
Arnulfus Ambaſienſis dominus, 488. & *ſeqq.*
Arnulfus de Magduno, 488.
Arnulfus de Virſone, 572.
Artaudus de Roſſilione, 186. 188.
Auguſta Viromanduorum, *vide* S. Quintini,
S. Auguſtinus Auctor Synodi Carthaginenſis. 633.
Aunarius Epiſcopus Autiſſiodorenſ. 423. & *ſeqq.*
Aurelianus Arelat. Epiſcop. Auctor Synodi Aurelianenſ. 634.
Aureliùs Carthag. Epiſc. Auctor Synodi Carthaginenſ, 633.
Item Africanæ, *ibid.*

B.

BALDUINUS de Aloſto Flandrenſ. Princeps, 611.
Balduinus II. Rex Jeruſalem, 506. 568.
Barcinonenſe Chronicon, 621.
Bartholomæus Abbas Majoriſmonaſterij, 487.
Baſina uxor Ducis Saxoniæ, 523.
Beneficia Eccleſiaſtica vendendi pravam conſuetudinem abſtulit Hugo Calvimont. 559.
Bercharius Abbas Dervenſis, 628.
Berengarius Elnenſis Epiſcopus, 204.
Berengarius de Orcario, 550.
Berengarius Tarraconenſis Archiepiſc. 621.
Bernardus Atonis Vicecomes Nemauſenſis, 174.
Bernardus de Minerba, 163.
S. Bernardus Abbas Clareval. 383. 613. 640.
Bernardus de Moreul. 652.
Bertoendus Catalaunenſ. Epiſcopus, 627.
Blancha Regina Navarræ, 196.
Bonifacius de Anglano Comes Montiſalbani, 190.
Bonifacius Papa VIII. jus in Regnum Franciæ fruſtra prætendebat, 344.
Briencius de Monte Johannis dominus de Briançon, 289.
Britonum mores ac provinciæ deſcriptio, 456. & *ſeqq.*
Buchardus de S. Amando Seneſ-
Bulencuriæ Monaſterium, 640.
callus Vindocinenſ. 569.
Burchardus de Montheſauro, 490. 547. 551.

C.

S. CÆLESTINI Papæ caput in Afflegemienſi Eccleſia, 615.
S. Cæſarius Arelat. Epiſc. Auctor Arelatenſium Synodorum, 633. 634.
de Carlades Vicecomitatus, 168.

Digitized by Google

Carolus Calvus Rex Franc. 649.
Carolus VII. Rex Francorum, 636.
Christiana religio adversus Gentilem asseritur, 3. & seqq.
Christianè ac rectè, vivendi optima documenta, 101.
Quæ sublimioris vitæ regula, 104.
Clemens V. Papa, 356. 363.
Clementis Papæ VII. litteræ quibus instituit Regnum Adriæ, 223. & seqq.
Clodoveus Rex Francorum, 522. & seqq.
Clodoveus III. Rex Franc. 627.
Clotildis uxor Clodovei Regis, 523.
Conanus Dux Britanniæ, 455. & seqq. 457.
Conciliorum viginti quatuor Auctores, 632. & seqq.
Concilium Andegavense, 315.
Balileense, 655.
Salmurience, 323.
Turonense, 396.
Tarraconense, 621.
Conradus Rex Austrasiorum, 469.
Constantia filia Manfredi Regis Siciliæ, 489.
Constantia uxor Roberti Regis Franc. 466.
Consuetudines commendatitiæ, 569.
S. Cornelij Compendiensis Ecclesiæ fundatio à Carolo Calvo Imperatore facta, 157.
Crespiacensis communia instituta, 642. & seqq.
Curiosos & incautos quî decipit dæmon, 97.

D.

DERVENSE Monasterium, V, Monasterium,
Dionysia uxor Sulpicij Ambasiacens. 548.
Divinandi ars, *vide* Mathesis,

E.

EDUARDUS primogenitus Regis Angliæ, 184.
Elias Cenomanens. Comes, 484. 505. 564.
Elizabeth uxor Hugonis Ambasiacensis, 565.
Piissima mulier, 575.
Epistola formata, V. litteræ.
Eusebius Palæstinens. Episcop. Auctor Antiochenæ Synodi, 633.
Excommunicationis sententia in pervasores rerum Ecclesiasticarum ab Archiepisc. Senonensi lata, 635.

F.

S. FLORENTINI ossa Ambasiæ recondita; 546.
Fontanensis Monasterij Ordin. Cistercien. Historia, 367.
Franco Abbas Afflegemiensis, 610.
Quæ scripserit, 611.
Frangalus Fulgeriarum dominus, 543.
Frederici Colonienſis Archiepisc. litteræ formatæ, 639.
Frotarius Burdigalensis Archiepiscopus, 649.

Digitized by Google

Fulco Bonus, ſive Pius Conſul Andegavenſis, 434. & ſeqq.
Fulco Nerra Conſul Andegavenſ. 452. & ſeqq.
Fulco Richin Conſul Andegav. 488. & ſeqq.
Fulco Conſul Andegavenſ. Rex Jeruſalem, 498. & ſeqq. 505. 568.
Fulco Vilenſtratij, 547.
Fulco Rufus Conſul Andegav. 432. & ſeqq.
Fulco de Cande, 501.
Fulgentius Abbas Afflegemienſis, 594. & ſeqq. 609.

G.

GALTERIUS Meduanenſis, 502.
Galterus Laudunenſ. Epiſcopus, 165. & ſeqq.
Gannelio de Balgenciaco, 387.
Garnerius Lochenſis, 433.
Gaſto Epiſcopus Oſcenſis, 204.
Gaufridus, V, Gofridus,
Gaufridus S. Aniani dominus, 464. 541.
Gaufridus Carnot. Epiſcopus, 390.
Gaufridus Griſatunica, ſive Griſagonella Conſul Andegavenſ. 441. & ſeqq.
Gaufridus Martellus Conſul Andegavenſ. 472. & ſeqq.
Gaufridus Barbatus Conſul Andegavenſ. 484. & ſeqq.
Gaufridus de Pruliaco, 488.
Gaufridus Martellus Conſul Andegavenſ. 496. 545.
Gaufridus de Doe, 503.
Gelduinus de Calvomonte, 548.
Gelduinus Salmurienſis, 451. 452. 454. 464. 465. & ſeqq. 541. 543.
Ejus genealogia, 542. & ſeqq.
S. Georgij Vindocinenſ. Eccleſiæ fundatio, 483.
Gerardus Albus Miles, 587.
Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, 588. & ſeqq. 591.
Gilla filia Caroli Simplicis, uxor Rollonis, 436.
Godefridus Dux Brabantiæ ſeu Lovanienſis, 612.
Godefridus Rex Jeruſalem, 507. 604.
Godefridus Bullonius, 604.
Godefridus III. Dux Lotharingiæ, 614.
Gofridus, *vide*, Gaufridus,
Gofridus Burellus, 572.
Gofridus de Bello-videre, 576.
Gofridus Pruliaci, 494. 552. & ſeqq,
Gofridus Comes Andegavenſ. 508. & ſeqq.
Gofridus de Calvomonte, 548.
Gofridus Guiturni, 569.
Goſcelinus de ſancta Maura, 501. & ſeqq.
Goſcelinus de Alnello, 576.
Goſbertus Prætor Calvimontis, 552.
Gravellanus Archiepiſc. Meclinienſ. 620.
Guemno de Caſtallione, 567.
Guiardus Camerac. Epiſcopus, 616.
Guicherius Caſtri-Reginaudi, 553.
Guido de Camiliaco, 293. 299.
Guido Lavallenſis, 502.
Guido Buticularius, 648.

Digitized by Google

Guillelmus, *vide*, Willelmus.
Guillelmi Majoris Episcopi gesta, 247. *& seqq.*
Guillelmus Montilpessulani dominus, 171. 172. 178. 641.
Guillelmus filius Artaudi de Rossilione, 186. 188.
Guillelmi Comitis Tolosani & Guillelmi Barcinon. concordia, 162.
Guillelmus Episcopus Redonensis, 292, 293.
Guillelmus Comes Arelatens. 466.
Guillelmus Normannorum Dux, 470.
Guillelmus Pictavens. Comes, 478. *& seqq.* 481. 498.
Guillelmus Dux Norman. pòst Rex Anglorum, 462. 484. 488. 505. 549. *& seqq.*
Guillelmus Jaliniacensis, 496. 497.
Guillelmus Comes Flandrensis, 500.
Guillelmus Jesmales, 500.
Guillelmus de Medalia, 625.
Guillelmus Mirebellensis, 503.
Guillelmus Rufus Rex Anglorum, 505.
Guillelmus Henrici Regis Angl. filius, 505.
Guillelmus Limeriarum, 573.
Guillelmus de Volsar, 608.
Guillelmus de Grimbergis dominus de Ascha, 516.
Guillelmus de Montecathano, 625.

H.

HAimericus de Curone, 494. *& seq.* 554. *& seq.*
Hala Blesensis Comitissa, 563.
Halengarius strenuus Miles fit Monachus, 435. *& seqq.*
Hamericus Consul Santonicus, 450.
Haraldus Rex Anglorum, 549.
Hederensi Abbatię quædam confert Ludovicus VII. 647. 648.
Helias, *vide*, Elias,
Henrardus Miles, 588.
Henricus Dux Lotharingiæ, 448.
S. Henricus Imperator, 637.
Henricus Trecens. Episc. 640.
Henricus I. Rex Franc. 467. *& seqq.*
Henricus Rex Anglorum, 499. *& seqq.*
Henricus Campaniæ Comes, 576.
Henricus Rex Anglorum, Comes Andegavens. 582. 583.
Henricus de Ascha, 615.
Herbertus Redonensis Episcopus, 377.
Herbertus de Poliaco, 569.
Herbertus Comes Tricacensis, 442.
Herbertus Comes Cenomanens. 454. 464. 488. 539.
Heribrandus Princeps, 598.
Hersendis uxor Lisoij, 545. 547.
Herveus de Danzeio, 567.
Herveus de Clanseio, 563.
Hilarius Episcop. Auctor Arausicens. Synodi, 634.
Hioles de Hungaria Regina Aragonum, 623.
Honoratus Bituricens. Episcop. Auctor Arvernens. Synodi, 634.
Hugo de Aloia, 501.

Digitized by Google

Hugo Comes Ruthenenſis, 168.
Hugo Belvacenſis, 466.
Hugo de Matafelone, 501.
Hugo de Aluia, 553.
Hugo Ambaſienſis, 494. *& ſeq.* 501. 537. *& ſeqq.*
Hugo de Bauceio dominus de Blodio, 293. 300. *& ſeqq.*
S. Hugo Abbas Cluniacenſis, 386. *& ſeqq.* 609.
Hugo Turonenſ. Archiepiſcopus, 458. 573.
Hugo de Calvomonte, 499. 553. *& ſeqq.* 560.
Hugo Rupium, 564.
Hugo Epiſcopus Sueſſionenſ. Cancellarius Franciæ, 648.

I.

JAcobus Rex Aragonum, 181. 197. 623. *& ſeqq.*
Jacobus Rex Majoricarum, 197. 622.
Jacobus Scotiæ Rex, 243. 625.
Ida Bolonienſis Comitiſſa, 604.
Jaquelinus Malliacenſis, 501. 571. 579.
Ildebertus Turonenſ. Archiepiſcopus, 372. 387.
Ildefonſus Rex Aragonum, 168. 174. 622.
Imagines Regum, &c. non eo quo Gentiles modo venerantur Chriſtiani, 34. *& ſeqq.*
Ingelbertus de Calf-ſter vir nobilis, 602.
Ejus actus, *ibid. & ſeqq.*
Ingelgerius Conſul Andegavenſ. 412.
Innocentius Papa II. 382. *& ſeq.*
Johanna uxor Philippi III. Regis Francorum, 196.
Johanna Regina Navarræ, 208. *& ſeqq.*
Johannes Borbonius Podienſis Epiſcopus, 658.
Johannes Magalonenſis Epiſcopus, 171. 181.
Johannes de Bellomõte dominus de Gratequeſſe, 293. 299. 301.
Johannes Montiſbaſonis dominus, 499.
Johannes Limeriarum dominus, 557. 579.
Johannes Vindocini dominus, 572. *& ſeqq.*
Johannes Cameracenſis Epiſcopus, 618.
Johannes Brabantiæ Dux, 619.
Johannes Sabinenſ. Epiſcopus Cardinalis, 622.
Johannes Abbas Ciſtercienſis, 655.
Joſephus Sulleij, 502.
S. Juliani Brivatenſis Eccleſiæ privilegium, 649.

L.

LAndonense caſtrum Philippo Regi conceſſit Fulco Richin, 488.
Landricus Dunenſis, 450. *& ſeqq.* 453.
S. Laudi Eccleſiæ Andegav. Decani juramentum, 510.
Laudunenſi Eccleſiæ libertates confert Ludovicus VII. Rex Franc. 165.
Galterus Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ, *ibid. & ſeqq.*
Leonicus de Magduno, 488. *& ſeqq.*

Digitized by Google

Leothericus Senonensis Archiepiscopus, 468.
Lescelinus de Orcario, 550.
Liscardus Sabolienfis, 501.
Lisoius Ambasiacensis, 471. 473. 491. 538. & seqq. 544. & seqq. 547.
Litteræ formatæ, 639. & *in Præfatione nostra.*
Lochæ castrum, 433.
Origo, 521.
Ludovicus VII. Rex Francor. 647. 649.
Ludovicus VIII. Rex Francor. 642.
Ludovicus Dux Andegavorum Rex Adriæ instituitur, 223. & seqq.
S. Ludovicus Rex Franc. 623. 649.
Ludovicus XI. Rex Francor. 658. 659. 661.
Lupus Andegavens. Episcopus, 429. 430.
S. Lutgardis Virgo, 616.

M.

MAINOLDUS Cenomanens. Episcopus, 429.
Majusmonasteriũ funditus eversum, 420.
Quanta mala Goffridus Barbatus Consul Andegav. intulit Majorimonasterio, 484. & seqq.
Manfredus Rex Siciliæ, 189. & seqq.
S. Mariæ Virginis Zona, 449.
Marinus Arelat. Episc. Auctor Arelatensis Synodi, 633.
S. Martini Dumiensis epist. 626.
S. Martini festum subventionis ordinatum in Synodo. 420.
Ejus corpus Autissiodorum trãsfertur, 421. & seqq.
Illud reddere nolunt Autissiodorenses, 423. & seqq.
Ingelgerius cogit restituere Turonensibus, 425.
Miracula plura à S. Martino patrata, 427. & seqq.
Mathesis sive ars divinandi prorsus incerta & vana, 37.
Mathildis filia Fulconis Andeg. Comitis, 503.
Mathildis filia Regis Anglorum Henrici, uxor Imperatoris, &c. 505.
Matthæus Constabularius, 450.
Matthæus Camerarius, *ib.* 648.
Mauricus sive Amauricus de Credonio & de Brioleto dominus, 291. & seqq.
Mauricius Consul Andegavens. 450. & seqq.
Mauricius de Credunte, 501.
Mauricius Escarpellus, 551.
Melanius Redonens. Episcop. Auctor Synodi Aurelian. 634.
S. Michaelis in Porcariana Monasterium, 637.
Milites Stellæ, *vide* Stellæ.
Monasterij Dervensis fundatio, 627.
Privilegia, 628. 631.
Monastica vita inter Christianos est sublimior, 104.
Instituta Monachorum, 105.
Quare à multis odio habeantur, *ibid.*
Psallendi & orandi eorum consuetudo, 113.
Monspessulanus, *vide*, Guillelmus, Johannes.

Digitized by Google

N

NIcolaus Gellent Episcopus Andegavens. 247.
Nicolaus Papa IV. 316. 318.
S. Nicolai Andegavensis Monasterium perfecit Goffridus Martellus, & in eo Monachos instituit, 483.

O.

ODinus Jalviniacensis, 565.
Odo Campanienſis Comes, 452. 454. 465. 469. & seqq. 539. 543. & seqq.
Odo Stratensis Abbas, 460.
S. Odo Abbas Cluniacensis, 435.
Ollegarius Episcopus Barcinonens. 621.
Orricus Pejor-lupo, 569.
Osius Cordubensis Episc. Auctor Sardicens. Synodi, 633.
Otho de Montecathero, 204.

P.

PEloquinus de insula Buchardi, 503.
Peregrinus Abbas Auctor historiæ Monasterij de Fontanis, 367.
Petrus de Pruleio, 503.
Petrus Episcopus & Abbas S. Michaëlis in Porcariana, 637.
Petrus Cardinalis, 459.
Petrus Abbas Sanctarum Crucum, 204.
Petrus de Candeïo, 391.
Petrus Rex Aragonum, 178. 622. 624.
Petrus filius Regis Aragonum, 189.
Petrus Rippacratiæ & Impuriarum Comes, 204.
Petrus de Viridario Archiepiscopus Majoricarum, 204.
Petrus de Paludello, 569.
Philippus Camerac. Episcopus, 617.
Philippus Lugdu. Episc. Auctor. Synodi Lugdunens. 634.
Philippus V. Rex Franc. 651.
Philippus Dux Burgundiæ, 656.
Philippus I. Rex Francor. 498. 558.
Philippus Redonens. Episcopus, 377.
Philippus III. Rex Francorum, 196.
Philippus de Majoricis, 197.
Philippus VI. Rex Francorum, 205. 652.
Philippus Rex Navarræ, 208.
Philippus IV. Rex Francorum, 253. 271. 276. 284. 326. & seqq. 341. 342. 355. 624.
Philippus Flandriæ Comes, 615.
Pipinus Major-domus, 627.
S. Pontij Tomeriarum Abbatia nunc Episcopatus, 163.
Priscus Lugdu. Episcop. Auctor. Synodi Matiscens. 634.
Item Synodi Lugd. *ibid.*
Psallendi & orandi in Ecclesia consuetudo, 123.

Q.

S. QVintini urbs occupata à Comite Stabuli, 659.

Racherius

Digitized by Google

R.

RAherius de Montebasonis, 389.
Radulfus de Baugenciaco, 564.
Radulfus de Perona, 500.
Raginaldus de Monte Basonis Archiepiscopus Turonensis, 269. & seqq. 303. 356.
Raimo Episcopus Aurelianens. 417. 424.
Raimundus Comes Tolosanus, 172.
Raimundus Berengarij Comes Montanarum, 204.
Raimundus Comes Barcinon. 621.
Rainaldus Aucherij, 387.
Rainaldus de Castello Rainaldi, 387. & seqq.
Rainaldi-Castri origo, 478.
Rainaldus de Castro, 502.
Rainaldus de Veheio, 503.
Reginaudus de Castro, 572.
Reginaudus Rabelli, 576.
Remundis domina de Alost, 607.
Reonaldus Archiep. Remensis, 592.
Rex illitteratus est asinus coronatus, 437.
Richardus Comes Normanniæ, 448. 456.
Richardus Dux Norman. 462.
Ridellus Rilliaci, 580.
Robertus de Rupibus, 547. 553. 564.
Robertus Sulleij, 501.
Robertus de Auesiaco, 493. & seq. 554.
Robertus Remens. Archiepiscopus, 356.
Robertus de Gratalupo, 389.
Robertus Rex Francorum, 466. & seqq.
Robertus Dux Normannorum, 462.
Robertus Comes Flandrensis, 608.
Rodulfus Vicecomes Thoarci, 477.
Rodulfus Rex, 467.
Rogerius de Castro-ciro, 625.
Rogerius Diabolerij, 547.
Rollo Dux Normannorum, 436.
Rotrodus Pertici Comes, 500.

S.

SAncius de Aragonia Magister Hospitalis, 204.
Sanctius Rex Majoricarum, 200.
Sanctius de Percheia, 572.
Sanctius Garsiae Episcop. Lombardensis, 661.
Sapiens apud Gentiles quis censendus est, 4.
Salmurienſe Concilium, 323.
Salomon dominus Lavardini, 492.
Seguinus Racherius, 579.
Sergius Papa IV. 461.
Serlo Abbas Saviniacensis Ordinis Cisterc. 374. 384.
Siceræ fluvij unde nomen, 513.
Sigenis de Crayn'hem Eques Auratus, 615.
Simon de Baugenciaco, 572.
Sparadus Arelat. Episcop. Auctor Arelatens. Synodi, 634.
Spiritus sanctus probatur Deus, 52. & seqq.
Stellæ Militum institutio, 215. & seqq.

Digitized by Google

Stephanus Trecorum & Meldorum Comes, 466.
Stephanus Comes Moritonij, 500.
Stephanus Blesensf. Comes, 552. 563.
Stephanus Sacri-Cæsaris dominus, 576.
Studiis operam dantes incautos & curiosos quî decipit dæmon, 97.
Sulpicius Ambasiacensf. dominus, 489. 494. 536. & seqq. 548. & seqq. 569. & seqq.
Sylvester Papa Auctor Arelat. Synodi, 633.

T.

de TEMPLARIIS plura *vide*, 356. & seqq.
Theodericus Comes, 609.
Theodosius Episc. Auctor Laodicens. Synodi, 633.
Theobaldus Parisiensis, 648.
Theobaldus de Matasselone, 501.
Theobaldus Comes Blesensis, 500.
Theobaldus Comes Campaniæ, 473. & seqq. 546. & seqq.
Theobaldus ejus filius, 576.
Theobaldus Dolens. Episcop. 292. 295.
Theobaudus Rupium, 579.
Tertullus Consul Andegavens. 408.
Torquatius sive Tortulfus Consul Andegavens. 408.
Traditiones Patrum fidem servant, 98.
SS. Trinitatis Abbatia, *vide*, Vindocinense.
Turonensis provinciæ Episcoporum epistola ad Bonifacium Papam, 344.

V.

VALDO Abbas, 143.
Villa-Sœpa, sive Villalupa unde, 521.
Vincentius Capuanus Episcop. Auctor Sardicens. Synodi, 633.
Ecclesiæ Romanæ Legatus, *ibid.*
Vindocinense Monasterium Sanctissimæ Trinitatis fundanut à Goffrido Martello Consule Andegavensi, 482. & seqqq.
Vindocinensis Ecclesiæ S. Georgij fundatio ab Agnete uxore Goffridi Martelli, 482.
Virginitas & continentia commendatur, 111.
Vitalis Anriochenus Episcop. Auctor Synodorum Ancyranæ & Neocæsarienſis, 632.
Vitæ sublimioris regula quæ sit conservanda, 104.
Vldinus Jaliniaci, 580.
Vrbanus Papa II. 396. 556.
Vrso de Franctavalle, 572.
Waltildis Abbatissa Dervensis, 628.
Wenceslaus Brabantiæ Dux, 618.
Willelmus Patriarcha Josolymitanus, 369. & seqq.
Willelmus, *vide*, Guillelmus.

Digitized by Google

ERRATA QVÆDAM QVÆ IRREPSERVNT in tomo X. Spicilegij.

Pag. 4. *lin.* 17. *lege*, Videri.
Pag. 7. *lin.* 21. *l*, mentirentur.
Pag. 19. *lin.* 3. *in margine*, *l*, captivitas.
Pag. 42. *lin.* 5. *l*, ex compugnantibus.
Ibid. *lin.* 10. erecta.
Pag. 43. *lin.* 32. *l*, contrario.
Pag. 45. *lin.* 29. *l*, dilectorum.
Ibid. *lin.* ult. *l*, exitu.
Pag. 47. *lin.* 10. *l*, copiosæ cruor hostiæ.
Ibid. *lin.* 21. *l*, conducibilius.
Pag. 51. *lin.* 6. & 7. jam cognita.
Pag. 55. per se, *fortè*, pro se.
Pag. 64. *lin.* penult. *l*, manifestatio.
Pag. 65. *lin.* 7. *l*, phœnicium.
Pag. 70. *lin.* 29. *l*, & hominum.
Pag. 81. *lin.* 23. *post* percurrat *pone* virgulam, *& dele post* ut.
Pag. 83. *lin.* 17. *ubi litteris Italicis notantur quatuor lineæ tamquam ex S. Scriptura, quæ revera non sunt.*
Pag. 91. *lin.* 25. *l*, inventam.
Pag. 93. *lin.* 3. *l*, casum.
Pag. 94. *lin.* 11. *l*, ne quemquam.
Pag. 96. *lin.* ult. *post* ac Filio, *pone virgulam tantùm.*
Pag. 103. *lin.* 12. *l*, væneunt.
Pag. 104. *lin.* 29. *l*, renui.
Pag. 107. *lin.* 25. *l*, à delictis.
Pag. 114. *lin.* 17. *l*, oretur.
Pag. 124. *lin.* 13. *l*, se donante.
Pag. 566. *lin.* 17. *in margine*, Gilbertus, *l*, Alveridus.
Pag. 639. *lin.* 1. Treverensis, *l*, Colonienſis.

Digitized by Google

IN TOMO IX. SPICILEGII VELIM corrigas Lector.

Pag. 155. *lin.* 31. MCCXI. *lege*, MCCII.
Itidem in margine, 1202.
Pag. 161. *lin.* 13. *adde poſt* habeat:
Item, Si Agnes ſuperſtes non fuerit, vel ſecundùm dictum modum liberi ejus ad filiam meam Adalais, vel ad ejus heredes primò maſculos primogenitos, vel maribus deficientibus, ad feminas primogenitas gradatim pertineat; ita quòd unus vel una præcedens ſolummodò præ ceteris habeat.
Ibid. lin. 31. ſæpe, *l*, ſemper, *lin.* ult. facta, *l*, pacta.
Pag. 162. *lin.* 2. facta, *l*, pacta.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google